WIMBP
Opole

a
b

II

8 St.

Akc VI Nr 311/15 62 C

ACTA ERUDITORUM

ANNO M DC LXXXVI

publicata,

ac

SERENISSIMO FRATRUM PARI,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ &c.&c.&c.

PRINCIPIBUS JUVENTUTIS

dicata.

Cum S. Cæsareæ Majestatis & Potentissimi Electoris Saxoniæ Privilegiis.

LIPSIÆ,
Prostant apud J. GROSSIUM & J. F. GLETITSCHIUM.
Typis CHRISTOPHORI GUNTHERI.
Anno MDCLXXXVI.

SERENISSIMIS PRINCIPIBUS
AC DOMINIS,

DN. JOHANNI GEORGIO IV,

Electoratus Saxonici Hæredi,

&

DN. FRIDERICO AUGUSTO,

Ducibus Saxoniæ, Juliæ, Cliviæ & Montium, Landgraviis Thuringiæ, Marchionibus Misniæ, Superioris item ac Inferioris Lusatiæ, Comitibus Principalibus Hennebergicis, Comitibus Marcæ, Ravensbergi & Barbiæ, Dynastis in Ravenstein &c.

DOMINIS NOSTRIS CLEMENTISSIMIS.

VBR

Quintum Operis, quo Acta Eruditi orbis recensemus, annum Celsissimis manibus Vestris, SERENISSIMI PRINCIPES, DOMINI CLEMENTISSIMI, offerimus, aut ad pedes potius Vestros humillimo cultu deponimus; idq; eo tempore, quo & omnis Germania, & hæ cumprimis Saxonici Electoratus provinciæ, communi publicaq; lætitia perfunduntur, festisque acclamationibus omnia personant, ac fausto adeo, quod auguramur, omine. Nunquam sane rem Christianam benignius respexisse Divinum videtur Numen, aut promovisse efficacius, quam hoc anno, quem expugnata feliciter, tandemq; Turcarum unguibus, INVICTISSIMI CÆSARIS LEOPOLDI auspiciis, erepta Buda, & latius quam vel sperari potuerat, protensum per Hungariam Austriaci nominis imperium, nec minus SERENISSIMÆ VENETORUM REIPUBLICÆ illustres in Peloponneso victoriæ & incrementa, memorandum omni posteritati reddiderunt: adeo nimirum collapsis jam & prostratis barbaræ, sed mire olim formidatæ gentis rebus, ut nisi alienis, vel ipsorum etiam, quod a tam sancto tamen nomine absit longissime, Christianorum opibus suffulta, resurgere non posse videatur, aut caput unquam erigere. Cujus felicitatis ut Germania universa, imo totus qua qua patet Christianus orbis, particeps censeri debet: sic eo teneriori ejusdem sensu nos capimur, majorisq; gaudii ducimus argumentum, quod POTENTISSIMI PARENTIS VESTRI, SAXONIÆ ELECTORIS, DOMINI NOSTRI CLEMENTISSIMI auxiliares copiæ ad

res, & in Græcia, & per Hungariam præclare gestas, momentum insigne attulerunt: ut adeo, quoties admirandos Christianorum adversus Turcas progressus hoc factos anno memoria recolent, qui nunc vitam agunt, aut ex Annalibus repetent posteri, non possint non & JOHANNIS GEORGII III, SAXONICI HEROIS, Nomen & illustria in rem Christianam merita, gratissima mente venerari. Sed hanc lætitiæ materiam communem nobis videmus esse cum aliis, quorum Principes seu suismet auspiciis, seu militе Cæsari aut opibus etiam subministratis, gloriæ illius partem non minimam occuparunt tenentq; ex merito: propriam TU nuper admodum, JOHANNES GEORGI IV, ELECTORATUS SAXONICI HÆRES SERENISSIME, Saxonicis hisce terris peperisti, postquam TE confecto molestiarum periculorumque per Germaniam, Galliam, Angliam, plenissimo itinere, SERENISSIMIS PARENTIBUS, patriæque dulcissimæ, quin & anxiis hactenus pro salute Tua subditis, salvum ac incolumem, & annis majorem, & magnæ prudentiæ atque invictæ virtutis florentem laude, Divini Numinis gratia reddidit. Ecquid enim lætius accidere nobis omnibus potuisset, quam desideratissimum Principem, qui spem hactenus publicam insita sibi, & per sanctissimam educationem promota vehementer Heroica indole aluerat, imo vicerat; ulterioris cultus capiendi causa longinquum iter ad exteros ingressum, ubi omnia ex voto confecisset: post POTENTISSIMOS FRANCIÆ, MAGNÆ BRITANNIÆ, DANIÆ REGES, nec non Serenissimos ad Rhenum S.R. Imperii ELECTORES, Principesq; alios salutatos & familiarius cognitos: post amplissimas regio-

ves magno cum fructu lustratas, & ea quidem felicitate, ut cum pauci ex illustri comitatu non hinc inde minus propitiam hygeiam senserint, solus propemodum inoffensa nulloque morbi genere tentata usus fuerit valetudine : post exculcam sic peregrinando mentem, ut quicquid in exterorum seu moribus elegans & politum, seu ingenio perfectum & acutum, seu eloquentiæ exquisitum & decorum est, idomne Germano suo candori ac pietati junxerit : eum, inquam, Principem nunc reducem salvumque in tueri coram ac venerari? De qua felicitate ut CELSISSIMIS PARENTIBUS, ut Tibi, SERENISSIME PRINCEPS, Ipsi, ut Patriæ, nobisque & Musis nostris, quæ ad exoptatissimæ Tuæ lucis radios, quos hauriunt iterum, recipiunt veluti spiritum ac erigunt se, pectore devoto gratulamur : ita non possumus non simul admirari Perillustris KNOCHII Tui prudentiam, dexteritatem, curamque indefessam, cui post Dei gratiam hæc gaudia debemus, Eidemque hanc divinitus adjunctam fortunam, quod tantum Depositum fidei suæ concreditum Paternis amplexibus salvum reddiderit, gratulari. Faxit Divina Clementia, ut hæc nobis omnibus gaudia certa sint & perpetua, nec ullius calamitatis unquam turbentur interventu: Faxit, ut Tu quoque, SERENISSIME PRINCEPS, AUGUSTE FRIDERICE, qui & Ipse diceris ad regiones exteras iter meditari, pari cum fructu ac felicitate ineas idipsum & absolvas, novæque adeo lætitiæ subinde nobis nascatur argumentum. Favete vero, CLEMENTISSIMI DOMINI, porro Utercq; instituto nostro, quod complexi per integrum hoc quinquennium gratiose estis, & quod exhibemus nunc volumen serena fronte excipite; quo laborem hunc prosequi ulterius ex rei litterariæ usu ac commodo valeamus.

Dabamus Calendis Decembris A. 1686.

SERENISSIMARUM CELSITUDINUM
VESTRARUM

Subjectissimi

Actorum Collectores.

TAB. I. ad A. 1686. pag. 3.

Fig. 3.



Fig. 4.




Fig. 5.



Fig. 6.



Fig. 7.




Fig. 8.




Fig. 9.




Fig. 10






Fig. 11.





Actorum Collectores.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Januarii Anno M DC LXXXVI.

ISBRANDI DE DIEMERBROECK IN Academia Ultrajectina Med. & Anatom. P. Opera omnia Anatomica ac Medica.

Ultrajecti, apud M. a Dreunen, & Gu. a Valgeren, in 1685. Fol.

QUinque sunt scripta, quæ sub hocce Operum omnium Anatomicorum ac Medicorum titulo a Filio Auctoris *Timmanno de Diemerbroeck* Med. Doctore ac Reipublicæ Ultrajectinæ Poliatro, erudito sistuntur orbi. Primum ex ipsis *Anatome est corporis humani*, opus jam ante aliquot annos typis exscriptum, nunc vero variis in locis emendatum ac auctum. Cum enim post primam editionem, ipsimet Auctori adhuc viventi plurima nova, tum sua, tum aliorum celebriorum Anatomicorum occurrerent inventa, cœpit ille non pauca, quæ tum temporis tanquam veritati admodum consentanea scripserat, ipse iterum immutare, rationibus & experimentis magis suffultas opiniones in locum illorum substituens. Et quidem non sparsim, sed variis in locis correctum nunc & auctum deprehenditur hoc anatomicum opus; inprimis vero emendationem hanc in primo libro de infimo ventre notare licet, utpote ubi tota capita reformat Auctor. Cæterum tribus etiam in locis figuræ novæ æneæ ex Aquapendente, Casparo Bartholino, & Regnero de Graeff insertæ conspiciuntur. Quanquam vero Anatome Diemerbroeckii creverit non solum majorem in molem, sed novis figuris ac experimentis novis exornata novam pene faciem assumserit, non tamen cuncta modernorum Anatomicorum & Auctoris inventa & observata inibi

leguntur; noluit enim Editor scripto huic aliquid (certas, prout in præfatione commemorat, ob causas) adjungere, quod in Parentis Manuscripto non repererit, pollicetur tamen opportuno tempore omissas genitoris observationes publici juris se facturum.

Secundum in ordine scriptum agit *de Peste*, quod itidem antehac excusum est, attamen in præsenti editione variis tam ipsius Auctoris, quam aliorum clarissimorum Medicorum rationibus, opinionibus ac remediis auctum conspicitur.

Tertio loco tractatus cernitur *de variolis ac morbillis*. Vidit hic nunc primo lucem publicam, ac ex decem & tribus componitur capitibus, quibus subjunguntur viginti historiæ rariores ab auctore in Praxi observatæ.

Excipit hunc tractatum quarto *Observationum centuria*, exhibens historias & curationes variorum morborum, quæ Auctori in praxi sua occurrerunt. Nullus hic observatur ordo, sed promiscue proponuntur morbi diversarum partium, semper tamen accurate historia uniuscujusque affectus recensetur una cum methodo medendi. Sæpius etiam annotationes subnexæ sunt observationibus, in quibus ex aliis practicis exempla selectissima ad comprobationem observationis & explicationem curæ facientia leguntur.

Tandem quintum & ultimum locum occupant *disputationes practicæ* in tres classes divisæ. Prima continet XXV historias de morbis capitis, olim publice disputatas. Altera X de morbis thoracis, & tertia tres de morbis infimi ventris. Proponunt vero singulæ singulis disputationibus primo historiam affectus cum omnibus circumstantiis, tam ratione temperamenti ægrotantis, quam ratione causarum externarum ac antecedentium, ac denique principia morborum, progressus ac status. Absolutaque hac enarratione in notis subnexis latius differit de subjecto cujusvis morbi, definitione, causis ac cura pharmaceutica juxta ac chirurgica & diætetica.

A. LEVVENHOECK ANATOMIA MUci intestinorum, ac de usu ejusdem.

Translata ex Transact. Anglic. M. Jun. 1684. num. 160. pag. 587 seqq.

Dum

DUdum desideravi examinare materiam illam viscidam, interiora intestinorum vestientem; ac tanto quidem magis, quod eadem vulgo creditur portio superflua, quæque commode amoveri queat: cum tamen econtra mihi pars videatur instrumentalis & ad usus intestinorum necessaria. Sumta itaque substantia illa lanuginosa, eademque ab excrementis, quantum pote, mundata, ingentem reperi numerum tenuissimorum vasorum sanguiferorum ramos emittentium, & adeo quidem confertim sitorum, ut nec spatium semidiametri unius pili inter ramos istos interjaceret vacuum. Præter hæc sanguinea, alia etiam ibidem vasa dabantur, nullo distincto colore conspicua, quæ suspicatus sum esse lymphatica aut lactea. Haud potui cernere ullam membranam hæcce ambientem, sed circumcirca jacebat limus glutinosus ac pellucidus, exiguis obsitus globulis; quæ utraque quidem primum excrementa esse putavi intestinis adhærentia: ast cum tentarem limum istum leniter abradere, animadverti me insimul non lædere tantum, sed & avellere ac lacerare vasa sanguifera æque ac alia complura. Sanguinea hæc vasa ramos suos non undiquaque porrigunt, quemadmodum ea, quæ in reliquis corporis partibus deprehenduntur: sed sicut in arcum flexa jacent, omnes suos ramos introrsum mittunt, extrorsum nullos. Tam arcte quoque ad invicem sita sunt, ut eorum decem millia intra spatium pollicis quadrati numerari posse existimem. Delineavi circumferentiam unius ex hisce vasculis *in Fig. 3. A.B.C.D.* TAB. I. *E.F.G.* quæ ipsa circumferentia major non est, quam quæ uno arenæ grano tegi possit: crassities sive diameter æquat circiter partem vicesimam quintam unius ex meis capillis. Ab interiori circumferentiæ parte pluscula vasa exigua prodeunt, ac quasi coalescunt invicem: sed ex hisce saltem quatuor hic expressa fuere, ut in *Fig. 3. B. L. E. & C. L. F. Fig. 4.* H. I. K. simile est vasculum, ac tametsi id in aliquali distantia a priori illo collocaverim; nihilominus ex parte ab isto tegebatur, sicut in reliquis etiam frequentissimum est, ut unum ab altero operiatur. Arcus etiam eorum omnes eundem in jacendo situm habent, curvati scilicet versus exitum excrementorum ex intestinis. Ultra *A. G.* & *H. K.* haud usquam potui investigando progredi, eo quod extremitates hæ seipsas absconderent intra alias partes substantiæ lanuginosæ.

Ex præcedenti hac obſervatione conjectare cœpi, an non hoc in loco arteriæ ac venæ invicem conjungantur; ſcilicet an non *A* ſit arteria, & *G* vena: nam omnia inter experimenta, quæ de vaſis ſanguiferis habui, nullibi tantam anaſtomoſeos alicujus probabilitatem deprehendi. Etenim aliis in locis & arteriæ varie diſſeminantur ad partium nutritionem, & venæ pariter, ad revehendum rurſus ſanguinem verſus cor: at vero hic, ubi arteriæ non ulterius procurrunt, quam ipſa cavitas inteſtinorum, non aliud videntur negotii habere, quam ut ſemet venas evacuent.

Hæ quoque obſervationes faciunt, ut magis quam unquam rejiciam opinionem iſtam, quod extremitates vaſorum lacteorum ac lymphaticorum orificia & aperturas habeant, quorum ope recipiant & adſumant chylum ex inteſtinis. Perſuaſus etenim ſum, extremitates lacteorum in inteſtinis æque bene hoc in loco tunica ſeu membrana ſua tectas eſſe, ac in ulla alia corporis parte: id ipſum tamen neutiquam obſtare, quo minus alimenta illuc pertranſeant ex inteſtinis. Nimirum ſi ſit *in Fig. 5. A.B.C.D.E.* radix arboris ejusdem; nutrimentum, quod radix hæc ex terra recipit, haud facilius intrabit per extremitates *A* & *E* quam per ullum alium locum circa *D* aut *C*, qui æqualis ſit denſitatis. Exempli cauſa, vidi radiculas vitis, centuplo tenuiores pilo mei capitis; extremæ earum oræ *A* & *E* ſpatium occupant partis milleſimæ granuli arenæ. Jam ſi locus non ſit amplior iſto, certe humiditas ac alimentum arboris æque commode tranſibit per quamlibet partem corticis aut ligni radicis, quam per loca *A*, *E*, ut adeo radix tenuis ac capillaris nutrimentum pariter recipere valeat in quavis alia ſui parte, ac in extremitate. Atque quemadmodum arteriæ, quarum tunicæ conſtant ex ſubſtantia fibroſa ſeu filoſa, percolare per easdem poſſunt ſanguinem, uti antehac dixi: ſic ſuccus etiam nutritivus tranſire valet per tunicas fibroſas vaſorum ſanguineorum, lymphaticorum & lacteorum: ac ſimilem in modum venarum ramuſculi ſubſtantiæ aliquid adſumere queunt ex inteſtinis & ad cor devehere. Minus hoc mirum videbitur conſideranti, quod ſi vaſa lactea lymphatica aut ſanguinea dentur millecuplo tenuiora capillis, oporteat neceſſario tunicas earum perquam raras eſſe, & tenuiora adhuc filamenta, ex quibus tunicæ hæ conſtant. Quam facile jam humor pene-

penetrare poterit latera talium vaſorum; maxime ſi materia, quæ intrare debet, rarior ſit illa, quæ jamjam in iis continetur?

Objectum fuit, ſi tranſitus in vaſa prædicta adeo patens ſit, multum etiam aeris aut flatuum ſeſe intra eadem inſinuare poſſe. Quo ergo appareat, quomodo humor ex inteſtinis transire valeat in venas, ventus autem non item, ſequens inſtitui experimentum. Sumſi veſicam bovinam, & eandem inflatam ſiccari feci, uti exhibet *Fig. 6. A. B. C. D.* Tum cepi ſegmentum inteſtini porcini mundati, longitudine circiter ſpithamæ, idque colligavi prope *E*, & aquam infudi, donec quarta circiter inteſtini pars impleretur. Poſtmodum amplius infarſi tres quartas aeris, atque ſic inteſtinum valide conſtrictum prope *F* feci ut jaceret ſuper veſica, uti monſtrat *E.F.* His ita in camino, ubi modicus ſaltem ignis excitabatur, ſuſpenſis, deprehendi aquam in inteſtino comprehenſam non ſolum humectare veſicam, qua parte eam contingebat, ſed & duobus rivulis defluere ad latus veſicæ: ſpatio ſedecim horarum omnis inteſtini liquor effluxerat, absque minimo aere; quin potius inteſtinum apparebat æque turgidum ac cum primum inflaretur. Comparemus jam inteſtina iſti veſicæ, ac chylum & ventum inteſtinorum vento & aquæ in inteſtino porcino; tum utique patebit, inteſtina tranſitum per ſemet concedere liquori, non autem aeri.

Inter prædicta ſanguifera aliaque vaſa in inteſtinis ſita, conſpicatus ſum materiam, quæ primo intuitu ex globulis conſiſtere videbatur: poſtmodum ſimilis apparebat exiguis inteſtinis intra majora illa contentis: denique compertum eſt, eſſe filamenta brevia, quorum altera extremitas tegebatur ex parte prædictis vaſis, altera vera annexa erat cuti aut membranæ cuidam; eidem probabiliter, quæ anatomicis vocatur intima inteſtinorum tunica.

In Fig. 7. A, B, C, ſunt extremitates ſubſtantiæ hujus filoſæ, quæ alias mucoſa aut lanuginoſa ſubſtantia audit, quamque nunc appellabo intimum muſculum inteſtinorum: conſpectus earum (ſi vaſa ſanguinea removeantur,) eſt qualem *figura* exhibet: fila iſta interiorem inteſtinorum muſculum conſtituentia, ſi ex uno latere adſpiciantur, ſunt velut *A.D.E.C.* Craſſities eorum minor eſt capillo mei capitis, ſuntque perquam tenera & ad minimum tactum rumpuntur. Cogitavi quandoque quodlibet horum filamentorum conſiſtere

ſtere ex diverſis filis invicem junctis, aut ſingula hæc fila habere membranam quandam; univerſa enim admodum arcte conſerta apparent.

Subſtantiam hanc lanoſam, (quam modo deſcripſi,) haud exigui uſus eſſe exiſtimo: oportet enim fila eſſe longiora & inter ſe compactiora, liquoris etiam interfuſi parum habere, dum inteſtinum vacuum eſt & corrugatum: at vero cum idem plenum eſt cibisque diſtentum, neceſſe eſt filamenta fieri breviora, nec tam arcte ad invicem compreſſa jacere, quam cum inteſtinum eſt contractum; qua ratione vaſa ſanguinea, lactea & lymphatica expeditius intra ſe recipere queunt liquores debitos.

Exempli cauſa concipiamus *in Fig. 8. A.B.C.* eſſe inteſtinum transverſim ſectum, uti eſt inane & corrugatum: *A.D.* vero eſſe fila, intrinſecum inteſtini muſculum conſtituentia. Jam ſi hoc impleatur ac diſtendatur ad amplitudinem *E. F. G.* filamenta *A.D.* contrahentur uti *E.H.* non ſaltem quod preſſe compacta invicem ſunt, prout inter ſe jacent; ſed & quia vaſa ſanguinea aliaque inter ea transcurrentia, tenent ea quaſi alligata. Etenim ſi ſeparatiora a ſe invicem eſſent, tum craſſiores excrementorum partes iis ſemet interponerent, quoties inteſtina extenderentur. Dum vero fila non adeo arcte compinguntur, cum expanſa ſunt inteſtina, chylus intrat facilius in vaſa iis interjecta; ac poſtmodum ad quamlibet contractionem inteſtinorum (quia tum fila invicem comprimuntur) intra corpus propellitur.

Dixi antea filamenta, interiorem muſculum facientia, altera ſui extremitate jacere intra cavum inteſtinorum, quæ ipſa maximam partem operitur vaſis ſanguiferis aliisque. Altera eorum extremitas annexa eſt cuti ſeu membranæ, quam probabiliter Anatomici ſumunt pro intima inteſtinorum tunica, prout videri poteſt in linea *D. E. fig. 7.* In hac membrana detexi plures globulos pinguedinis, jacentes alicubi ſpiſſe & compacte inter ſe, ac proinde variis figuris apparentes. Aliis in locis jacebant quædam particulæ pingues in aliquali a reliquis diſtantia, hæ omnes ad figuram ovalem accedebant, ut monſtrat *Fig. 9.* Alio rurſus loco parum ab illo diſtanti ſitæ erant particulæ ovales in linea recta, prout *Fig. 10.* exhibet. Alibi denique eædem tam ſpiſſo jacebant agmine, ut altera alteram premeret, ceu appareat in *Fig. 11.*

TOUTES

TOUTES LES OEUVRES DE MADAMOISELle Antoinette Bourignon &c.

id eſt:

Antoniæ Burignoniæ Opera omnia, novendecim voluminibus comprehenſa.

Proſtant Amſtelodami apud Henricum Wetſtein, 1686 in 8.

DUbitavimus non parum, an librorum horum commemorationi locum in Actis noſtris daremus, idque non una de cauſa. Nam primum libri a Fœmina iſta, intra viginti aut plures annos ſcripti, & antehac Gallica & Belgica, quidam etiam noſtra lingua ſeorſim excuſi, tempus Actorum noſtrorum præcurrunt; nobis autem ſat magnus labor eſt, recenſendis, qui intra noſtri temporis metam eduntur. Deinde quod materiam librorum attinet, quanquam multa præ ſe ferant, ad morum innocentiam & Chriſtianæ charitatis, nimium quantum ubique terrarum frigeſcentis, inſtaurationem facientia, & naturali quadam facundia populares præſertim mentes capientia; immixta tamen habent plurima, quæ ad ſcopum illum non modo nihil præſtant, ſed & ita proponuntur, ut etiam illos articulos fidei Chriſtianæ in dubium adducant, in quibus diviſæ licet per ſchiſmata proh dolor! Eccleſiæ huc usque tamen conſenſerunt; ut jam de acerbitate qua Theologi omnes paſſim tractantur, nihil dicamus. Accedebat, quod haud multi ex libris iſtis, & ad pauciſſimos in has regiones pervenerant, & ſpes erat morte ſcribentis, & ſtudioſe eos divulgantis, memoriam eorum obliteratum iri; ſicut tota illius ſive œconomia ſive ſecta periiſſe videbatur. Aſt poſtquam omnia Burignoniæ, quæ colligi potuerunt, ſcripta novendecim voluminibus comprehenſa, in celebri bibliopolio Amſtelodamenſi venum denuo exponi vidimus, inventusque præterea fuit, qui in Præfatione prolixiſſima, quam Apologeticam vocat, ac in continuata vitæ ejus Hiſtoria, cuncta mulieris iſtius, quanquam ut ipſa ubique faſſa eſt, & hyperaſpiſtes multoties inculcat, ſacrarum & bonarum omnium

literarum rudis & indoctæ, non dicta saltem & scripta, sed & facta, pro divinis & sanctissimis defendere & extollere non dubitarit; dissimulari a nobis aut intacta plane prætermitti Burignoniana illa opera non debuerunt.

Ante omnia vero, qui Apologiam supra memoratam & Historiam vitæ legent, magnam persuasionem, qua misere præventus & occupatus est Autor, observabunt. Is enim Fœminam hanc Spiritu DEI præter omne exemplum illuminatam & actam, imo sponsam Christi singularem, & ad ultimi Evangelii prædicationem, renovandamque vitam ei convenientem, ex omni genere hominum delectam & in Apocalypsi Johannæa præfiguratam credere se profitetur; itaque dicta ejus pro oraculis & pro nova Scriptura Sacra, veterem vel firmante, vel explicante, vel corrigente, tanta cum religione veneratur, ut & solæcismos ejus & in stylo errata dictamini divino tribuat. Hæc enim atque similia aut majora, de se ipsa per annos plus quam quadraginta jactaverat Fœmella ista, & plenam fidem apud apologeten hunc invenit, licet nec miracula, quibus ea probentur, quanquam id tentet, invenire possit, & infelicissimo eventu omnia concidisse & in fumum abiisse ipse deploret, ad quæ destinatam, & jussis ac responsis divinis quotidie instructam sese ferebat, & quæ per omne fere vitæ tempus molita fuerat. Hoc præjudicio captus & constrictus, ad exemplum magistræ suæ, in omnium cœtuum Christianorum antistites & doctores atrociter invehitur, in illos etiam quos Burignonia pro patribus spiritualibus coluerat, universum nempe clerum Romanum, Jesuitas maxime, sed non mitius in Protestantes; adeo ut denique omnibus & singulis, qui Ecclesiis præsunt, Antichristi personam assignet, infallibilis scilicet Sibyllæ suæ carminibus & effatis pleniſſime fidens, omnesque, non nisi Gamaliele aut Nicodemo uno alterove exceptis, ut Diaboli synagogam, emissarios & mancipia, execrans & orco damnans. Augustanæ autem confessionis doctores & ecclesiastas præ aliis omnibus, quosdam etiam nominatim, immani cum petulantia persequitur; quod quidam ex illis Burignoniam, in Holsatia & Hamburgi agentem, librosque ex domestica, quam habebat, typographia distribuentem, & societatem fraternæ cujusdam & communis vitæ, adscitis quos allicere poterat hominibus, colentem, apud magistratum detulisset, &

& calamum contra eam strinxissent. Miseranda vero est Ecclesiæ ultimorum temporum conditio, in qua ut in Rebuspublicis duobus contrariis vitiis, luxuria & avaritia, ita nunc oppositis inter se & diversis malis, superstitione & impietate extreme laboratur; nec finis fiet, nisi quem ipse Servator noster, adventu suo ad judicium universale glorioso statuet. Ut vero non improbandi sunt, imo debiti & laudandi eorum conatus, qui nihilominus fulcra quædam labenti religioni & pietati supponere, pro sua quisque, qua valet, industria & autoritate, & eo quo fas est modo annituntur, ita non medicinam afferunt, sed morbum aggravant, qui idem extra præscriptam aut concessam a Deo rationem tentant. Fore autem talium varii generis medicastrorum bene multos, non passus est nos ignorare Dominus, cum Apostolos suos de cavendis, *etsi prodigia & magna signa dederint*, monuit, qui dicent: *Ego sum Christus: Ecce in deserto est; ecce in penetralibus*, Matth. XXIV. 5. 24. 26. Noti sunt etiam, quos Apostoli pseudoprophetis assignaverunt characteres. Ad quos cum jam examinaverint Theologi, etiam nostrates, Burignoniæ dogmata & vitam, horum scripta consulant, si lubet, qui in libros hos incident, & in iis invenient, quæ sanæ doctrinæ repugnant, aut quæ viris in munere publico constitutis, per calumniam objectantur. Satisfactum instituto nostro fore existimamus, si titulis tantum operum, quæ edidit, exhibitis, de doctrina & gestis Fœminæ aliquid tradamus, vitatis, quæ taceri præstat.

Et tituli quidem librorum volumine tertio & sequentibus contentorum (de prioribus enim duobus paulo post dicemus) hi sunt: *Vocatio Dei & hominum recusatio: Tractatus de vita solitaria: Ultima misericordia Dei: Lumen natum in tenebris: Sepulchrum falsæ Theologiæ: Lumen mundi: Academia eruditorum Theologorum: Confusio operariorum Babeliticorum: Tractatus de solida virtute: Admonitio contra sectam Tremulantium: Persecutiones justi: Testimonium veritatis: Farrago testimoniorum pro Antonia Burignonia: Innocentia agnita & detecta veritas: Lapis Lydius: Stella matutina: Antichristus detectus: Sanctum speculare* (visiere) *Renovatio spiritus Evangelici: Novum cœlum & terra nova: Lapides novæ Jerusalem: Admonitiones & Instructiones salutares.*

Vitam vero & doctrinam ejus quod attinet, ſciendum eſt, ipſam de vita ſua libros duos, qui *primum* operum volumen faciunt, compoſuiſſe, ex quibus ingens illa de divina & unica veritatis notitia, quam ſibi contigiſſe putabat, præſumtio, ſatis ſuperque apparet. Repletus enim eſt liber primus, cui titulum dedit *Verbum Dei*, ſive *Vita interior*, ut & alter, qui *vitam exteriorem* ex parte deſcripſit, innumeris reſponſis & revelationibus Dei. Neque enim quidquam tam magnum aut parvum fuit, de quo per omnia divinationum genera, ſive per viſiones, ſive per auditas voces, ſive per inſomnia, frequentiſſime autem in interiori animæ, ut loquitur, fundo, ab illuſione omni ut exiſtimabat, immuni, divinam voluntatem non intelligeret, & hoc illudve credere aut agere juberetur aut vetaretur. Nata fuit a. 1616 in urbe Flandriæ, quæ Inſularum nomen habet, vulgo Lille, patre Italo mercatore, cujus delatam ad ſe ex parte hæreditatem, inſtitutis illis ſuis infauſto ubique cum ſucceſſu conſumſit, aut aliis caſibus amiſit. Narrat autem ipſa, & in continuatione Biographiæ, quæ *alterum operum volumen eſt*, verboſe exaggerat Anonymus, quomodo ab infantiæ tempore decrementa vitæ Chriſtianæ obſervaverit, & ſæpe parentes aliosque rogaverit, ut ad Chriſtianos duceretur; nam plane alios illos eſſe aliterque vivere debere dicebat, qui Chriſtum (cujus vitam & mortem narrari audiverat & pingi cernebat) ducem ſequerentur, quam nunc fieret ab illis, qui eum ore profiterentur. Sed deriſa, & jam adultior, ad ſeculi mores ſequendos invitata & permota, cum vanitatis mundanæ magna cum pœnitudine mox pertæſa eſſet, divino inſtinctu, imo aperta (ut quidem ipſa refert) viſione, in deſertum concedere monita fuit. Id ita intellexit, ac ſi Eremitarum more vivere deberet. Rejecta vero a Carmelitis, quibus ſociari cupiebat, quod pecuniam pro dote monaſterii, reluctante & vitam ejus monaſticam minime probante patre, afferre non poſſet, profugit domo, & in milites incidens, vix vitam & pudicitiam, a ſene quodam, pagi (qui Blatton dicitur) ſacerdote adjuta, ſervavit. Is *Georgius* ab *Inſula* vocabatur, miræ ſanctitatis, quam & ipſa prædicat, & continuator hiſtoriæ in immenſum extollit, ut certum & compertum inter alia memorans, quod caſtigandi coercendique corporis cauſa ſeptem totis annis omni potu, etiam aquæ, abſti-

abſtinuerit. Hujus conſilio ædiculæ incluſa, tota Deo, ut ait, vacabat. Speraverat autem Archiepiſcopi Mechlinienſis, cujus favorem Parochi illius commendatione adquiſiviſſe ſibi videbatur, auxilio impetraturam ſe eſſe, ut conventum quendam devotarum mulierum, quæ vitam Evangelicam (ad hunc enim jam ſcopum ex Dei liquidiori revelatione, quam jactabat, tendere incipiebat) inſtaurarent, inſtitueret. Sed mutato per Jeſuitas, ut queritur, Præſulis animo, a propoſito deſtitit, & Parentis qui fugientem & latentem filiam indagaverat, precibus & juſſis cedens, Inſulas regreſſa eſt, per annos novem in hoſpitali quodam educandis puellis præfecta. Sed poſtea comperit, aut temere credidit, puellas illas omnes Sathanicis pactionibus devinctas, fœda & horrenda nocte & in ſaltationibus ſagarum perpetrare, & vitæ ſuæ periculum porrecto veneno ſtruere. Imo ex divinis reſponſis didiciſſe ſibi viſa eſt, maximam humani generis partem, dodrantem puta, eodem crimine infectam eſſe, & hanc corruptionem usque ad finem mundi manſuram, imo augmenta ſumpturam eſſe. Quæ peſſima ſuſpicio (a defenſore ejus anonymo multis, ut putat, argumentis ex Bodino, cui plurimum defert, collectis, confirmata) magni illi conſtitit. Odium enim multorum incurrit, & res ſuas ita conturbavit, ut tandem patriam altera vice deſerere eam oportuerit. Mechliniæ amicum ſibi fecerat obſequentiſſimum, & fere unicum, *Chriſtianum de Cort*, *Superiorem* quem vocant *Presbyterorum Oratorii*. Hic Janſeniſtarum partes ſecutus, cum de receptu quodam, ubi a perſecutionibus tuti degere poſſent, cum aliis cogitaret, in ora Holſatiæ regiunculam, quæ *Nortſtrand* vocatur, magno ſuo & aliorum, inter quos etiam *Antonius Arnaldus* & *Ludovicus Sanctamorius* Janſenianorum doctorum in Gallia eo tempore præcipui memorantur, pecuniam corrogantium ſumtu, ſiccatam & aggeribus munitam adquiſiverat & poſſidebat. Huc itaque Cortius ad inſtituendam vitæ Evangelicæ renovationem invitavit Burignoniam, quæ exagitata a Clero Belgico Amſtelodami tunc latitabat, & libros edere inceperat. Sed Cortium etiam perſequebantur ſodales ſui, & ob æs alienum Amſtelodami carceri includi fecerant: Inde ægre evadens, veneno per æmulorum inſidias, ut anonymus refert, ſublatus eſt. Moriens Burignoniam hæredem

scripsit, nullo hujus commodo; ære enim alieno & litibus innumeris implicata hæreditas erat, nec unquam ad ejus perceptionem pervenire Burignonia potuit. Dedit autem ea res occasionem, ut in Holsatiam proficisceretur, Husumi, Slesvici & alibi, clam plerumque, rarius palam considens, & familiam suo more alens; maxime vero libris scribendis, imprimendis, spargendisque intenta. Sed his ut sorex prodita, Ecclesiarum ministros & tandem Magistratus in se concitavit, ut nullibi tutum receptaculum aut stabilem sedem habuerit, & sic per totam vitam exul & vaga, multaque gravia perpessa, & ad extremum ab omnibus fere deserta, miserrime tandem, cum ex Frisia orientali profuga denuo Belgium peteret, sub finem Octobris mensis anni 1680 decesserit, cum vitam eamque cœlibem ultra annum sexagesimum quartum, tenui licet & plurimis morbis infestata valetudine produxisset.

Jam de doctrina & disciplina pauca, & quatenus expedire videtur, subjungemus, non ex libris ipsis, quos excerpere nec operæ pretium, nec laboris nostri duximus, sed ex ipsius & Apologistæ historiis *volumine primo & secundo* comprehensis. Educata fuit Antonia in religione Rom-Catholica, neque dogmata ejus, tot novarum licet opinionum architecta, omnino videtur improbasse. Sane de purgatorio si non eadem, at analoga, constanter credidit, apparitionibus etiam, ut existimabat, amicorum demortuorum firmata. Sacras literas, uti ipsa scribit, non nisi adulta, indulgente ut mos est, sacerdote legere cœpit: jactat tamen sibi antea eadem immediata Dei revelatione innotuisse, quæ postea in illis invenerit: libris vero a se scriptis eandem autoritatem a Deo attributam esse confidenter asseverat. Lectionem itaque Biblicam, cum quotidie colloquia cum DEO habere se, novique Evangelii nunciam esse crederet, neque ipsa magnifecit, & simplicioribus quam perfectis magis commendabat. Libros apocryphos non pares saltem Canonicis, sed & præferendos esse statuebat, imprimis *quartum*, qui dicitur, *Esdræ*, cujus visiones sibi applicabat. *Quackerorum* tamen sectæ inimicam se ferebat, scripto etiam adversus eam libello rumorem depellens, quo ejusdem cum illis professionis esse differebatur. Anabaptistas, Mennonis discipulos, admissos primum, repulit tandem, & osores habuit, sicut & Labadistas, societatem

tatem licet ab initio offerentes. Cartesianam Philosophiam & quidquid ex ea ad Theologiam transfertur, summe improbabat, ut Atheismo obstetricantem. Lutherum æque ut alios religionis reformatores ita abominata est, ut omni Spiritus divini impulsu & auxilio caruisse eos asserat. Inde nulli fere magis quam, uti diximus, Ecclesiæ Aug. Confessionis ipsiusque ministris insultat; sicut & Scriptor vitæ ejus eodem spiritu inflatus, convitiis adversus eos proterve indulget. Interim Romano-Catholicis quoque, quorum alumna erat, apostasiam a vero Christianismo strenue objicit, omnemque eorum cultum, disciplinam & sanctimoniam, novas etiam ordinum religiosorum reformationes, pro nihilo habet. Ex mysticis, quos vocant, post *Susonem*, *Taulerum* & alios, sacram virginem *Theresiam* & ejus parastaten *Johannem* a *Cruce*, laudat; *Joh. Engelberti* & *Jacobi Bohemi* visiones & dogmata Spiritui sancto tribuit; ita tamen, ut se illis omnibus præferat, cui soli plenum lumen Deus offuderit. Idem deprædicat omni studio Scriptor hic vitæ, & ante eum is quem diximus, Cortius in præfatione libri Gallici ab Antonia A. 1679 editi, qui *Sepulchrum falsæ Theologiæ* inscribitur, & alibi. At quæ ex illuminatione hac sua populo Christiano propinavit dogmata, religioni nobis est in Actis hisce prolixe recensere. Et quis sine horrore & indignatione legat, quæ de Adami promiscuo sexu, & genito ex illo, ante creatam Evam, Christo, ut summa mysteria & revelata sibi a Deo tradere non est verita? De merito & satisfactione Christi non multum a Socinianorum sententia diversa docet, nec magno ardore suo & multis verborum involucris Scriptor vitæ effecerit, ut orthodoxa credantur, quæ in præfatione de hoc articulo commentatur. Intercessionem Christi pro salute hominum eo valuisse putat Antonia & Apologista ejus, ut gentiles etiam, quibus Evangelium de Christo non prædicatur, virtute sua salvari possint, non obstante dicto Apostoli Act. IV. 12. Sed plus fere quam volebamus, retulimus. Quæ contra Trinitatem, & quod eodem recidit, contra Deitatem Christi & Spiritus Sancti, scripsisse incusata fuit, cum non ipsa tantum, edita Slesvici anno 1673 confessione, sed & Apologista vehementer rejiciant, & ex aliis clarioribus locis sequius aut obscurius dicta utcunque explicare velint, expendendum iis relinquimus, quibus

libros

libros ipsos legere & examinare vacaverit. Eo etiam remittimus, quæ de Prophetiæ dono & revelatis sibi cogitationibus hominum & ipsa gloriatur, & Apologista magnifice extollit; ut & ea quibus defectum miraculorum, & quod destinata non effecerit, operose excusare annixus est. Sed de dogmatibus & quæ circa ea sunt, controversiis, non magnus adversus Antoniam ejusque propugnatores labor suscipi debet, cum inter principia novi hujus Evangelii vel maximum sit, abstinere ob omni disputatione, nulliq; cœtui aut sectæ nomen dare, sed soli charitati & disciplinæ, quam a DEO edocta hæc scilicet Christianismi instauratrix proposuit, sese addicere. Recepit itaque ipsa, nullo religionis discrimine, quotquot pro matre spirituali eam agnoscere, & ad pacti, quod præscripserat, formulam obligare se voluerunt, ne repulsis quidem, qui desertis uxoribus ad eam accederent; imo deseri, si sequi nollent, conjuges jussit, quod Apologista ex Christi præcepto defendi posse non dubitat. Ipsa vero Antonia nulla re magis quam nuptiarum oblatione offendebatur; eaque de causa, cum in patria esset, in magnum periculum ob proci cujusdam fanatici aut incantatoris impudentiam incidisse narratur. Cæterum formulam pactorum, de quibus diximus, Scriptor vitæ continuatæ *cap. XXIII* retulit, *Harlemi* anno 1671 compositam. Summa est: *Promittere receptos in Spiritualium liberorum Antoniæ numerum, & animæ corporisque curam ab ea stipulatos; velle se DEUM creatorem toto vitæ tempore amare & colere; omnia quæ habeant, ad gloriam ejus impendere, animum & corpus pro sacrificio offerentes; secundum voluntatem divinam, ab Antonia Burignonia sibi, ut credunt, aperiendam: huic ad mortem usque obedituros, nec quidquam pro bonis mundanis laboraturos; his enim se prorsus renunciare; ut Christum imitentur ejusque discipulos, qui non fuerint de hoc mundo; hujus sub signis renovata promissione in Baptismo facta, militaturos, ut æternum cum Patre cœlesti vivere aliquando possent.* Hæc pro omni religionis & fidei confessione sufficere ipsi visa sunt. Externa vitæ forma in communi labore & victu consistebat, sub imperiosa & stricta antistitis fœminæ gubernatione: regulæ etiam quædam generales ad ordinem melius tenendum dictatæ a Deo prætendebantur, quas legere licet *cap. XXVIII*; in quibus tamen nihil de exercitiis sacris, de concionibus, precibus, usu Sacra-

Sacramentorum, reperias. Verum enim vero infelix in adoptandis liberis mater fuit, sua aut illorum culpa. Nam plerique disciplinæ hujus mox pertæsi, fraternitatem non tantum deserebant, sed & in matrem valde ingrati multis eam postmodum molestiis affecerunt: imo si illi & panegyrici scriptori credas, in sagarum consortia concesserunt. In querelas tamen & preces effusus Encomiastes non desperat fore, ut institutum ejus adhuc locum inveniat, quemadmodum in posteris Abrahami impletum dicit esse, quod ipsi non minus promissum videbatur. At si quid ominandum est, eam nos omnibus precibus & votis a Deo Ecclesiæ formam optamus, in qua cessante novarum revelationum falsa ostentatione, ad ductum verbi divini, cum puritate doctrinæ & sanctimonia vitæ, omnes legitimi hominum status & ordines imperturbati serventur: neque opus sit, ut pii ad ergastula confugiant, sub ferula pædagogi, aut quod extremum servitutis genus est, sub imperiosæ mulieris dictatura aut scutica in officio continendi. Sed exemplum & successum muliebris instituti, de quo huc usque diximus, considerantibus, metuenda forte ejus imitatio minus videtur, quam damna, quæ Ecclesiæ & ab interna corruptione, & ab externa violentia imminere non sine causa timemus, quorumque remedia a Deo, noscente & servante suos, expetimus.

VBP Opole

VETERUM ANALECTORUM TOMUS IV, complectens iter Germanicum Domni Johannis Mabillon, & Domni Michaelis Germain e Congregatione sancti Mauri, cum monumentis in eo repertis.

Lutetiæ Parisiorum apud viduam Edmundi Martin, & Joh. Boudot A. 1685. in 8.

SUb *Veterum Analectorum* nomine tomi hactenus tres a *Johanne Mabillonio*, viro doctissimo, & antiquitatum Ecclesiasticarum studiosissimo, Lutetiæ Parisiorum sunt evulgati, & primus quidem A. 1675, secundus 1676, tertius 1682. Quid titulo isthoc indigitetur, in Actis anni 1684 p. 65, cum Tomum III recensemus,

jam expoſuimus, epiſtolæ videlicet, præfationes, ſupplementa, fragmenta, verſus, aliaque id genus monumenta, neglecta quidem ab aliis vel prætervisa, at hiſtoriam tamen Eccleſiaſticam non parum illuſtrantia. Talia enim pleraque ſunt omnia, quæ in tribus Tomis antegreſſis a diligentiſſimo Autore comprehenduntur. Sed iſta ex Francicis Belgicisque Bibliothecis hinc inde erant conquiſita. In quarto hoc Tomo jam illa exhibet Mabillonius, quæ in itinere Germanico, Chriſtianiſſimi Regis ſui & auſpiciis & ſumptibus, literarum cauſa ſuſcepto & confecto, in Bibliothecis Germanicis, Sancti-Gallenſi inprimis, Augienſi, Auguſtanis duabus, Bibliotheca nempe S. Udalrici & publica, Ratisponenſi S. Emmerammi & Tegernſenſi in Bojoaria, excuſſerat; utque illud quoque orbi literario innoteſcat, quid locorum ac monumentorum in Helvetia, Suevia & Bavaria (nam ad has tantum Germaniæ regiones iter inſtituerat) cum ſocio ſuo *Michaele Germano* perluſtrarit, itineris Germanici ſui deſcriptionem Tomo huic præmittit; dumque in eo refert, quæ monaſteria adierit, quæque in illis monumenta antiqua vel manuſcripta repererit, non urbes tantum & loca alia deſcribit, ſed & ritus varios, inſcriptiones, epitaphia, aliaque ἀξιομνημόνευτα connotat. Enarrato itinere, quod anno 1683, die ultima Junii ingreſſus erat, & menſe Octobri feliciter confecerat, primo loco ſubjungit *Acta Mammarii Martyris* hactenus plane incognita, & quia Mabillonio conducere ad hiſtoriam Africanam ſunt viſa, nunc primum edita; quanquam nec diſſimulat, quo candore eſt, editor, ſe ea omni ex parte ſincera præſtare haut poſſe. Neq; enim ipſi placet Anulini Proconſulis mortis genus (de quo ſic in Actis: *Anulinus in ipſo momento turbationis diaboli exſpiravit, & corpus ejus a volucribus comeſtum eſt;*) non tempus, quia Acta hæc geſta dicuntur ſub Anulino Proconſule anno Chriſti CCCIV, cum Anulinus Proconſul ſub annum CCCXI, Miltiade Pontifice, cauſam Cæciliani Epiſcopi Carthaginenſis ad Conſtantinum Imperatorem detulerit; non *pagani* nomen ab ipſis etiam paganis ſenſu noſtro uſurpatum; non denique ſententiæ in Martyres prolatæ ſumma, quæ hæc fuit: *Qui Imperatorum præcepta contemſerunt, gladio animas eorum interfici placet.* Mammarii Acta excipit *Paſſio Benedicti Martyris Marculi.* Retinuit enim hunc titulum ex veteri Codice, ſed alium

alium ſubſtituit in præfatione Mabillonius, nempe de *Marculo Donatiſta*, ne verus Martyr primo intuitu videri poſſit: addidit etiam *Macrobii Donatiſtæ epiſtolam de nece Maximiani & Iſaaci* ejusdem ſectæ Donatiſticæ hominum, ad illuſtrandam, ut loquitur, illius temporis hiſtoriam Africanam, non ad affingendam ejusmodi Actis omnimodam auctoritatem. Sequuntur, quæ & lectu digniora cenſet editor, *Acta Theodoriti Martyris, & Philippi* Hadrianopoleos in Thracia Epiſcopi, quæ quidem & ipſa (Philippi puta) manu medica quibusdam in locis indigere editori videntur, ſubſidio videlicet, ut ipſemet exponit, alterius codicis paulo emendatioris. Annectuntur his *varia opuſcula & monumenta*, & primo quidem *Fragmentum Candidi Arriani ad Marium Victorinum, & Reſponſio Marii Victorini Rhetoris urbis Romæ ad Candidum Arrianum:* dein *Diligentia Beatorum Monachorum Armenii*, ſive ut legendum Mabillonius cenſet, *Ammonii & Honorii de libris Canonicis veteris & novi Teſtamenti, & Confeſſio Fidei Catholicæ, quam breviter viro inluſtri Theophilo direxerunt*, quæ confeſſio fere integra ſub nomine Ambroſii reperitur apud Vigilium Tapſenſem in lib. 2 contra Palladium cap. 6; *Epiſtola Aviti Presbyteri ad Papam Falconium*, qui in excuſis *Falconius* appellatur. Porro *Vita ſancti Hieronymi Presbyteri*, auctore (ut Mabillonio videtur) Gennadio; & *Vita beati Aridii Lemodicini Abbatis*, quam Gregorio Turonenſi Epiſcopo tribui in veterrimo Monaſterii S. Galli Codice dicit editor, qui tamen & hoc non diffitetur, locutiones quasdam a Gregorio Magno & S. Benedicto acceptas in eo reperiri. Succedunt veteres *Formulæ Andegavenſes* principatu Childeberti I (uti editor arbitratur) in unum corpus digeſtæ; *Alcuini* item *epiſtolæ* numero viginti ſex, aliæque aliorum auctorum; quas inter ſunt *Caroli M.* epiſtola una *de gratia ſeptiformis ſpiritus*, & altera de *Baptiſmo*, cum *Odilberti Archiepiſcopi ad eundem Carolum M. reſponſione; duæ* item *epiſtolæ* contra *Berengarii* doctrinam, altera *Gozechini Scholaſtici* ad Valcherium Scholaſticum, altera *Deoduini* Epiſcopi Leodicenſis ad Henricum Francorum Regem; & poſt aliqua brevis narratio de *tranſlatione corporis S. P. Benedicti in Galliam*; ut & *antiquæ conſuetudines monaſteriorum Ordinis S. Benedicti*; & poſt *diplomata* quædam Imperatorum pro cœnobiis, poſtque breves *Annales Ratisponenſes*,

nenſes, Weingartenſes & Einſiedlenſes, Antiqua veterum Inſcriptionum Romanarum Collectio cum *Analectis*, & *appendice*, in qua eſt *paſſio S. Maximiliani, libellus Abbatis Pirminii Paræneticus*, & *Vulfadi Archiepiſcopi Bituricenſis epiſtola paſtoralis ad parochos & parochianos ſuos*, & *Auxilii libellus de negotio Formoſi Papæ*. De cætero uti omnibus ſingulisque his analectis obſervationes longe doctiſſimas addidit Mabillonius, ita in fine quoque varias obſervationes ex MSS. codicibus Germanicis corollarii velut loco ſubjecit. Optaremus autem, ut in itinere iſto Germanico ex Bavaria per Franconiam in Miſniam perrexiſſet cum Socio editor, & Academiæ noſtræ Bibliothecam, quæ Paulina dicitur, non inſalutatam reliquiſſet. Nam in ea, quod præfiſcini dixerimus, aliquot millia Tractatuum Manuſcriptorum, partim membranaceorum, partim papyraceorum aſſervantur, nec ſcripta tantum, qualia in Analectis ſuis jam edidit Mabillonius, ſed alia plurima nondum edita, ut vel centum ejusmodi Analectorum Tomi exinde poſſint concinnari; inter quæ & libri MSS. extant de Regula & Conſuetudinibus Ordinis S. Benedicti, aliorumque ordinum Monachalium; Vitæ item Sanctorum, quales & Mabillonius in Germania obſervavit, quam plurimæ, verſusque & rythmi innumeri; bona fide id aſſeverante Bibliothecario *Cl. L. Joachimo Fellero*, qui & propediem Catalogum MSStorum Paulinorum in publicum evulgabit. Sed ſat abunde MSStorum ineditorum inveniet in Bibliothecis Italiæ, in quibus excutiendis nunc occupatur, doctiſſimus editor, unde non pauca ejusmodi Analecta poſſit conficere.

DE LITURGIA GALLICANA LIBRI III. Opera & ſtudio Domini JOHANNIS MABILLON &c.

Pariſiis apud Viduam E. Martini & J. Boudot, 1685. 4.

AUctor tot in orbem litterarium meritis celeberrimus hos quoque libros ad inſigne ejus emolumentum editos hodierno Remorum Archiepiſcopo dicavit, quoniam *in ea regione lucis uſuram acceperit, & in Academiæ Remenſis ſeminario prima litterarum elementa didicerit*, ut in epiſtola Dedicatoria fatetur. Initio Præfationis ad

ad Lectorem ſcribit, apud omnes in confeſſo eſſe, Liturgiam Gallicanam principio a Romana fuiſſe diverſam, ejusque mutationem ante annum Chriſti octingenteſimum contigiſſe Caroli M. principatu. Cauſſam hujus mutationis in ambiguo relinquit, laudatoque Pontificum Romanorum in conformitate rituum procuranda ſtudio, Caroli Calvi principatu miſſæ Gallicanæ notitiam penitus obliteratam eſſe probat, & poſthac nemini de ea amplius eſſe quæſitum, donec Matthias Flacius Illyricus Miſſam veterem Argentinæ ederet, eamque ſuſpicaretur apud Gallos & Germanos in uſu fuiſſe ante Romanam. Cujus ſententiam a Guillelmo Peyrato & Carolo Cointio approbatam, ſed a Cardinali Bona ad examen revocatam dicit in opere rerum Liturgicarum, qui Liturgiæ Gallicanæ quatuor aſſignarit indicia, & Miſſalia duo a Joſepho Thomaſio nuper edita pro genuinis Gallicanis habenda eſſe putarit. Se denique in monaſterio Luxovienſi antiquiſſimum Lectionarium reperiſſe, idque pro veteri Gallicano agnoviſſe, & amicorum conſultu ſingularem tractatum *tribus libris* condidiſſe, quorum argumenta in eadem Præfatione ediſſerit a nobis breviter recenſenda. *In prima*, poſtquam de variis Eccleſiæ Latinæ Liturgiis breviter actum eſt, Gallicanæ indicia veræque notæ afferuntur, expenduntur, & probantur. Deinde facta ejusdem Liturgiæ cum Mozarabica comparatione, tota ejus ſeries ex Gregorio Turonenſi Epiſcopo aliisque priſcis monumentis eruitur & illuſtratur. Quibus abſolutis, vetus ſacræ ſupellectilis apud Gallos, Eccleſiarumque forma & apparatus deſcribitur. Porro in exordio & fine libri exponere conatur Mabillonius, qualis fuerit veterum Gallorum per id tempus de Euchariſtia fides & perſuaſio. *Secundus liber* ipſum *Lectionarium Gallicanum* exhibet, præmiſſis nonnullis de Adventu Domini feſtisque apud Gallos antiquitus receptis, quæ prolixius in notis ad Lectionarium explicat. Illius autem antiquitatem ex feſtis in eo recenſitis, quorum pauca, nullumque natali Genovefæ recentius, & ex characterum forma colligit, quorum ſpecimen æri inciſum exhibet, idque Merovingicam referre ſcripturam adſerit, quam libro quinto de re Diplomatica expoſuerit. *Tertium librum* conſtituunt Miſſalia tria, quorum primam editionem Joſephus Maria Thomaſius cum Sacramentario Gelaſiano Romanis typis curavit

anno CIↃ IↃC LXXX. Primum est *Gothicum* seu *Gothico-Gallicanum*, quo utebantur Galli Vesigothorum imperio subjecti. Secundum vocatur *Francorum*, quod post Gregorium Magnum scriptum existimat. Tertium dicitur *Gallicanum*, cui imperitus nonnemo *Missæ Romanæ* titulum adfinxerat. Plura de his tribus Missalibus initio libri tertii disputat Mabillonius, subjicitque *Disquisitionem de Cursu Gallicano*, id est de divinorum officiorum origine & progressu in Ecclesiis Gallicanis : cui duplicem junxit Appendicem, alteram *Probationum quarundam Liturgiæ Gallicanæ & Cursus Gallicani*, quæ duas Missas ex Missali Mozarabum, Epistolam Augustini ad Bibianum (quam tamen supposititiam censet pag. 100.) Sermonem in Vigilia Epiphaniæ, Testamentum illustris matronæ Ermentrudis, Fragmenta Cæremonialium, & Passionem Martyrum Cantianorum complectitur : alteram *variantium Scripturæ sacræ lectionum præcipuarum, ex Lectionario Gallicano*, cujus lectiones ex Scriptura petitas nec multum recedere a Vulgata, nec omnino cum illa convenire fatetur.

Hoc est argumentum summariumque totius operis, quod multa continet Theologorum animadversione digna. Quamvis enim lib. I cap. I & IX adversus Reformatos, quos *fratres aversos* nuncupat, de veritate carnis & sanguinis Christi in Eucharistia disputaverit, id tamen fecit sensu Pontificio; unde in Præfatione num. IX vocabulum *Transformationis* in tribus Missalibus occurrens, de *Transsubstantiatione* accipit, & quæ ibidem de sacrificio Christi leguntur, num. X ad sacrificium Missæ trahit. Porro num. XI primatum Pontificis ex Missali Gothico probare vult, & adversus nuperam Cypriani in Anglia editionem (Calendis Februarii anno 1683, pag. 41 a nobis recensitam) verba libri de Unitate Ecclesiæ, ibi pro spuriis habita, *Primatus Petro datur*, defendere satagit ex Pelagii Papæ II epistola VI, quo nullum codicem antiquiorem Anglos proferre posse sibi persuasum habet. Plura autem observanda reperient Antiquitatum Ecclesiasticarum scrutatores. Cujusmodi est, quod lib. I. cap. 6. n. 3 *Missam* pro festo apud veteres inoleviſſe statuit, & cap. 7 sacram supellectilem eos uno vocabulo *ministerium ecclesiæ* appellasse. Elegans etiam est descriptio formæ ac dispositionis Ecclesiarum seu Basilicarum cap. 8 comprehensa.

hensa. Cap. 9. de columbarum argentearum aurearumve in Baptisteriis & altarium usu prolixe disputat. Initio libri secundi num. 3 ait, ante annos mille *Adventus* nomen rariusculum fuisse, tametsi res ipsa erat in usu, scilicet præparatio quædam in Ecclesia solennis ad Natalem Domini rite præveniendum. Verum non ita ratum ubique ac definitum, ut nunc, Dominicarum numerum fuisse, sed in Ordine Gelasiano quinque, in Mozarabico & Ambrosiano sex, in Gallicano Missali duas tantum Missas adsignari. Præterea in observationibus ad Lectionarium plurima occurrunt ad criticam ritusque spectantia, quorum aliquot exempla adferemus. Pag. 114 confert Acta Genovefæ recens edita cum illis, quæ apud Bollandum exstant. Ista dicit *interpolata*, auctoremque vixisse post scriptam a Gregorio M. Benedicti vitam; Bollandiana *sinceriora* censet. Pag. 117 observat, Evangelium pro festo Epiphaniæ ex tribus Evangelistis contextum esse, triplicemque Christi manifestationem tunc etiam celebratam, nempe Adorationem per Magos, ejusdem baptismum, & primum miraculum in nuptiis apud Canam Galilæam : Pag. 123 ait, singulare esse, quod in Lectionario notentur *tres Dominicæ post Cathedram Petri*, quas hodie Septuagesimam, Sexagesimam, Quinquagesimam vocant, idq; propterea factum, quia in Conciliis Aurelianensibus, primo & quarto, Sexagesima & Quinquagesima ante Pascha prohibeantur. Pag. 141 142 disputat de hymno Prudentii, quem alii *ad incensum lucernæ*, alii *ad incensum cerei paschalis* inscribunt : Illis accedere Sirmondum, Menardum & Nicolaum Heinsium, & de quotidianis vesperis explicare, quibus & ipse Mabillonius subscribit, sed Heinsii rationem rejicit, quia Ennodius Ticinensis ante annum DXX Episcopus geminam cerei paschalis benedictionem scripserit. Pag. 149 Lectiones exstant, quæ olim in triduo solennium Rogationum ante festum Adscensionis in usu erant, quas ex ritu Ambrosiano illustrat Mabillonius. Hæc speciminis loco sufficiant. Cætera Lectorum diligentiæ committimus.

CONVERSATIONS CHRE'TIENNES PAR l'Auteur de la Recherche de la verité.

i. e.

i. e.

CONVERSATIONES CHRISTIANÆ, PER quas asseritur veritas Religionis & Disciplinæ Christianæ, compositæ ab Autore Libri de Indaganda Veritate. Editio nova, correcta & aucta.

Roterodami apud Rein. Leers. 1685. 12.

VIR celeberrimus, multoties a nobis nominatus, Malebranchius, ut Systema sententiæ suæ *de veritate*, in libro notissimo propositum, varia forma veluti indutum, acceptabilius & utilius redderet, jam ante aliquot annos libellum hunc conscripsit, quem nunc correctum & auctum *Typographus Roterodamensis* exhibet. Quemadmodum vero in alio ejusdem autoris, sed diversi scopi opere, quod *Meditationum Christianarum* titulum habet, *homo* interrogans & *Christus* respondens, ita in hoc collocutores tres introducuntur, quorum unus, qui *Theodorus* vocatur, docentis sive autoris ipsius personam gerit, alter qui nomen *Aristarchi* sumsit, & literis vitæque politioris moribus excultus sistitur, opponentis & dubitantis loco est, ita tamen, ut cedat rationibus Theodori, & amicum alium absentem, relatione colloquii, ab atheismo liberet. Tertius *Emstes*, sub juvenis nec docti, nec in mundo multum versati, sed ingenio præditi charactere, & ut non præoccupatus, producitur, qui vim argumentorum per ratiocinationem assequatur. *Dialogi* sive capita sunt *decem*, quorum summa eo tendit, *Deum existere & in nobis omnia & perpetuo operari, sed cum propter se ipsum agat, neminem felicem esse posse, qui ejus voluntati resistit, nec infelicem qui ei obedit.* Monstratur porro, *quomodo Deus cognoscatur & ametur, & quomodo ei resistatur, & in eum peccetur, ob naturæ corruptionem, & qua ratione per Redemtorem & mediatorem huic malo succurratur. Qualis sit ille Redemtor & quibus remediis cœcitas & malitia mentis nostræ corrigatur, per præcepta nempe Evangelica & per gratiam Jesu Christi, qui factus nobis est sapientia, justitia, sanctificatio & redemtio &c. 1. Cor. 1, 30.* *Dialogo* itaque *primo* de operatione DEI in nobis, ex principiis Autoris tractatur, sumta ab igne, cui assident Dialogistæ, & de

& de spina pungenti occasione. Erastes vero auditis dubiis & responsionibus ratiocinatur: *Id quod nobis dolorem sensibilem facit, ita non est anima, neque est spina, quæ pungit, sed est facultas alia superior, quæ se ipsam cognoscit, & ex sua voluntate agit, qua creavit & movet spinam, estque simul infinitæ potentiæ, ut spinam creare possit. Est ergo Deus, & nisi esset Deus, neque pungerer, neque quidquam sentirem, viderem aut cognoscerem.* *Dialogo* II occurritur objectioni, quæ religioni adversatur: *Si Deus in nobis sensum doloris vel voluptatis operatur, sequi a Deo nos impelli ad amorem non minus corporalium & sensibilium, quam spiritualium bonorum.* Respondetur nimirum, Deum operari per rationem: ratione vero non ferri hominem ad amorem, sed ad usum corporalium; amorem vero corporalium corruptæ rationi sive instinctui imputandum. Idem esse ait de concupiscentia, cum aliqua tamen distinctione: Replicatæ vero oppositioni, cur Deus peccati præscius id non impediverit, silentio, ait, satisfieri posse, quo indicetur, consilia Dei nobis occulta esse, & claris interim revelationibus standum; vel ita, ut dicatur, Deum libertatem homini ad peccandum ideo reliquisse, sine prævenienti ad bonum determinatione, ut tanto majorem gloriam ex restitutione hominis per Christum haberet, allegans illud: *O felix culpa, quæ talem ac tantum habuit redemtorem.* Hæc tamen in libris de *Natura & Gratia & in Meditationibus Christianis* post primam hujus tractatus editionem scriptis, uberius explicata a se esse monet. *Dialogo* III Cartesianum illud axioma *de non inquirendo in causas finales* declaratur, quod in Physicis utile sit, sed minime in Theologicis. Agitur itaque de ordine naturæ in creatione, & quomodo essentiam Dei in rebus creatis videamus; & quod spiritus noster nihil videat quam Deum, sive ut Dial. IV p. 103 scribitur: *mundum intelligibilem propriam esse Dei substantiam*; idque pluribus explicatur. Idea omnium rerum statuitur esse in Deo, sensus in nobis, sed Deum solum veram sensus causam esse. Adduntur alia de investigatione causarum generalium & particularium, & de amore quo bona particularia persequimur, adversus ordinem naturæ, cum ad Deum referre affectum amoris debeamus, sive ad bonum universale; inde fit, ut peccemus, quoties ad particularia deflectimus, & propterea pœni-

tentia neceſſario opus habeamus. *Dialogo* IV in cauſam peccati inquiritur, ſive in culpam originalem, qua fit, ut Deum non videamus nec ſentiamus in omnibus rebus, ſive quod non percipiamus ejus præſentiam; hoc enim ſi poſſemus, nihil aliud quam Deum vel timeremus vel amaremus. Adamum vero, licet DEUM in omnibus rebus clare videret ſive cognoſceret, quoniam tamen ſentire eum non poſſet, quomodo ſentiebat creaturas, ſenſibus nimium tribuentem, a Deo averſum fuiſſe. Deſcribitur inde transmiſſio peccati, quod fiat propter unionem partus cum matre, cum qua easdem cerebri impreſſiones, & emotiones ſpirituum habet a ſenſibus effectas, & tendentes ad ſenſualia; at non æque communicari notiones de Deo, quas mater habet, quia Deus non eſt ſenſibilis. De concupiſcentia ita diſſerit, ut præciſe nihil ſit, quam defectus poteſtatis, quam anima in corpus habere debet, ſed peccato Adami amiſit. Putat tamen in piis adultis illam non eſſe peccatum, quia amorem voluntarium ſive electionis habent erga Deum, nec regnare patiuntur concupiſcentiam: at in infantibus concupiſcentiam regnare, amore quippe voluntario deſtitutis, & ideo eſſe filios iræ & damnari, quanquam ob eundem voluntariæ electionis defectum *pœnam* tantum, quæ vocatur *damni*, paſſuros, quia juſtitia Dei non permittat, ut non voluntarie peccantes æternis cruciatibus puniantur. Agnoſcit autem Autor, opinionem ſuam de transmiſſione peccati per matres, non quidem contrariam eſſe ſententiæ Patrum eccleſiaſticorum, imo analogum aliquid apud Auguſtinum reperiri, ſed qui ante eum vixerunt, materiam hanc non ea ſubtilitate tractaſſe, quia fide ſimplici myſteria divina tunc credebantur, non deſideratis demonſtrationibus probabilibus. *Dialogo* V præmittitur admonitio de peccati contagione inter homines, per quam affectus defectusque ſuos communicant, & quod neceſſe non ſit modum inveſtigare & ſcire, quomodo peccatum originale in nos transmittatur, ſed ſufficere, ſi agnoſcamus, quod peccatores naſcamur. Inde de remediis mali tractat: ea vero neque ex Philoſophia pagana, neque ex Deiſtarum aut Mahometi doctrina, imo ne quidem ex lege Moyſis, niſi quatenus Chriſtum præfiguravit, peti poſſe, ſed mediatore opus eſſe, Domino ſcilicet noſtro JESU CHRISTO, DEO & homine. Satisfactionis etiam

etiam neceſſitatem adverſus Socinianos adſtruit ex juſtitia Dei: nec ab exemplo hominum, qui offenſas gratis remittere poſſunt, argumentum procedere; hos enim injuſtos eſſe & ulciſcendo & remittendo, nec modum, quo Deus utitur, tenere. Quod ſi Deus creaturam tam ſanctam & perfectam creaſſet, quæ æque ac Chriſtus pro nobis ſatisfacere potuiſſet: hanc creaturam Deo æqualem fuiſſe futuram, cum gloriæ ejus diſpendio. Standum itaque eſſe doctrina Chriſtiana de ſatisfactione, per Chriſtum Deum & hominem, ad conciliationem generis humani cum Deo, præſtita, cum nulla religio quidquam aliud oſtendere aut probare poſſit, quod eundem effectum præſtet. Nec obſtare, quod Deus præviderit peccatum, & impedire potuerit; ſufficere enim nobis debere, quod ſciamus, illum peccatum pro ſapientia ſua permiſiſſe, ejusque reparationem per filium ab æterno ordinaſſe, majoremque gloriam ex hujus filii ſui obedientia & ſatisfactione ſibi paraſſe, quam ex hominibus non peccantibus adquiſiviſſet. Ex hac ipſa œconomia Dei, de ſatisfactione Deo per Deum præſtanda, pluralitatem perſonarum neceſſario ſequi & demonſtrari: denique Chriſto etiam deberi exiſtimat, quod damnati non penitus annihilentur, nec pœnas meritis ſuis & infinitæ majeſtati divinæ examuſſim pares patiantur, tum etiam gradus in his ſentiant, atque ita Chriſtum, quia Salvatorem noluerunt, ut juſtum tamen judicem patiantur. Fatetur ſe quædam ſcribere, quæ nova videantur, illis nempe qui Chriſtum non ſatis cognoſcunt, licet in ſinu Eccleſiæ vivant; neque enim Chriſtum, ait, amant, nec Scripturas ſcrutantur, nec alia de cauſa religionem Chriſtianam profitentur, quam quod eam a parentibus acceperint. Sanctos autem legere Scripturas ea mente, ut Chriſtum in ea inveniant, & invenire. *Dialogo* VI ad atheorum impudentem dubitationem, annon Moyſis miracula conficta eſſe poſſint, nec majoris ponderis ſint habendi ejus libri, quam Alcoranus Mahometi, multa reſpondet. Inter alia docet, impoſſibile eſſe, ut toti Judæorum populo, per fabulas, tam dura lex, & tam incommodus & fœdus ritus, qualis videbatur circumciſio, perſuaderi potuiſſet. Niſi igitur teſtimonio majorum ſuorum convicti fuiſſent, de veritate geſtorum a Moyſe, nunquam ſub diſciplinam illam fuiſſent redacti. Quæ vero Mahometo aſſignantur

miracula, ludicra esse & nugatoria, si cum Moysaicis conferantur. Quod si dicatur, beatitudinem a Moyse promissam temporalem saltem esse, cum nihil loquatur de resurrectione mortuorum & vita æterna, atque ita Mahometis doctrinæ non absimilem, in qua voluptates carnales in Paradiso fruendæ pro ultimo fine commendantur: respondendum esse; veros, fideles & spirituales Judæos fuisse, qui promissiones temporales, pro typis spiritualium habuerint, atque sic cum Christianis eadem crediderint. Summo inde studio ad lectionem sacrarum literarum Christianos exhortatur: nec deterreri quenquam debere propter loca obscuriora: hæc enim veneranda esse, sed standum claris & liquidis: neminem autem salutariter lecturum esse sacras literas, nisi Christum amet aut amare velit: at iis qui sensibus dediti sint, obscuras & clausas mansuras esse, non minus quam Judæis carnalibus. Tangit per occasionem, & stabilire vult opinionem Cartesianam, qua anima brutorum negatur. *Dialogo* VII rationabilitatem disciplinæ sive Ethicæ Christianæ explicaturus, repetit ex libro de Inquir. ver. dogma, de unione nostra cum Deo, abstracta a sensibus, per quam solam ad perfectionem pervenire possimus: dein monstrat, ad eam tendentibus necessariam esse fugam ab objectis sensilibus eorumque actionibus, quibus turbamur & impedimur, quo minus per intellectus & contemplationis puritatem, sive per cognitionem veritatis, Deo uniamur. Evangelica vero præcepta de fugiendis voluptatibus, & coercendo corpore, ad eundem finem tendere, nec vere sapientes esse, aut ad perfectionem intelligentiæ pervenire, qui multa licet doctrina instructi, & phantasia & memoria valentes, a sensuum tamen turbamentis sive affectuum intemperie non sint puri. Exemplum Cartesii proponit, qui per annos XXV in secessu vivens, errores sensuum animadverterit, & plura meditando quam legendo, ad unionem intellectus cum Deo arctiorem pervenerit; unde in Geometria, Physica, aliisque disciplinis tantos fecerit progressus: At quod non æque in Metaphysicis profecerit, in causa esse, quod non plane a rebus mundi separatus fuerit. Addit non sufficere, si quis libros optimos, v.g. *Cartesii* legat, intelligat, aliis explicet; hæc enim omnia ab imaginatione & memoria esse: sed ad perfectionem spiritus secessum atque mortificationem sensuum & affectuum requiri; neque

neque Christi doctrinam eo tendere, ut Matheſin vel Philosophiam aut alias veritates ad salutem non necessarias discamus. *Dialogo* VIII explicat ista fusius, & scopum Evangelicæ doctrinæ inculcat, ut a rebus corporalibus & peccatis abstracti, & Christo uniti, ad cœlum evehamur. Perfectionem igitur illam urget, non quæ speculative cognoscat veritates, sed quæ consistat in amore veri boni, in charitate æternum duratura, & æternitatem, ut ait, merente. Ut vero abstractioni seu renuntiationi & abnegationi a Christo præceptæ locus fiat, fugienda esse omnia, quæ per sensus & imaginationes cerebro nostro stigmata quasi & vestigia aut orbitas imprimunt, & ad voluptatum usum alliciunt. Agnoscit quidem quosdam experimento & satietate voluptatum corrigi, sed id rarius esse & periculosum. Examinat inde problema ex hypothesi suæ philosophiæ, quod *omnis dolor & omnis voluptas a Deo causam habeat*; unde videri possit, nos sine peccato voluptatibus usuros, si ad Deum causam referamus, eumque propterea amemus. Docet autem, talem amorem proprium potius esse nostri, quam Dei. Itaque consilia & præcepta Christi, de fugiendis & dimittendis bonis apparentibus & perituris, utcunque gratis & delectantibus, optima, & admiratione dignissima esse, utut dura & difficilia videantur: ideis tamen Platonicæ Reipublicæ comparari non debere, quia Christus vires subministret, ut præstare possimus, quæ jussit. Itaque *Dialogo* IX de auxilio gratiæ ejusque necessitate agitur, cum in statu nostro corrupto non sufficiat, ut voluptatibus solum nos privemus; licet illa privatio, si motu sancti Spiritus fiat, optima sit ad gratiam accipiendam præparatio. Declarat hoc similitudine bilancis. De efficacia vero gratiæ ita disserit, ut dicat, omnem gratiam per se & absolute consideratam efficacem esse, sed non semper, si relative consideretur. Gratiam vero ex suis principiis describit, quod consistat in illuminatione & in delectatione prævenienti, quam comitetur gaudium apud perfectiores. Addit alia de gratia majori ad vincendas tentationes. Magnum vero & cogitationum de Deo, & & precum impedimentum oriri a delectationibus mundanis, ideoque fugiendas has esse, si amorem Dei in nobis excitare velimus. Ab hac fuga seu privatione voluptatum incipi debere, nec extraordinaria gratiæ subsidia expectanda esse. Specimen nobis datum esse per

Johannem Baptiſtam, qui voluptatum & delitiarum abſtinentia in adventum Domini ſe præparaverit; diverſi longe inſtituti eſſe heroes noſtros, quos vocat, ſive elegantes illos & generoſos homines, ad ſeculi mores compoſitos, qui in media voluptatum & delectationum perceptione, gratiæ nihilominus auxilia ſibi promittant, aut expectent. Quamvis vero exemplum Johannis imitandum omnibus non ſit, isque auſterius vitæ genus ideo elegerit, quia gratiam ad quam ſe præparabat, ipſe dare non poterat; imitandum tamen eſſe Chriſtum, qui & gratiæ diſpenſator ſit, & rectum & moderatum uſum temporalium rerum nos docuerit, ut in mundo vivere poſſimus, neque tamen mundi ſimus mancipia, ſed in libertate, quam per gratiam adipiſcimur, conſervari queamus. Concludit, ſocietatem civilem minime averſandam eſſe Chriſtianis, imo laborandum, ut talis colatur, quæ poſt mortem quoque duret, & amicos veros in cœlo olim jungat. *Dialogo* X ex collocutoribus adoleſcens ille *Eraſtes* non comparet, ſed relicta epiſtola ſignificat, ſe ad ſolitariam vitam inſtituendam inſalutata matre & amicis diſceſſiſſe, convictum ſcilicet, quod hæc via ordinaria & tutiſſima ſit ad Deum; neque ſe ab illecebrarum vinculis aliter expedire potuiſſe. Referuntur ultima ejus verba, cum alterum amicorum *Ariſtarchum* poſtremum conveniſſet, quibus periculum commercii cum hominibus, ſeculi more viventibus exponitur, & ex diſſipatione affectuum in objecta ſenſibus præſentata, periculum commonſtratur. Itaque ad hujus exemplum etiam *Ariſtarchus* ſeceſſum meditatur, ſtudio ſacræ Scripturæ ſeſe totum dediturus, approbante, qui magiſtri perſonam gerit *Theodoro*. Adjiciuntur in fine meditationes octo de humilitate & de pœnitentia, cum totidem elevationibus ad Deum ex meditatione præcedenti elicitis. Conſideratur autem homo in quatuor prioribus meditationibus, ut *per ſe nihil*, & qui omnia habet a Deo, dein meditatione *V & VI* ut *filius peccatoris*, & meditatione *VII* ut *ipſe peccans*. In hac, quod obiter notamus, autor ita exaggerat ſtatum peccatoris, ut majori odio dignus ſit, quam damnati & dæmones. Damnatos enim, etiam in malitia ſua honorem Deo ſuppliciorum paſſione exhibere, accedente conſideratione ſatisfactionis Chriſti, ſupplentis, quæ damnatis deficiunt ad plenariam pœnarum exſolutionem. *Meditatione* denique

denique VIII pœnitentiæ, qua voluptatibus renuntiamus, neceſſitas oſtenditur. Quamvis vero quædam etiam in his Dialogis & meditationibus ex noto ſyſtemate Autoris derivata, aut paradoxa reperiantur, quæ examen & cenſuram fortaſſe non effugient, multa tamen ſunt, quæ inſigni acumine, & raræ elocutionis efficacia, animos legentium ad ſinceræ pietatis ſtudium movere poterunt.

CONRADI PEVTINGERI SERMONES CONvivales, de finibus Germaniæ contra Gallos. Accedit ejusdem de inclinatione Imperii fragmentum, itemque Beati Rhenani origines Gothicæ, Hermanni Nuenarii origines Francicæ, Abrahami Ortelii antiquitates Gallo Belgicæ.

Jenæ apud Tob. Oertling, 1684, in 8.

QUum ſingularia ſtudiorum argumenta non adeo cathedras occupaſſent, magni ac de republica egregie meriti homines, in aulis atque præclaris urbibus, ingenia ſolebant intendere, eo, ne quid contra veritatem, bonarum artium decus, pacem & utilitatem publicam admitteretur. Tales libelli poſt literas meliores reſtitutas, prodierunt ſane plures atque eximii; cum tempore vero ſe nobis rurſum ſubducturi, niſi collectores fuiſſent quaſi pereuntium tabularum, quibus provida harum deberetur conſervatio. Inter præcipuas juxta reputamus *Sim. Schardium* & *Melch. Goldaſtum*, qui plenis voluminibus inſtruxere bibliothecas, dum ſparſa paſſim opuſcula, jamque fugacia, tanquam membra in ſolidum corpus redegerunt, profuturum adprime poſteris. Vterque exhibet *CONRADI PEUTINGERI Sermones convivales*; ille quidem tomo primo Rerum Germanicarum, hic vero parte viceſima Politicorum Imperialium; de admirandis Germaniæ antiquitatibus, contra quosdam ſui ævi doctos, qui ut ſaperent aliis rectius, florentiſſimas patriæ terras Gallis adſcripſerant. Hic tamen qua erat præditus interiore memoriarum vetuſtiſſimarum notitia, in Senatu præterea Maximiliani I Imp. non infimo loco conſtitutus, amore nativi ſoli repreſſit furorem inique ſentientium, ex monumen-

numentis incorruptæ fidei, argumentatione inversa demonstrans, provincias trans Rhenum, supremis maxime temporibus, Galliam Belgicam, Lotharingiam, Burgundiam, atque vicinam Alsatiam, cum reliquis in proximo sitis civitatibus, Imperio semper paruisse. Occasionem viro majestatis patriæ amantissimo præbuit convivium, a Matthæo, metropolitanæ Salisburgensis coadjutore, postmodum Romanæ S. Angeli diacono, & Cardinale Gurcensi Ratisbonæ institutum; in quo libera & ingenua collocutione de plurimis, non quotidie obviis, sermocinabantur: unde nomen quoque libello inditum. Quod autem hic in manibus foret paucorum, a multis etiam negligeretur, ea cumprimis ætate, qua facies rerum immutata est, ut præter alias causas ederetur seorsim, non ultima visa fuit clarissimo & de elegantioribus studiis præclare merenti *Georgio Schubarto*, nostrorum oculis ingerere denuo, quæ majorum virtus, inque finibus patriæ tuendis animus fuerit acerrimus. Aliorum scripta, quæ titulus exhibet, non tam in cumulum accedere voluit Editor, quam ut brevitate sua cultoribus antiquitatum stimulos addant, majori industria de republica optime merendi.

GEORGII STIERNHIELMII ANTICLUverius, sive Scriptum breve Johanni Cluverio Dantisco-Borusso oppositum; Gentis Gothicæ originem & antiquissimam in Scandia vel Scandinavia sedem vindicans, ut & ejusdem de Hyperboreis dissertatio brevis: opuscula posthuma.

Holmiæ, typis Henrici Keysers typogr. Reg. anno 1685, in 8.

QUod qui gentium origines eruere moliuntur, sæpius aut partium studio abrepti, aut audacia ducti, fabulas pro historiis venditent, novo exemplo *Philippi* (perperam enim in titulo & præfatione *Johannes* ponitur,) *Cluverii Dantisco-Borussi*, Autor libri hujus nobilissimus docet. Nam is non tantum contra Jornandis Gothorum Episcopi & historici; verum etiam exterorum ex Italia Hi-

Hispania, Gallia & Anglia Scriptorum fidem, nec non monumenta antiquissimis literis Runicis, rupibus prægrandibus & columnis saxeis incisis, expressa & hodieq; in Suecorum terris videnda, in libro de *Antiqua Germania*, Gothorum nomen & sedes antiquo loco (*Scandiam* sive *Scandinaviam* puta,) motas in Borussiam suam transtulit. Quod videns, dum viveret, Stiernhielmius, indignatus est, Cluverium ausu temerario Gothorum primordia in latebris & recessibus Borussiæ & Cassubiæ quæsivisse. Quapropter sententiam hujus primum recenset & confutat; dein vero testimoniis & variis argumentis confirmat, sedem & patriam, a primis usque temporibus & Noachidarum ex Asia migrationibus, *Gothorum* antiquissimam & hereditariam esse *Gothiam*, quam hodie etiamnum incolunt, in immensa illa peninsula, gentium vagina, *Scandia* sitam, intra fines nempe regni *Sueciæ*, quod ex duobus diversorum nominum, unius vero originis & linguæ populis, *Sueonibus* & *Gothis*, jam olim coaluerit; ubi duabus itidem, a regionum inter se situ mutuo appellationibus, in *Ostrogothiam* & *Westrogothiam* distinguatur. In *secunda dissertatione*, huic primæ subjuncta, disquirit: *an Gothi & Sueones Scythæ vel Celtæ fuerint?* Ubi quidem Gothos a quibusdam Scythas appellatos esse admittit; at *Gallos* a Romanis & Græcis *Celtas* dictos esse pag. 107 seq. concludit. In *tertia dissertatione* negat Scandiam Germaniæ partem esse, vel recte eidem accenseri posse. Tandem appendicis loco additur ejusdem Autoris *dissertatio de Hyperboreis*, qua Græcorum de his commenta & fabulas refellit, ostendens fuisse illos Boreales populos & Suecos, quibus cum Græcis antiquissimum fuerit commercium. Qua occasione p. 151 seq. de origine *festi Juli*, quod ethnici in Suecia eodem tempore celebrabant, quo festum nativitatis Christi Christiani, exponit. Hoc nempe ab *Haquino Adelstein*, tertio Norwegorū Monarcha, circa annum Christi 936 institutum, hodie quoq; pro Natalitiis Domini a Suecis celebratur. Mensis nempe December, quo festus ille dies antiquis Gothis ac Suecis solennis fuit, *Jule-Giuli-Hiule månat*, hoc est, mensis tropicus vocatus est, quod in illo fieret conversio anni: vox enim illa rotam & conversionem denotat. Unde festum illud *Hiule-hatiit*, hodie *Jule-Högtiid*, idem est ac festum conversionis anni, quo maxima illis erat causa lætitiæ.

MATTHIÆ VVASMUTH, S. THEOLOGIÆ Doctoris & Prof. ordinarii in Acad. Holsat. Christian-Albertina, Annalium cœli & temporum restitutorum, sive Operis Astrochronologici, cum novis Tabulis motuum perpetuis, & organo revolutionum harmonico ab origine mundi, Sciagraphia rerum & ordinis &c. ad summos Mecœnates orbis eruditi.

Kiloni, anno 1684, in fol.

QVid laboris sibi celeberrimus hic Autor in reconcinnandis cœli temporumque annalibus, ab annis plus minus sedecim abhinc sumserit, & qua demum ratione, post frustra consumta tot tantorumq; mathematicorum studia, difficultatibus suis Chronologiam, cum præcipua Astronomiæ parte, exuendam esse contendat, *literæ* ejusdem, *Transactionibus Anglicanis anni 1674* insertæ, Operiq; suo novo velut idea quædam præmissæ, Orbi erudito tumprimum explicuere. Visum est deinceps Autori anno 1678 (quo ipso & Legatis Regum Principumque, conficiendo tum pacis negotio Noviomagi incumbentibus, notitiam hujus rei brevi transmisso scripto fecit) eas recusas, & experimento mathematice demonstratorum, diluvialis anni dierumque in S. Literis expressorum, comprobatas, jungere Kiliæ-tunc prodeunti, *Matheſi Mosaicæ* clarissimi Professoris Kilonensis *Samuelis Reiberi*; cujus Viri μαθηματικοπάτρα, insuperque testis oculati, accedens honorificum elogium, & suffragatio eximia pro hypothesi Wasmuthiana, tanto eruditis salivam movit copiosius, quanto, quæ de eadem eousque innotuerant, difficiliorem invenerant fidem apud Astronomos celebriores, quibus laudatus Autor aliqua privatim Operis sui præmetia, velut in prægustum indulserat.

Tollendis ergo præjudiciis istis, quibus urgeri promissa sua, tantum non pro impossibilibus passim habita, Autor animadvertit, conciliandisq; summorum magnatum animis, ut fœtui in lucem publicam nitenti obstetricantes manus munifice admoverent, Sciagraphiam hanc Operis Astrochronologici pleniorem publico adornavit,

ornavit, novo insuper specimine apodictico instructam; computo scilicet eclipsium Solis & Lunæ, ab ipsa creationis fixa radice, citra calculum trigonometricum instituto, & in exemplum deliquia Luminarium anni 1684 tum ineuntis, exhibente. Nihilque adeo jam supereſt, nisi ut ipsa Operis editio, (cujus sumtus, interpellatione & consilio excellentissimi Olivenkranzii, glorioſa omnino & ad posteritatis memoriam duratura munificentia, in se susceпisse Serenissimam Suecorum Reginam CHRISTINAM, dum hoc scribimus, certo ipsius clarissimi Autoris nuncio accepimus) propediem subsequatur, spemque de se præbitam, apud eruditos promiscue, ad eximiam seculi nostri felicitatem impleat.

Ex Sciagraphia interim, quæ annum præ se fert editionis 1684, ad nos tamen adulto demum anno 1685, nec nisi clarissimi Autoris liberalitate, pervenit, seriem & argumenta Operis in septem libros digesti prælibare, non ingratiis ut speramus, B. Lectoris, constituimus. Aget vero dictorum librorum

Imus, in genere de tempore, & motu cœlesti, (1) de illius quidem partibus & speciebus, cyclis item & revolutionibus, naturalibus (sabbaticis hebdomadum & annorum) & fictitiis, Juliana & similibus periodis &c. (2) de diversis anni formis & calendariis: (3) de motuum cœlestium modis & ordinibus, pro varietate systematum mundi, posthac ociosa; sublatis hoc opere, quod Autor spondet, e voto magnorum pridem mathematicorum, cum calculo trigonometrico, hypothesium cæterarum difficultatibus.

Ildus, in specie de tempore & motu Solari, basi reliquorum: (1) annuo, communi civili, olim Ægyptiaco; tropico, tam medio technico (suppositа ecliptica circulariter in se reducta versus æquatorem) quam vero (in ecliptica spirali penes sese versus occasum reducta) utrolibet tamen semper præcise citra ullam anomaliam æquinoctiorum (nasum cereum anno tropico affictum) æquabili, cum justa retrocessione æquinoctii; Juliano, ejusque justo supra utrumque tropicum excessu; sidereo, cum suo etiam excessu astronomico, adductis ubique vulgatæ astronomiæ adversis sententiis: (2) intraannali, semestrium, quadrantum, mensium, & motus

Solaris in iis justa quantitate, & hujus tam medii quam veri æquabilissime inæqualis per prostaphæreses summe proportionales, semperque ad eosdem cardines cœli præcise excurrentes, cum justa æquatione dierum naturalium æqualiter inæquali; adeo ut ex tabulis Operis pro quovis tempore in promtu sit motus Solis ei conveniens, & vicissim, vel sine calculo, vel levi saltem additione aut subtractione: (3) de novæ restitutionis hujus fundamento cyclico, nullibi usquam variabili, harmonicarum revolutionum, omnium continue tendentium ad apocatastasin tandem absolutam, circulo quodam æternitatis æmulo, sed jam apodictico (e natura) temporis initio, certo Atheorum exitio: dum præcipue (4) res chronologicæ insigniores, ab initio mundi hucusque, sigillatim per annos astronomico-Julianos veros perpetuo nexu in tabulis chronologicis ita ob oculos ponuntur, ut in tempore gesta fidem etiam semper faciant temporibus omni exceptione majorem, consensu historiæ sacræ & profanæ, motuumque cœli perpetuo.

IIItius, de tempore & motu Lunari omnivario (sed invariabili semper uniuscujusque horum quantitate præcisa in minutis usque) medio & vero, hoc inæquali, sed itidem æquabilissime per prostaphæreses summe proportionales, periodicas, annuas, synodicas (pro triplici inæqualitate, Noviluniorum collectorum, Novilunii singuli, Phasium Lunæ) similiter semper recurrentes ad parem iterum Lunaris spiræ a terra altitudinem, certa periodo anomalistica se restituentem: independentem adeo ab omni parallaxi, refractione, distantiis aut diametris Luminarium: iisque omnibus, ex eodem fundamento cyclico & apocatastatico, & eadem fixa radice, vernali scilicet simulque Noviluniali exorsu mundi, in meridie paradisiaco, adeoque meridiano primo, ad alios, ceu subsequens Sciagraphiam specimen eclipsium ostendit, reducto: destructa hoc pacto Solaris & Lunaris motus incommensurabilitate, tantopere ab Astronomis hucusque credita aut propugnata.

IVtus, de LuniSolari computo, Politico & Ecclesiastico: (1) Juliano & Gregoriano, utroque erroneo, semperque variabili, quod fuse in ipso Opere Autor ostensum iri pollicetur: (2) novissime restituto, continua nempe & uniformi in Tabulis expansis, (per omnes & singulos mundi annos præteritos & futuros) recensione vera

vera omnium characterum astrochronologicorum, quo nempe die mensis, & quoto die mundi, feria hebdomadum, hora, minuto omnes & singuli facti & futuri sint; item Novi- & Pleniluniorum Paschalium, nec non omnium motuum Lunæ, ejusque Apogei & Nodi, adjecta etiam progressione fixarum præcisa, nec non motu Apogei, rectius (juxta Autorem) excessu anni Juliani supra tropicum. Quorum omnium synchronistica deductio in Tabulis independenter fiet ab omni Epocha astronomica, dum hæc omnia continue ab eadem cardinali Zodiaci sectione prima, aque primo primæ diei momento creationis mundi procedunt. Non temere (3) sumta cum aliis Chronologis & Astronomis libertate, undecunque auspicandi epocham mundi, retrogrediendo scilicet cum præsumta annui temporis & motus quantitate, abhinc ad initium mundi, incerti variique signi zodiacalis, mensis, quadrantis, anni, feriæ hebdomadicæ, diei, horæ; vel totis annorum centenariis, quin millenariis hic desperate controversis; nullo adjumento famosæ periodi Julianæ, meræ postulatitiæ (*jamque a Ricciolo in Alm. l. 4. c. 19, & Chronologia reformata parvi pensæ*) & arbitrariæ. Ex quibus (4) Autori consequitur methodus calculi ecliptici longe rectior faciliorque; & (5) usus geographicus inveniendæ veræ longitudinis locorum, per justas & præcisas differentias meridianorum, rectius ac unquam dignoscendas ex justo tempore Solari tum æquali medio, conservato semper penes abeuntes de loco, per novum chronometron hydrargyrocylindricum invariabile; tum vero inæquali, constante mox per Tabulam justæ æquationis dierum naturalium, eoque tunc conferendo cum tempore viso loci, in quo (per sciathericum) ut ex data differentia temporis (loci in & a quo) haberi possit longitudinum differentia.

Vtus, de Epochis temporum sacris: omnibus & singulis evidenter secundum S. codicem Hebræum nunc expositis & demonstratis, solutisque earum nodis omnibus, per tempora mundi continua astronomice verissima. Qui codex juxta Autorem, expressis aliquot feriis hebdomadum septenis, & indictivis Paschatum terminis talia continue nectit tempora mundi, quæ motibus siderum exacte conformia, & sic unice vera demonstrari possunt: iisq; adeo fundamenta sua prima, etiam prædictionibus naturali-

bus æquinoctiorum, neomeniarum, eclipsium, epactarum &c. suppeditet; & hoc suæ divinitatis charactere præ omnibus aliis totius mundi libris notabilis: funditus subruendis tum bibliomastigibus atheis, chronologiæ sacræ sugillatoribus; tum Vossii Waltoni & sequacium molitionibus, in extollenda supra Hebræum textum versionis LXXviralis autoritate & chronologia, extensa plus justo mundi, totis 14 vel 15 seculis, ætate. Restituetur autem hac apodixi astrochronologica & ætas mundi, a probatioribus chronologis, Scaligero, Calvisio, Alstedio, Helvico &c. infeliciter totis 192 annis truncata; juxta Autorem ad æram Christi nati, annorum completorum 4141.

VItus, de æris exoticis, historiæ profanæ familiaribus, Nabonassari, Olympiadum &c: quomodo nempe illarum anni Ægyptiaci recte connectantur cum annis astronomico-Julianis mundi & Christi, singuli cum quolibet, & omnes inter se: tum etiam quomodo intra annaliter illarum menses & dies mensibus & diebus Juliani anni respondeant: intelligendis veterum chronologiæ & observationibus, quibus familiares illi fuerunt. Quem labyrinthum inextricabilem, sensu principum inter Astronomos virorum, ita plane & evidenter in Tabulis, per mille fere annos, in quibus Ægyptiacus ille stylus in usu apud veteres reperitur, explicatum Autor pronunciat, ut nunc demum antiquissima observata cum hodiernis pro elicienda apodixi chronologica conferri possint.

VIImus, de Emendatione temporum Calendariographica seu reunione legitima styli Juliani & Gregoriani, e præmissis velut pandectis scripturæ & naturæ chronologicis canonica & irrefragabili. Ad qualem non sufficere Autor ostendet media ab aliis hactenus proposita; sive calculi astronomici in subsidium advocandi, depromendique ex Tabulis, utut subinde melioribus atque melioribus, nunquam tamen (si suetis hucusque modis institerint earum conditores) vel anni Solaris tropici, vel Lunationum debita quantitate (utroque hic unice fundamenti loco substernenda) cœlo usquequaque consonaturis; sive tertia aliqua e Juliana & Gregoriana conflata cyclica calendariorum ratione; utroque illo computo hactenus recepto precario & vitioso periodi Julianæ nitente fundamento

mento, plurimisque, quod alii claris dudum evicerint argumentis, falsis laborante hypothesibus, summe intricato, inque proprios canones impingente: Requiri vero ex ipsa natura genuinum computum cyclicum, juxta quem nunquam aliter hic loquamur, ac cœli nobiscum loquantur, (1) justa æquinoctii fixione; (2) intra annali mensium, juxta signa Zodiaci, forma ac quantitate nativa, usui etiam politico accommodatissima; (3) Paschatos justa & vera ordinatione cyclica per justam quantitatem mensium Lunæ synodicorum, indeque pendentes Epactas genuinas, & veros Terminos paschales, juxta naturam simul & canones ecclesiæ; ut tandem (quod sua proposita restitutione, omnibus pridem recte captis observationibus ex asse in Tabulis vere perpetuis satisfaciente futurum spondet Autor) facta tam momentosa correctio nulla deinceps in omne ævum egeat recorrectione.

In specimen porro Operis apodicticum, Sciagraphiæ subjunctus est computus cyclicus Eclipsium Solis & Lunæ anni Christi 1684, mundi 5825, sine omni calculo trigonometrico, aut schemate, astronomorumve epochis & Tabulis erroneis; deductus continue ab ipsa creationis Epocha vernali, principio ♈ exorso in meridiano paradisi (orientaliori circiter Dantiscano H. 2, 28; Romano & Francofortano, H. 2, 48; Uraniburgico & fere Veneto, Lipsiensi, Bononiensi, H. 2, 54; Hamburgensi H. 3; Parisiensi, H. 3, 44; Londinense H. 3, 53; corrigendis posthac dubiis his longitudinibus, ex collatione Tabularum Autoris & observationum) cœpto tunc primo die naturali primi mensis verni Abib seu Nisan, primaque feria Solis; civilis vero diei initio tunc 6 horis post facto, ipso exorsu lucis primævæ in horizonte paradisi occidentali, primo hodie meridiano geographorum super insulas Azores; sideribus quarto post die ita a Deo in Ecliptica locatis, quasi cum ipso mundi exordio Sol, Luna & omnes a meridie Paradisi processerint; idque in harmoniam perpetuam temporum & motuum: non ficta aliqua hypothesi, sed realissima, e natura & scriptura simul suggesta thesi, comprobante eam calculi experientia, hac solum ratione phænomenis cœlis conformis.

Duæ hujus Speciminis sunt sectiones: Prima *Theorica*, novam exhibens theoriam motuum, & vera ac naturalia principia computi novi cyclici eclipsium; quæ sunt I. Ex-

I Exorsus communis omnium temporum & motuum, sive Epocha creationis, nunc maxime certa : deductum abinde calculum unice conformem sistens tum observationibus, tum feriis hebdomadicis, in historia sacra profanaque passim adnotatis ad certos dies, certorum mensium annorumque : cujus exempla Autor ex S. S. strictim indicat.

II Annui Solis motus & tempora, computati ex apocatastasi Solari secundum

(1) Annos singulos continue mundi & Christi Hebræos (Ægyptiacos) tropicos medios & veros, Julianos civiles, sidereos. Hos vero omnes mutuo nexu commensuratos sistit tum Tabula collecta ; tum expansa pro singulis annis unius periodi 112 annorum ; tum aliæ novem expansæ : omnibus & singulis annis alligatis, ad historica eventa illustriora totius mundi, & ad certos characteres cœlestes.

(2) Sabbathismos, (septennia annorum, quæ semper incidunt in sabbatha terræ Mosaica, annis feriisque sabbathicis, legis & naturæ semper iisdem) solos & semper naturaliter sive tropice in præcise plenam horam, ó, ″ó, ″ó, &c. & horum porro quaterniones, seu quatuor septenniorum cyclos Solares, alterne in præcisum quadrantem aut semissem diei ; horumque porro quaternionum quaterniones sive periodos, in solidum præcise diem bissextilem ; denique septenarum harum periodorum (28 cyclorum, 112 septenniorum, 784 annorum) revolutiones magnas, in solidam & præcise completam hebdomadem mundi, feriam Saturni, Hor. o. ó. ″ó &c. exeuntes. Teste perpetua seculorum experientia, per observationes cum Tabulis collatis manifesta, & organo peculiari revolutionum rotatili amplo, absolutas esse anno 1684 ab origine mundi præcise septem revolutiones magnas, cum tribus periodis.

(3) Chronologicos excessus continuos mediorum annorum & motuum supra veros (sive per justa exemtilia de mediis temporibus & motibus) in quo cardo consistit rei astrochronologicæ ; hosque (α) naturales annorum tropicorum mediorum supra tropicos veros, quorum utrorumque rationem Autor, adjecto etiam Schemate tradit ; tum (ℰ) civiles anni Juliani, *quibus supra tropicos veros alterum tantum conficitur, quam supra tropicos medios ; utrumque*

utcunque hoc grande paradoxon videatur primo, & inauditum in orbe astronomico : id ipsum evidenter evincente motu apogei Solaris, sed alia juxta Autorem modo, quam hactenus recepto ; quo cœlum turbetur absurdissima illa ἀσυμμετρία, juxta quam olim motus Solis diurni medii in extremis tropicorum circulis, longissimi vero & brevissimi facti essent sub æquinoctiali, seu media plaga cœli.

(4) Integras naturaliter conflatas massas seu summas temporum & motuum, annorum, cyclorum, periodorum, revolutionum quibus a primordiis mundi ad anni 1684 æquinoctium vernum, ingressum d. 9 Martii, feria Solis completa, fluxere septem revolutiones magnæ & tres periodi : nulla arte eo pertracto feriarum calculo, ut ejus simili alio in hunc temporum consensum aliter pertrahi possit, quædam laxando, demendo, addendo, aut ab alio termino incipiendo ; nec fortuito sic coincidente, ob recurrentem facile eandem feriam, septeno quovis alio die mundi (quod communiter objectum sibi Autor memorat) cum impossibile sit, per universi prout nunc est naturam, ut alius quicunque dies mundi, præter nonum Martii anni 1684 computatum, sit simul (1) dies 9 Martii in Calendario mundano : (2) isque completus præcise æquinoctialis dies bissextilis in meridiano primo mundi, (3) simul concordans cum sabbathismis naturæ & scripturæ, cyclis Solis & Lunæ, Epactisque continuis Mundi ; & (4) cum Lunæ variis abinde motibus ; (5) cum Solis loco isto præcise abinde. (6) cum nexu vero historico rerum gestarum ; simulque (7) consensu motuum & temporum in quævis præterita & futura extenso. Pari ratione omnium aliorum mundi dierum, ut solummodo suo quæque tempore omnia exacte respondeant ; nunquam vero eadem omnia, ne quidem pleraque, sic ullibi recurrant, ob perpetuas harmoniarum vices insolubiles, in Tabulis Autoris evidentissimas, iisque propterea solis ipsi naturæ examussim paribus eademque, qua cœli & sidera, tanquam continuum eorum quoddam Protocollum, firmitudine nitentibus.

(5) Astronomicos excessus continuos anni siderei supra tropicum, itidem duplicis, medii & veri. Hic loci etiam manifesto tenore naturæ harmonico : promotis intra septenos quosque cyclos Solares fixis, præcise tres gradus ; intra quater septenos, hoc est

revolutionem magnam, duodecim; & intra 30 revolutiones magnas (apocataſtaſin 23520 annorum tropicorum verorum, qua complentur Autori 23519 anni ſiderei veri) duodecies 30, hoc eſt integro Zodiaco. Cujus apocataſtaſeos annis proxime abhinc 56, quadrans primus juxta Autorem abſolvetur. Reſtituto ſic tandem exacte motu fixarum, totius ſideralis ſcientiæ fundamento.

Cæterum circa antegreſſa Autor hic triplicem animadvertit errorem præcipuorum etiam Aſtronomorum, (1) quantitatis anni tropici duobus fere minutis juſto majoris; qui exceſſus ab annis Chriſti hucusque continuatus ad biduum usque excreverit, diſſidiumque a collatis obſervationibus priſcis in ecliptica pepererit duorum circiter graduum: cujus ignorantia poſtea conficta ſit anomalia æquinoctiorum. (2) inconvenientis initii, ſeu termini a quo, in computo aſtronomico uſurpati; ſumti ſcilicet tum a primo Januarii die, termino civili quidem immutabili, minime vero nativo pro computiſtico motuum initio; utpote tempore intraannali, nullo in cardine cœli fixo, nec apto verificari ipſa ſtatim præceſſione ſola, ſeu exemtilibus præciſe annuis, ſed indigenti proſtaphæreſibus intraannalibus, ad tempus verum e medio reducendum: tum a ſuo cujusvis Aſtronomi meridiano; cum conveniat ad meridianum mundi primum inſtituere computum annuum, intraannalia vero omnia ab eo tantum meridiano vere & naturaliter ineant, qui cuique anno proprius & nativus ſit, intra periodum quamque Solarem 112 annorum præciſe recurrens. (3) anni tropici (Autoris) medii habiti pro vero, & exceſſus 11′ circiter habiti pro exceſſu Juliani anni ſupra cœleſtem verum: ex quo a tempore Julii Cæſaris pro genuinis diebus exemtilibus triginta, Aſtronomis ſolum accipiantur 13 (aut ſi error num. 1. corrigatur, 15) *Cum vel ipſa praxis computiſtica Aſtronomorum teſtetur, quod localis exceſſus annuus non ſimplus* 31″ (*reſpondens exceſſui temporali* 11′.) *ſed duplus*, 1′, 2″ *vel* 1′, 3″, (*ſub nomine motus apogei Solaris, utut ficti*) *reapſe eximatur ab Aſtronomis de motu annuo Juliano, ad conſequendum verum cœleſtem; ex quo ipſis etiam neceſſario fatendum ſit, duplum temporalem exceſſum, de Juliani anni quantitate temporali eximi debere.*

III vera & genuina intraannalis temporum & motuum Solarium ratio: conſtructa in Tabulis, pro diebus ſingulis, a proprio cujus-

cujusq; anni meridiano æquinoctiali, ibidem ſemper appoſito, naturaliter ineuntibus, pro inveſtigandis motibus mediis ſive æqualibus, & inde veris & realibus intraannalibus, ſemper inæqualibus per proſtaphæreſes perpetua proportione inæquales, & præciſe in alio quovis anno, ejusque ab æquinoctio tempore eodem, ſemper recurrentes, & vere atque ex natura ita ſe habentes, tum qua quantitatem, tum qua nativum terminum ſuum a quo & ad quem: ſuffragantibus pro iisdem, tum concordia calculi Autoris cum obſervatis paſſim apud ſcriptores veris locis Solaribus; tum æqualitate intermedios Solis motus quadrantales & ſemeſtrales, proſtaphæreſibus Authoris coæquatos, & inter veros inæquales Solis motus quadrantales & ſemeſtrales, itidem tropice finitos: Ex inæqualitate autem motus Solaris veri, per ſolidos ſemper anni dies continuata, ſubnata inæqualitas dierum naturalium, cum proſtaphæreſibus ſuis æquabiliſſimæ proportionis in Tabulis Autoris digeruntur; ipſaque declinatio Solaris longe accuratior proportionabili inæqualitate, quam apud alios, in Tabulis conſtructa Autori perhibetur a principio quodam novo aſtronomico, nulli variationi obliquitatis ecliptica obnoxio.

IV Lunæ motus medii ſemper æquales: deducti ex apocataſtaſi 23520 annorum tropicorum verorum; & computati ſecundum (1) ſolidos mundi dies, denos, centenos, millenos, obſervationibus ſemper conformes; (2) Lunares menſes omniformes, denos, centenos, ſynodicos, periodicos, anomaliſticos, Draconticos, (3) annos & cyclos Luniſolares epactales omnes & ſingulos mundi, cum ſuis embolismis, aureo numero, terminis paſchalibus, litera dominicali, nec non motibus Lunæ longitudinis, latitudinis, altitudinis, diſtributos in 24 Tabulis per cyclos Metonis, Calippicos, Victorianos; (4) anticipationes Lunæ cyclicas geminas: paſſivam tropicam, qua a cyclo 19 annorum tropicorum Solarium verorum, 6 horis proxime anticipatur cyclus Lunationum ſynodicarum 235; activam Julianam, qua ſemper cyclum quemque annorum Julianorum anticipat duabus circiter horis idem cyclus 235 Lunationum Synodicarum, utrinque correſpondente ſemper ſumma omnium illorum temporum & motuum præciſa, tam inter ſe quam cum aliis præmemoratis omnibus, invicto certæ apodixeos argumento;

(5) periodos proſtaphæreticas Lunæ, numero bis ſeptenarum Lunationum ſynodicarum conſtantes, quibus omnis Lunæ varia a terra altitudo (teſte etiam diametrorum Lunarium differentia ſenſibus manifeſta) reſtituitur: (6) maſſas ſeu ſummas temporum & motuum Lunæ minores, majores & maximas.

Notat vero Autor & hic primarios quosdam errorum fontes doctrinæ communis aſtrochronologicæ. (1) difformitatem a fundamentalibus legibus & principiis, quibus Autor ſuum inædificavit opus. (2) deductionem temporum verorum & mediorum e motibus obſervatis, variis aberrandi occaſionibus obnoxiis, dum ipſo judice hos ex illis tanquam menſurata e menſuris, & cauſas ex effectibus notioribus inveſtigare & demonſtrare oportuiſſet. (3) difficultatem notionum & variorum terminorum, quibus involutæ ſunt theoriæ motuum cœleſtium; horumque crebram revocationem ad figuras trigonometricas, pro diverſis ſyſtematibus inſuper diverſas. (4) ſummam incertitudinem motuum cœleſtium, & mutuam aſtronomorum contradictionem, quam exemplis & aſſertis eorundem Autor confirmat. (5) praxin calculi motuum, & computum eccleſiaſticum, perperam inſtitutos. Illam quidem metis calculi, ſive capitalibus terminis minimæ ſtatis, ſed a radice mere precaria deſcendentibus. Hunc vero ſuperſtructum quidem dictis characteribus cœleſtibus; at non tam de cœlo, quam e variarum hypotheſium ruinoſo fundamento aſſumtis: unde erronei deinde aurei numeri, literæ dominicales & plenilunia paſchalia (accedente præterea incommoda & præpoſtera intercalatione ad diem 24 aut 29 Februarii; hujusq; menſis indigniſſima, e gentili olim ſuperſtitione, curtatione, præter naturæ genium: quæ ingreſſu Solis in ſigna menſtruo, Februario æque atque conterminis huic menſibus, 30 dies tribuat) totusque adeo computus Julianus, Gregorianus aut quicunque alii, ſimilibus incedentes veſtigiis, deſperatæ omnino frugis, revictique adeo axiomate, pro cœlo & tempore univerſali & perpetuo elenchtico: *Quicquid in aſtrochronologicis non eſt a puncto creationis continuo nexu demonſtrabile in omne ævum, id vanum & nullum eſto.*

V veri motus Lunæ inæquales varii generis, eorumque vera tempora, facta e mediis per certas proſtaphæreſes triplicis generis,

neris; pro triplici Lunæ anomalia, periodica, annua & ſynodica: quarum rationes Autor diffuſe explicat.

VI Convenientia perpetua ac conſtans conſenſus omnium hactenus aſtrochronologicorum apodictice demonſtratorum, cum epochis temporum ſacris in codice Hebræo expreſſis. Cujus deductionem Autor in Opere ipſo latiſſimam pollicetur; interea vero duo palmaria argumenta chronologica, hactenus dubia, at jam certitudini ſuæ reſtituta, in ſpecimen proponit.

Primum eſt circa intervallum inter exitum Iſraelitarum ex Ægypto, & ſtructuram templi Salomonei: quod diſerte 1 Reg. VI, 1, 480 annorum exprimitur, nulla tamen hactenus ratione ſatis conciliari potuit cum libro Judicum, in quo enumerantur 339 anni regiminis florentioris, inſuperque 111 anni afflictionum & ſervitutum, in ſumma 450 anni, quot etiam D. Paulus in Actis cap. XII, 20 nominat; quibus ſi porro annumerentur anni 40 in deſerto, 17 Joſuæ, 8 ἀναρχίας ſeniorum, 40 Samuelis & Sauli, totidem Davidis, & 4 Salomonis, omnes indubitati, intervallum illud faciunt 599 annorum, quod prius illud totis 119 annis excedit.

Alterum eſt circa LXX hebdomadum Danieliticarum intervallum præcipue primum, 7 hebdomadum ſive 49 annorum, a dimiſſione e captivitate ad ſtructuram templi ſecundi, abſolutam 6 anno Darii Nothi, numerandorum: quo tamen intervallo 125 anni comprehenduntur, plenius oſtenſi ex Eſra & Nehemia (concordantibus cum Canone Ptolemaico, ceu pretioſiſſimo antiquitatis theſauro) ab Autore, in diatriba peculiari inſerta vindiciis hebraiſmi.

Dubiorum autem horum ſolutio generatim ab Autore in intercalari ponitur computo; quo Sacræ Scripturæ ſuetum ſit aliquando ſolum regiminis & florentioris ſucceſſus annos ſummatim colligere & enunciare, afflictionum annis intermediis ſuppreſſis ſive non computatis. Non quaſi hi non facti ſint realiter; ſed quod in collectione ſummaria annorum varii fati, a potiori ſeu plurima parte fiat ibi numeratio, reliquis nonnihili, ſed intercalariter habitis.

In ſpecie quoad *primum*: 1 Reg. VI, 1, indicari ſolum annos 480 potioris ſtatus florentis, annis 119 intercalarium ſervitutum & 8 ἀναρχίας ſeniorum preſſis, non negatis. Integram enim ſummam

599 prorsus exigere totum astrochronologicum mundi systema: nec alia ratione cum historia Judicum convenire 300 illos annos expostulationis Jephtæ cum Ammonitis, ineuntes a morte Josuæ & Seniorum, & continuatos ad Ammoniticam usque servitutem Jairo mortuo cœptam. Talem vero intercalandi rationem firmari pluribus S.S. exemplis, nec ei quicquam officere seram liberorum progeniem tunc supponendam, generationum solummodo quinque per 600 annos a Nahasson ad Davidem, per Salma, Boas, Obed & Isai: peculiari existente charactere singularis benedictionis divinæ in majoribus Davidis & Christi, quod senes admodum genuerint; Abrahami, Boasi & Isai exemplis e sacris literis satis evidenti.

Quoad *secundum*: totum illum computum Danieliticum, aperte esse hebdomatico sabbathicum, adeoque mysticum potius quam historicum; incipientem a sabbathico captivitatis anno ultimo, mundi 3612, continueque pergentem per 70 sabbathismos libertatis, oppositos præteritis annis captivitatis: quorum primum intervallum 7 hebdomadum angelus consolator Danieli, ejus unice avido & solicito, numeret per septies septem annos status florentioris & reædificationis templi; 3 sub Cyro, 36 sub Dario Hystaspide, 6 Xerxis seu Ahasveri extremo regimine, tum 4 sub Dario Notho (a secundo ejus ad sextum) lapsos. Jam templum secundum extructum esse annis 46, tanquam publice notorium Joh. II, 10 memorari, eos tamen continuo temporum tractu processisse, nullam ferre historiam: intercalaribus ergo annis id factum, teste etiam Esdræ libro; hoc est permixtis supra memoratis 49, cum aliis 76 prohibitionum annis, revera inter illos priores interceptis.

Secundi porro intervalli 62 hebdomades, ex monumentis sacris & profanis, per regum Persarum & Græcorum ætates exacte sibi constantes, exeunt Autori anno mundi 4171, cujus mense septimo Salvator, baptizatus & cœlestis Patris voce inauguratus, simul intervallum tertium 70 Hebdomadis, & ministerium suum publice exorsus est. Ubi Autor & hanc admirabilem συγκυρίαν anni baptismalis Christi cum anno diluviali mundi prodit, quod utrobique pariter sit intervallum 1656 annorum $6\frac{1}{2}$ mensium; illic a con-

condito ad deletum diluvio mundum; hic a transitu Israelitarum per mare rubrum (typico Israelitarum baptismate, 1 Cor. X, 2) ad baptismum Christi, alterum salutare diluvium orbi reparando. Hujus porro hebdomadis uti medium abolitione & cessatione sacrificiorum Danieli insignitum, oblato in ara crucis Messia, & exciso Christo, tanquam consummatorio uno omnium sacrificio; sic finem, $3\frac{1}{2}$ post mortem Christi annis, firmato multis fœdere novi testamenti, publica professione nominis Christiani, & inserta ecclesia gentium in locum defractæ Judaicæ, contigisse Autor pronunciat; insecuta deinceps post spirituale excidium, corporali quoque urbis & templi πανολεθρίᾳ, annis 35 a fine 70 hebdomadum.

VII Perpetuus consensus & constans harmonia ejusdem omnium, cum æris exoticis historicorum profanorum, cumque observationibus priscis (quin & recentioribus) quovis tempore institutis, recteque adnotatis, stylo olim Ægyptiacorum annorum, mensium, dierum: quorum comparationem tum cum Juliano, tum tropico vero, hactenus insuperabilis difficultatis æstimatam, in peculiaribus 9 Tabellis summæ facilitatis & evidentiæ restitutam Autor commemorat.

Ultimo loco sectionis primæ Autor monet, monstratam a se harmonicam motuum & temporis successionem, nec statione Solis & Lunæ, Jos. X, nec retrocessione Solari in sciatherico Ahas, Jes. XXXVIII, turbari. Cum ibi tantum cessaverit motus Solis & Lunæ primus, ob quem non necesse fuerit cessare motus secundos, in quibus consistant momenta astronomica: hic vero restitutio facta sit ordinarii motus Solis, quovis modo Deo possibili (nobis non necessario determinabili) ne scilicet inutiliter perirent tam admirandi ordines perpetui cœlestes, & chronici, semper invicem pares; quos alias, quod tamen non sit, omnes ex æquo 10 horis & uno solido die aberrare a φαινομένων experientia oporteret.

Sectio secunda *practica* in exemplum methodi computisticæ, Eclipsium quarumvis a puncto creationis, proponit Eclipses anni 1684 æræ Dionysianæ, membris tribus, in Tabellas dispositis. Quorum I sistit radicem annuam Lunisolarem illius anni, cum characteribus astrochronologicis, a puncto creationis deductam. II motus & tempora Noviluniorum 12, consequentium Novilunium, in

radice

radice membri primi propositum, toto currente ab æquinoctio anno 1684: horis hic numeratis a meridie Paradisiaco; ex quibus deinde ostendit duo tantum esse ecliptica, die sc. completo $\frac{2}{12}$ Julii hora 4, 28; & 25 Dec. (4 Jan.) Hora 18, 31; & porro membro, III duo tantum plenilunia ecliptica $\frac{16}{26}$ Junii Hora 20, 1, & $\frac{11}{21}$ Dec. Hora 14. 11.

OSSERVAZIONI DI FRANCESCO REdi intorno agli animali viventi, che si trovano negli animali viventi.

id est:

Observationes Franciſci Redi circa animalia viventia, quæ reperiuntur in animalibus viventibus.

Florentiæ apud P. Batini 1684, in 4.

CUm clariſſimo Autori ſerpentem bicipitem vivum ſuperiori anno Piſani obtuliſſent, eundemque examini phyſico ſubjicere placuiſſet, contigit in luſtratione viſcerum obſervari ab ipſo magnam vermium multitudinem, qui inteſtina & hepar alterum e duobus incolebant. Eorum diligens ac repetita conſideratio tractatum, in quo commemorando nunc verſamur, peperit, cum meminisſet Vir clariſſimus, ſibi antehac in variis animalium generibus ſimile quid obveniſſe. Miſcentur autem cum argumento principali paſſim multæ res aliæ ad naturalem hiſtoriam pertinentes eandemque inſigniter illuſtrantes. Principio deſcribitur ſerpentis bicipitis interna ſtructura, prout eam invenit Autor, exhibentem duplicata omnia viſcera, exceptis inteſtinis & membris genitalibus, quæ non quatuor, ſed duo tantum erant, quot ſcilicet univerſum viſcerum & ſerpentum genus obtinet. Ejus carnem & particulas viperarum minutas aliquot diebus a ſectione refert Autor luce exigua in tenebris coruſcaſſe, qualem fere piſcium marinorum pinguedines oſtendunt, ſed qualem in alio viperini generis animali conſpicere hactenus non licuit. Hinc digreditur ad vulnerationem venenatam, quæ ſit per dentes ſerpentis mortui in carnem cujusvis corporis impreſſos,


ſos, eamque aliquoties a ſe tentatam memorat, poſtquam ſerpens jam ante centum viginti ſex horas vivere deſiiſſet. Reverſus advermes in ſerpente bicipite repertos, primum eos deſcribit, deinde longa ſerie narrat, in quibus animalibus e claſſe quadrupedum ſimiles viderit. Cum lumbricos fuiſſe dixiſſet, eos poſtmodum lumbricis in terra degentibus comparat, & internarum partium ordinem ac diſpoſitionem exponit, quarum potiſſimæ ſunt duo canales; alter alimentorum coloris fuſci, alter generationi ſerviens candidus; ſed circa poſteriorem eſt levis inter lumbricos humanos & brutinos, quos ita vocare liceat, differentia, quamvis ſint aliqui humani, qui qua formam internam ab omnibus fere aliis diſtant. Cæterum in lumbricis talibus nullam ſexus diſtinctionem obſervare potuit Autor, quos ideo confert cum limacibus, in quibus perinde duplicis ſexus vaſa fatetur diſcernere ſe nequiviſſe. Qua occaſione, dum de his quædam memoratu digna diſſerit, libri illius, quem de conchyliis *Philo Bonannius* ſcripſit, mentionem facit, & adverſus eum, negantem in limacibus cor quærendum eſſe, diſputat, affirmans, illud membrum ut in aliis omnibus viventibus, ſic in teſtaceis quoque inveniri, & in inſectis tam iis, quæ in mari, quam quæ in terra moveantur. Meminit eo loco animalculi cujusdam marini, cujus univerſa fabrica cum plane ſit admiranda, nec ab alio ſcriptore delineata, non abs re fuerit eam ex Autore verbis, quam licet, pauciſſimis una cum icone exhibere. Si conſideretur externa hujus animalculi forma, partem refert durioris ſcopuli concreti ex congerie ſaxorum, coralliorum, aliarumque marinarum congelationum, quæ dum in montes ac colles diverſæ magnitudinis ex una parte aſſurgunt, valles & campos efficiunt ex altera, in quibus vegetant herbæ & arbuſculi, ſpeciem ſylvarum pratorumque efformantes. Inter gramina arborumq; dumeta habitant conchylia, & animalcula alia minutiora, ſcolopendræ, lumbrici & vermiculi, quorum unumquodque ſuæ teſtæ ac domicilio ineſt, non fortuito facto, ſed naturali induſtria ab ipſo ædificato. Figura animalis oblonga eſt & bifurca, apparetque ex utraque parte furcæ foramen rotundum, in membrana, quæ intra ſaxum latet, apertum. Per ea duo foramina, quæ pro lubitu animalis aperiuntur & coeunt, aquam haurit, & ſi diutius manibus tangatur, eandem exſpuit. Per omnem internam ca- TAB. II.

vitatem hujus microcosmi marini animati expanduntur tenellæ membranæ, quæ loco cutis ipsi sunt, & viscera continent, canalem videlicet alimentorum, canalem fluidorum, hepar & cor. Ut redeamus ad institutum, ex quo Autor semel Bonannium refutandum sumsit, pergit adversus eundem, post controversiam de corde limacum, sententiam suam de generatione æquivoca tueri, cumq; ad experimenta e floribus comminutis parata ille provocasset, Autor ea non satis caute peracta respondet, & quamplurima Bonannio a se diligenter facta opponit. E longiori digressione reversus in viam, cum superius internas lumbricorum in animalibus habitantium partes descripsisset, nunc lumbricorum in terra viventium vasa & organa examinat, quod antehac *VVillisius* in libro de anima brutorum fecit, sed ut ex iis constat, quæ Autor disserit, imperfecte. Ubi de alimento horum vermium agit, quod e terra capiunt, evagatur ad opinionem *Joh. Alph. Borelli*, qua ille credidit fieri posse, ut animaliæ quædam e sola terra arenosa nutriantur. Negat Autor, aves convertere in chylum lapillos, quos deglutiunt, & ea in re experimenta varie tentata recenset, quibus compertum habeat, gallinas utut per complures dies famem tolerent, & fame tandem intereant, lapillos tamen in ventriculum ingestos nunquam digerere. Annectit nonnulla de diuturna quorundam animalium inedia, ejusque causis. Repetens denuo viam, narrat, quid egerit, ut experiretur, qua potissimum re accelerare lumbricorum terrestrium mortem quis possit; unde colligere deinde liceat, quæ sint adversus vermes, quibus infantes infestantur, efficacissima remedia. Invenit ergo, nec oleum nec theriacam nec aloen adeo eis esse funesta, ut vulgo credatur, sed potius, contra communem sententiam, piperis & mellis majorem & omnino summam esse adversus lumbricos virtutem. Divertit postkæc iterum ad alia, & memorat, se aliquoties e capite testudinum cerebrum exemisse, quæ tamen ad sex menses vitam produxerint, claudente ipsa natura novo carnis tegumento foramen cranii, omnemque motum sibi naturalem peregerint, amissa solum videndi facultate, cum oculos illico clausissent, post ablatam substantiam cerebri. Quibusdam ex eo genere animalibus se amputasse caput scribit, & verum comperisse, quod vulgo fertur, vivere testudines sine capite ad plurium die-

rum

TAB. II. ad A. 1686. pag. 51.





rere animalibus se amputatis caput scribit, & verum comperisse, quod vulgo fertur, vivere testudines sine capite ad plurium die-

rum

rum tempus. In ultima parte libri vermes in avibus & piscibus repertos ab illis, qui quadrupedum corpora incolunt, non leviter quandoque differentes commemorat, eique relationi de utraque classe animalium plurima inspergit, quibus Zootomica scientia non parum profertur. Differit de vesica piscium, qua natatum ipsorum facilem natura reddidit. Et primo quidem in quibus piscibus ea vesica quærenda sit, in quibus nulla occurrat, exponit. Postea structuram vesicæ delineat: in aliquibus piscibus ait unum esse ac continuum ipsius corpus, in aliis distinctum in duas tresve cavitates; in novi cujusdam & incogniti generis pisce, quem aureum a colore nominat, quatuor hujusmodi cavitates & veluti ventriculos sibi visos testatur. Refellit porro assertionem Waltheri Needham, Medici Angli, qui pisces dentatos vesicam unius cavitatis, dentibus carentis duplicis habere existimavit, & utrumque non una instantia labefactat. Dum vermes in delphino repertos depingit, piscis simul illius cum partes alias, tum cerebrum describit, illudque se aliquando quinquaginta & octo unciarum inveniisse affirmat in delphino, cujus universa moles non excesserit trecentarum & octoginta librarum pondus. Quod notari ideo meruit, quoniam piscibus vulgo modica admodum cerebri portio est; quemadmodum, ut alia nunc taceamus, de thunno quodam Autor refert, eum exenteratum trecentas & quadraginta libras superasse, cerebri quantitatem vix æquasse octavam partem unciæ. Exhibet ultimo in variis piscibus structuram renum, quæ in testudine marina plane singularis est. Atque hæc de elegantissimo opere dixisse sufficiat, cujus alteram partem Autor sub finem libri hujus pollicetur, in qua procul dubio in causas generationis vermium intra corpora animalium inquiret, & universum hoc argumentum prolixius tractabit. Subjungimus figurarum in Tab. II. explicationem.

Fig. 1. Microcosmus marinus.

Fig. 2. Canalis alimentorum cum quatuor intestinis cœcis microcosmi marini.

Fig. 3. Cor & ramificatio vasorum sanguineorum microcosmi marini.

Fig. 4. Vermes marini, qui cavitatibus quibusdam inclusi superiorem Microcosmi marini partem inhabitant, vi-

vam magnitudinem excedentes; a scriptoribus dicuntur *vermes in tabulis.*

Fig. 5. Aliud vermium dictorum genus. CCCC, duodecim pedes vermium membranæ adhærentes.

LUNÆ ECLIPSIS TOTALIS, A. 1685, d. 10 Dec. st. n. Romæ sub lati- 41°, 50′ *observata,*

a

FRANCISCO BLANCHINO, VERONENSI.

Quanquam nobis vel maxime in votis fuit, ut cœlo abblandiente phænomeni hujus momenta & phases, hic loci capere, cumque alibi notatis conferre liceret: destituit tamen spem nostram nebula sub vesperam diei dictæ sensim sese attollens, quæ quidem primo non omnem intercepit observandi occasionem, ita ut & agoniæ Lunaris initium, & obscurationis totalis aliquid oculis usurpare contigerit; tandem tamen ita Lunæ discum obvolvit, ut velut densissimis nubibus circumsepta, ex conspectu nostro penitus abierit. Quod autem ingressum Lunæ, immersionisque in umbram initium attinet, earum insuper limites crassissima penumbra sic confudit, ut certi nihil de momentis hisce prodere audeamus; utcunque ex observatione Romana jam certi simus, tempora phasium istarum recte a nobis adnotata fuisse. Hanc vero B. L. tanto promtius communicare voluimus, quod ex literis Clarissimi Observatoris, Roma XII Cal. Januarii ad nos humanissime scriptis, nobis planissime constet, eam & summo studio, & circumspectione accurata, concordique opera & labore Virorum illustrissimorum Johannis Antonii Daviæ, Comitis Johannis Antonii Baldini, Francisci Brunaccii, *& quem in fronte nuncupavimus* Abbatis Francisci Blanchini *peractam esse. Notabit autem B. L. horas adnotatas esse primi mobilis, quarum 24 æquant revolutionem æquatoris, non vero Solis, sive diem naturalem; correctasque tum per transitum Solis per planum meridiani, tum per altitudines stellarum magno sextante exceptas.*

Die

Die X. Dec. Hor. I II	*Observatio Lunaris Eclipseos, celebratæ n. st. die 10 Dec. 1685, Romæ habita.*	Dig. Ecl.
5. 33. 0	Diameter Lunæ repetitis vicibus observata, insumit inter fluendum per fila micrometri disposita in situ suo, diurno motui parallelo 2′, 13″. Habita proportione paralleli diurni ☽ ad circulum maximum, & detracto motu ☽ proprio, juxta signorum ordinem huic tempori competente, elicitur ☽ diameter in gr. circuli maximi 29′, 32″.	
9. 7. 0	Penumbra terræ, levis tamen, in Lunæ disco apparet.	
21. 0	Penumbra fit evidentior.	
24. 30	Umbra vera attingit limbum Lunæ orientalem.	
29. 30	Pars ☽ latens implet partes micrometri $1\frac{2}{3}$ qualium tota Lunæ diameter erat $9\frac{2}{3}$. Teguntur itaque ab umbra digiti	2.
39. 10	Terrestris umbræ limbus transit per S. Petro & Inf. Lea (maculæ sunt juxta Hevelianam Selenographiam)	
44. 20	Fere tres partes micrometri implet portio Lunæ latens.	
45. 23	Tres micrometri partes jam teguntur, h. e. dig.	$3\frac{2}{3}$
46. 20	M. Ætna, & S. Sirbonis occupantur ab umbra.	
51. 20	Fere 4 partes micrometri latent, h. e. digiti	$4\frac{3}{4}$
59. 20	Quinque partes microm. ab umbra inficiuntur.	$6\frac{1}{4}$
10. 13. 20	Vix tres partes microm. manent immunes ab umbra.	$8\frac{7}{12}$
18. 15	Pars ☽ lucens vix æquat in micrometro partes $2\frac{1}{2}$. Limbus umbræ transit per L. Corocondam. & M. Herculis.	9. 0
21. 15	Duæ tantum partes microm. lucent. Umbra per M. Coracem transit.	$9\frac{3}{5}$
25. 15	Pars unica extra umbram est. Umbra per limbum externum palud. Mæotidis.	$10\frac{4}{5}$

Hor. / //		Dig.
10. 32. 0	Tota Luna jam incipit latere; tenui tamen lumine, seu colore subrufo-pallido leviter tingitur. Obscurior est color in parte Lunaris disci, quæ primo immersa fuit: Deinde rubescit satis æqualiter quaquaversum. Durante eclipsi semper hunc colorem obtinet. Nulla in aere nubes; flante enim Aquilone adeo pura est cœli facies, ut stellæ perexiguæ prope limbum Lunæ conspiciantur in telescopio.	12. 0
12. 1. 45	Lunæ limbus occidentalis, seu præcedens in revolutione diurna est in linea recta ducta per utrumque cornu Tauri.	
12. 7. 15	Distantia limbi australis Lunæ a vertice per sextantem explorata est 19°, 22′, 30″. Luna erat in meridiano 6′ ante: quare nunc depressior erit circiter 5′. In merid. itaque distantia visa limbi Australis ☽ a vertice fuerit 19°, 17′, 30″. (ri-	
12. 20. 15	Circa montem Audum lumen perspicue incipit vide-	12. 0
12. 23. 15	Palus Mareotis lumine imbuitur.	
28. 15	Umbræ extremum transit per M. Climacem, & M. Porphyriten.	
31. 15	Portio quæ lumini est restituta implet partes micrometri 2.	5 3/5
35. 10	Circulus umbræ attingit Atlantem majorem, I. Cosyram & M. Pharan.	
40. 22	Idem transit per M. Chalcidicos, & Hyperboreos.	
45. 56	Portio, cui lumen redditum æquat partes Microm. 4	7 1/4
50. 4.	Lumen recipiunt M. Sinai, L. Trasimenus & M. Pangæus.	
54. 2	Partes 4 2/3 micrometri jam sunt luce affectæ.	6 1/5
56. 44	Umbræ circumferentia transit per I. Besbicum, M. Chalcastan & M. Peuce.	
13. 0. 50	Latent in umbra partes microm. tantum 3 2/3.	4 3/4
2. 50	Umbra per M. Dalanguer.	
4. 52	Portio latens est p. microm. 2 2/3	3 1/2

Umbra

Hor. / //		Dig.
13. 11. 20	Umbra p. M. Herculis & Paropamisum.	
20. 10	Occupatur ab umbra pars unica microm.	1 1/5
	Transit limbus umbræ per I. Minor. M. Nerosum & M. Alaunum.	
22. 17	Umbræ extremum per petram Sogdianam & Pal. Amaras.	
24. 44.	Idem per Hippocc. M. a quibus exit.	
25. 16	Finis eclipseos, sive umbræ veræ.	0. 0
30. 10	Distantia Humeri dextri Orionis a vertice per sext. explorata est 37°, 25′.	
43. 40	Omne penumbræ vestigium jam evanuit.	

Observationes habitæ diebus ante, & post Eclipsin, ad inquirenda loca ☉ & ☽ in Zodiaco.

Die 8 Decemb. In tangente horizontali quæ declinat a meridie versus occasum gradu fere integro, & propterea modo exhibet Solem depressiorem circiter 50″, Tangens horizontalis limbi inferioris una cum penumbra foraminis, per quod lumen Solare trajicitur, fuit p. 21480 } qualium radius 10000.
Tangens limbi superioris p. 20905 }
Ergo declinatio centri ☉ ab æquin. est 22°, 53′, 40″; estque ☉ in 17°, 12′ ♐.

Nocte seq. diem 9 Decemb. limbus ☽ in diurna revolutione antecedens attingit circulum meridianum, hora 11, 19′, 23″, postquam limbus antecedens Solis eundem circulum attigerat meridie præcedenti. Dum centrum ☽ degit in M. C. distantia limbi australis ☽ a vertice per sextantem explorata est 21°, 49′. Demta parallaxi, & semidiametro, elicitur declinatio centri ☽ 30°, 28′ Bor. cum asc. recta 65°, 56′. Est igitur ☽ in ♊ 7°, 33′, cum lat. 1′, 2′ M.

Die 10 Decemb. Tangens horizontalis limbi superioris ☉ una cum penumb. 21070 64′, 36″, 36‴.
limbi inferioris &c. 21660
seu 65′, 13′, 5″.
Declinatio centri ☉ 23°, 4′ & ☉ in ♑ 19°, 14′.

Die

Die 11 Tangens limbi superioris cum penumbra 21155 seu 64, 42, 0.
limbi inferioris cumpenumbra 21739 seu 65, 17, 50.
Decl. ☉ 23, 8, 40; quæ competit 20, 15 ♐.

Nocte sequenti diem eandem 11, ☽ centrum ad M. C. fertur horis 12, 51, 36, post transitum centri Solaris. Dist. limbi australis ☽ a vertice per sext. visa fuit 17, 43. Ex his asc.. rect. ☽ est 92, 17, cum decl. Bor. 24, 37: Lunæ vero locus in ♌ 2, 5 ♋ cum latit. Bor. 1, 6.

Tempore itaque summæ Eclipseos, cujus initium, seu ingressus primus
Locus ☉ 19. 44 ♐ ☽ in umbram, incidit in hor. p. m. 9.24;30
Locus ☽ 19. 44 ♊ Obscuratio totalis h. 10. 32. 0
Locus ☊ 19. 20 ♊ Medium eclipseos h. 11. 25. 30
Semidiameter umbræ terrestris 39, 40. Initium recuperationis luminis h. 12. 20. 15.
Semidiameter ☽ 14, 48. Exitus tot. ab umb. h. 13. 25. 15.
Distantia ☽ a centro terræ semidiam. terr. 62.
Parallaxis horizontalis ☽ 55. 40.
Longitudo coni umbrosi semid. terr. 215.

L. B. S.

Cum in tanta librorum, qui undique affluunt copia, fieri non possit, ut omnium recensus mature satis instituatur, sed quamplurimi etiam ex præstantissimis de mense in mensem, imo de anno in annum rejiciendi subinde sint; visum nobis fuit, deinceps sub finem cujusque mensis (quemadmodum & in Diurnis Eruditorum Parisiensibus, nec non in Novellis Reipublicæ Litterariæ Batavicis fieri consuevit) novorum librorum, si qui ad nos pervenerint, titulos subjungere; ut eorum qualicunque notitia Benevolus Lector fruatur, antequam justa de iis relatio exhiberi possit. Sequuntur itaque

LIBRI NOVI.

D. Emanuelis a Schelstrate Tractatus de sensu & auctoritate Decretorum Constantiensis Concilii sessione quarta & quinta circa potestatem Ecclesiasticam editorum. Romæ. 1686 in 4.

Jacobi Gaillardi Melchisedecus Christus unus Rex justitiæ, Rex pacis. Lugd Bat. 1686 in 8.

Antonii Nuck de Ductu Salivali novo, Saliva, Ductibus oculorum aqueis & Humore oculi aqueo. Lugd. Bat. 1686. in 12.

Essais d' Anatomie. a Leyde. 1686. in 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Februarii Anno M DC LXXXVI.

ACTA SANCTORUM ORDINIS S. BENEDICTI in seculorum classes distributa. Seculum V, quod ab anno Christi CM ad M. colligere cœpit Dominus Lucas de Achery, Cong. S. Mauri Monachus; D. Johannes Mabillon, ejusdem Congreg. absolvit, illustravit, ediditque cum Indicibus necessariis.

Lutetiæ Parisiorum apud viduam Edmundi Martin 1685. in fol.

UT Benedictini Ordinis, cujus de congregatione S. Mauri sacraneum se profitetur, Historiam Ecclesiasticam conderet, omnibusque ejus alumnis majorum exempla tanquam statuam Mercurialem ob oculos poneret *Johannes Mabillonius*, indefessus antiquitatum ecclesiasticarum excussor ac propalator, cum *Luca Acherio*, viro reconditæ antiquitatis & ipso studiosissimo, Vitas Benedictinorum hinc inde conquisivit, conquisitasque edidit, ac notis, observationibus, indicibusque necessariis illustravit, idque auspiciis Præpositi Congregationis S. Mauri Generalis, *Bernardi Audeberti*, qui antecessoris sui *Gregorii Tarissii* vestigiis insistens, id omnium maxime curavit, ut Benedictinorum patrum vitæ, bibliothecis quaquaversum perlustratis, colligerentur. Putes paria eum velle cum Jesuitis Antverpiensibus *Johanne Bollando* & *Godefrido Henschenio* facere, ut qui opus illud immensum de Sanctorum omnium, quos memorant, gestis, quod hodie pari industria ab ejusdem ordinis socio *Daniele Papebrochio* continuatur, inchoarunt. At vero Mabillonius non generales rerum veterum annales, sed peculiares, Benedictini Ordinis historias

ſtorias condere aggreſſus eſt, aliaque plane ab authorum illorum propoſito ratione inſtitutum ſuum perſequitur. Nam illi menſium faſtos, hic ſeculorum ordinem obſervat; illi natales Sanctorum, quos putant, dies juxta Kalendarium referunt, hic natales eorundem annos juxta ſingulorum ætatem diſtinguit. Primum autem ſeculum Benedictinum compoſuit cum Chriſti concepti ſeculo VI, quod ab æræ Chriſtianæ anno D ad DC excurrit, eo quod S. Benedictus, qui anno Domini CCCC LXXX natus creditur, anno circiter DXLIII, diem ſupremum expleverit. Poſt Benedicti vitam principe loco recenſitam, in diſponendis ſubſequentium Benedictinorum Actis hunc tenet ordinem, ut quo quisque anno obiiſſe exiſtimantur, eorum vitæ ſingulatim referantur: neque enim alia notior illuſtriorque epocha viſa eſt collectori. Acta autem Sanctorum ipſa, ſi edita jam fuere, cum ſcriptis codicibus contulit Mabillonius; ſi nondum edita, e vetuſtis membranis eruit: ſtylum etiam primigenium, utut rudem & impolitum, retinuit immutatum, ne fidem ſcriptoribus detraheret, & quia cenſeret, meliorem eſſe ſimplicem ruſticitatem, quam fucatam & ſuſpectam eloquentiam. Et quia nonnunquam contigit, ut Sanctorum quorundam vitæ, ob defectum ſcriptorum, vel temporum injuriam, reperiri haut potuerint, eas vel ex veterum Auctorum dictis ſparſim excerptis contexuit, quas *Elogia Hiſtorica* appellat, vel ex recentioribus, qui de iis ſcripſerunt, expreſſit. Vitis Sanctorum addidit etiam miracula & translationes, easque in propria ſecula, ut propoſitæ ſibi chronologiæ ordinem ſequeretur, rejectas. Et quoniam in primo ſeculo Sancti nonnulli, quos ad Benedictinæ regulæ præſcriptum non vixiſſe conſtat, ſunt admiſti, eos retinuit quidem, at proprios & germanos, quos arbitratus eſt, v. g. Scholaſticam, Placidum, Maurum, Gregorium M. majori charactere, dubios & adſcriptitios, quos putavit, diſtinctionis ergo minoribus donavit typis; ſuppoſuit etiam margini paginæ inferiori annotatiunculas, inque illis aut loca repugnantia conciliavit, aut difficilia complanavit, aut barbaras voces explicuit; & quia ad vitæ alicujus elucidationem præmittendum identidem quid fuit, id in obſervationibus, quas vocat, præviis abunde præſtitit. His omnibus quatuor adjecit indices. Primus in ipſo limine locatus San-

Sanctorum nomina, qui in unoquoque ſeculo, quo de agitur, vixerunt, comprehendit; ubi & Sanctorum prætermiſſorum rationes afferuntur, & Auctorum, qui de Sanctis ſcripſere, notitia præſtruitur. Secundus index eſt de rebus hiſtoricis, tertius de moralibus, quartus de vocibus exoticis & barbaris, in operis calce appoſiti. Brevis inſuper chronologia ſingulis præmiſſa eſt ſeculis, in qua Sanctorum, ſummorum Pontificum, Regumque nomina & ætates, monaſteriorum conſtructiones, aliaque id genus breviter commemorantur. Quin & doctiſſima prolixiſſimaque cuilibet ſeculo præmiſſa eſt præfatio, eaque ad ordinem Benedictinum illuſtrandum faciens, variasque ſemper obſervationes Eccleſiaſticas ſubnectens.

Prodiit autem primum Benedictinum Seculum Lutetiæ Pariſiorum anno 1668. Seculum II anno 1669. Seculi III pars I & II A. 1672. Seculi IV pars prima A. 1677. pars II A. 1680. & ſeculum V anno 1685, quibus & reliqua ſecula haud dubie ſubmittentur. In præfatione, quæ huic Tomo præmittitur, a Mabillonio primum exponitur, qualis ſeculo X Eccleſiæ ſtatus, tum in Gallia, tum in aliis Europæ partibus extiterit; dein quænam ſeculo X de fide controverſiæ fuerint, quis diſciplinæ Eccleſiaſticæ ſtatus, & unde utriusque traditio; porro quis rei monaſticæ ſtatus ſeculo X in Gallia fuerit, ubi etiam de Cluniacenſium congregatione, ritibus, habitu & propagatione diſſeritur. Poſt hæc Eccleſiarum & monaſteriorum ſtatus in Anglia & inſulis adjacentibus deſcribitur; addunturque tandem pro more Editoris Obſervationes Eccleſiaſticæ & Hiſtoricæ, & hic quidem de Canonizatione Sanctorum, de Indulgentiis, de Salutationis Angelicæ origine & progreſſu, ac de precandi illo modo ad numerum compoſito, qui *Corona* vel *Roſarium* B. Mariæ appellatur; ut & de Hugonis, filiique ejus Rotberti aliorumque Galliæ Regum in Benedictinum Ordinem meritis.

De cætero cum ſub finem præfationum antegreſſarum Lectorem non ſemel roget Mabillonius, ut, ſi quid forte ineditum de Ordine Benedictino norit, id detegere ſibi ne intermittat, diſſimulare hoc loco non poſſumus, in bibliotheca Paulina noſtra non paucos de Ordine Benedictino ejusque Regulis codices manu-

scriptos, præter vitas Sanctorum quamplurimas, asservari. E quibus ille potissimum commemorari nunc meretur, qui a Fratre *Petro* quodam congestus, & *Johanni* Abbati inscriptus, nunquam, quod nos quidem sciamus, præla subiit. In illo primum agitur de variis ordinibus, S. Pauli puta, Antonii, Basilii, Pachomii, Hieronymi, Augustini, Carthusiensium, Templariorum, Johannitarum, Præmonstratensium, Teutonicorum, Cruciferorum, Prædicatorum, Minorum, Servorum Mariæ, novorum Militum, Brigittæ seu Salvatoris, Injosuatorum, aliorum; deinde speciatim & ex professo de Ordine Benedictino, & exinde prognatis surculis, Ordine scilicet Cluniacensi, Camaldulensi, Vallis umbrosæ, Cisterciensi, Grandimontensi, Humiliatorum, Cœlestinorum, Montis Oliveti, Justinieusi. His præmissis sequuntur non uni, ut Autor vocat, Tituli; & I quidem de summis Pontificibus ex Ordine Benedictino; II de Monachis ejusdem Ordinis, qui pro fide & morientes (verba Autoris retinemus) martyrii coronam meruerunt; III de Benedictinis, qui ad Patriarchatus & Archiepiscopatus (iterum cum Autore loquimur) assumti sunt; IV de Benedictinis, qui ad Cardinalatum assumti sunt; V de Monachis Benedictinis, qui Legati seu apostolici nuncii atque prædicatores propter conversionem infidelium, seu aliquam Ecclesiæ utilitatem a DEO vel a summis Pontificibus missi sunt; VII de Benedictinis, qui ad diversos Episcopatus missi sunt; VII de Benedictinis, qui in divinis & humanis scientiis velut sidera in firmamento, uti Autoris verba habent, fulgentes varios libros scripserunt. VIII de iis, qui de sublimitatibus ad Ordinem S. Benedicti venerunt, Imperatoribus nempe, Regibus, Ducibus & Principibus, Comitibus & aliis Nobilibus; IX de Abbatibus sanctis, seu, qui alias illustres fuerunt in Ordine Benedictino præter eos, de quibus in superioribus titulis; X de Monachis sanctis, seu qui in aliis quibusque rebus excelluerunt, præter eos, de quibus in superioribus titulis; XI de Abbatissis & Monialibus Illustribus ex Ordine Benedictino, quorum aliquæ Imperatrices, Reginæ, aliæ fuere. Sunt & alii in eadem Bibliotheca Academica codices manuscripti instituto doctissimi Mabillonii inservientes. Sed ista indicasse jam sufficiat.

Dis-

DISSERTATIONES CYPRIANICÆ AUT. HENrico Dodvvello A.M. Dublinienſi.

Oxoniæ e theatro Sheldoniano 1684 in 8.

NOndum biennium integrum elapsum est, cum in actis nostris Cl. *Dodwellum*, ut suas ad Cyprianum observationes, quarum spem *Oxonienſis* Episcopus nobis fecerat, propediem ederet, communi nomine rogavimus. Ejus voti tam liberaliter compotes nos fecit, ut observationum vice meras fere dissertationes dederit.

Et prima quidem *Rigaltio* opposita de voce Cleri agit, quam Autor non plebi communem, sed sacro ordini ab ipsis ecclesiæ primordiis fuisse propriam contendit, præsupponens quod contraria opinio non solum laicis contra Ministerii potestatem insurgentibus arma suppeditet, verum etiam atheos quemvis prætextum avide arripientes, spreto sacro ordine ad ipsius religionis contemptum allicere quodammodo videatur. Hinc ad firmandam suam sententiam progressus, ad utriusque *Clementis* autoritatem provocat, *Romani* puta atque *Alexandrini*, quorum posterior in libro τίς ὁ σωζόμενος πλούσιος Johannem Apostolum, homines quosdam divinitus designatos in Clerum sepositisse refert. Ex quo colligit, si Cleri titulum ministrorum ambitio ad se rapuerit, necesse esse, ut non Tertulliani demum aut Cypriani ævo, sed ipsis Apostolis adhuc viventibus, &, quod absurdum, fastum hunc approbantibus id contigerit.

Ad locum Petri compresbyteros suos a dominatu τῶν κλήρων dehortantis, ex quo Rigaltius apostolico ævo universam plebem sub Cleri nomine venisse argumentatus fuerat, respondet, si de personis Apostolus egisset, verisimile videri, quod sacrum potius ordinem, quam plebem eo nomine denotaverit. Quod ne frustra dixisse videatur, notat epistolam Petri fuisse encyclicam & in plures ecclesias distribuendam, & Apostolum plurali τῶν κλήρων voce verisimiliter non ad cœtum laicorum ubique sibi similem, sed ad sacri ordinis collegia in singulis urbibus distincta respexisse; eos vero ad quos apostolicum interdictum spectat, non

esse presbyteros vulgares, sed apostolorum compresbyteros seu presbyteriorum præsides, quibus Apostolus non τὸ κυριεύειν seu dominium, sed τὸ κατακυριεύειν seu dominii abusum interdixerit. Rectius tamen τῶν κλήρων nomine non personas, sed hæreditates ecclesiæ dicatas seu bona ecclesiastica intelligi arbitratur. Cum enim optimi Autores ea voce sic utantur, vix ullum commodiorem sensum Petrinæ illius dehortationis excogitari posse censet, quam si dicatur, Apostolum compresbyteros suos serio monere, ut publicas eleemosynas rite administrent, μὴ κατακυριεύοντες τῶν κλήρων, ἀλλὰ τύποι γενόμενοι τῆ ποιμνίῳ, h. e. hæreditatibus ecclesiæ non tanquam propriis utentes, sed incorruptæ fidei exemplum aliis præbentes, cum ex iis inprimis rebus, in quibus frequentissime peccatur, bonæ malæve fidei experimentum capi soleat.

Quamvis autem Cleri nomen plebi quoque tribui posse concedat, id tamen præcipuo quodam jure sacro ordini convenire statuit, & ut a primis usque originibus rem totam arcessat, exemplum populi Israëlitici adducit, qui Deo quasi sortito obtigit, & in veteris instrumenti versione non infrequenter κλῆρος & κληρονομία appellatur. Hunc populum ait Dei hæreditatem ac peculium fuisse, ejusque respectu cæteras gentes omnes profanas habitas, at in ipso populo Israelitico nova quadam sortitione facta solam tribum Leviticam a cæteris secretam, & iterum in tribu Levitica sacerdotalem familiam a Deo peculiariter electam, ideoque Koram & cæteros rebelles a sanctitate totius populi perperam ratiocinatos, quasi Aaron fastu minime tolerando Pontificatum ad se rapuerit. Populi enim sanctitatem, quantacunque fuerit, non fuisse cum sanctitate sacerdotum conferendam, cum inferior sanctitatis gradus superioris respectu quodammodo pro communi reputari debeat.

Illustrat hoc simili terræ Israeliticæ, quæ universa quidem, sed ita tamen sancta fuit, ut longe sanctius templum fuerit, & in ipso templo intima illa adyta, quæ sanctum sanctorum appellantur, atrium gentium & sacerdotum majori sanctitatis gradu superaverint, nec non simili primitiarum, quarum respectu cæteræ fruges profanæ censeri potuerunt, etsi ex primitiarum oblatione universæ sanctæ redditæ fuerint.

Ap-

Applicat hunc Israelitici populi statum ad ecclesiam tanquam mysticum Israelem, & contendit, omnes quidem Christianos Sacerdotes esse, & populum Deo summe propinquum, interim tamen hæc non obstare, quo minus tantum inter sacrum ordinem & profanum vulgus discrimen maneat, quantum est inter Christianos & gentes a Dei peculio remotas. Insuper vel ob eam causam præcipuo quodam jure sacro ordini Cleri titulum competere arbitratur, quod in primitiva ecclesia consulto per sortes Numine ministri in sacrum ordinem asciti fuerint. Qua occasione de antiquo sortium extra & intra ecclesiam usu nonnulla disserit.

Cæteræ dissertationes agunt de literarum ecclesiasticarum characteribus, de flagitio mulierum cum Clericis concumbentium & συνεισάκτων, de visionibus, & qua ratione veteres earum fidem comprobaverint, de diptychis ecclesiæ & nominum recitatione in Eucharistia, de presbyteris doctoribus, doctore audientium & legationibus ecclesiasticis, de episcopo unitatis principio & Petri in apostolos primatu unitatis exemplari, de prærogativa, indulgentiæ privilegio & privilegio societatis ex sententia legum Romanarum, de potestate presbyterii sede episcopali vacante, de ordine episcoporum presbyterorumque e Cypriani veterumque sententia ab invicem distinguendo, de martyrum commemoratione, eaque occasione de paucitate martyrum in primævis Christianorum persecutionibus, deque fide actorum & martyrologiorum, de primorum martyrum fortitudine ejusque causis, & de secundo martyrii baptismo. In quibus etsi multa occurrant, quæ vel ob utilitatem vel ob jucundam lectoribus novitatem, ut hic transcriberentur, non indigna forent, nimia tamen materiarum copia & aliena ab instituto nostro prolixitas id minime permittunt. Quamobrem tantum e tribus postremis, quæ ad Martyres spectant, nonnulla delibabimus.

Ac primum quidem longe pauciorem in primitiva ecclesia martyrum numerum fuisse statuit, quam in vulgaribus martyrologiis, aliisque sequiorum temporum monumentis tot martyrum millia comminiscentibus habetur. Cum enim ex antiquitate constet, quam diligenter & accurate martyrum natales, etiam laicorum

rum, fœminarum, puerorum & servorum ratione non insuper habita, notati fuerint, fieri vix potuisse asserit, ut si tot martyrum millia fuissent, nomina eorum non amplius supersint. *Eusebium* duas martyrum collectiones, unam de antiquioribus, & alteram de Palæstinis sui temporis martyribus consignasse monet, & quamvis prior temporum injuria interciderit, ex historia tamen ecclesiastica non difficulter colligi posse, quod martyrum ibi collectorum numerus haut adeo magnus fuerit, nec adeo multos supersse, quorum memoriam quarto seculo celebratam constat, si præsertim genuinæ illius ævi homiliæ & orationes de tempore a suppositis discernantur. *Calendarium Bucherianum* sub Liberio, ut videtur, concinnatum, Latinos non Italiæ modo, sed aliarum quoque provinciarum, at pauciſſimos tamen martyres recensere, nec adeo multos *Prudentium* in suis περὶ στεφάνων hymnis decantare, e martyrologiis vero quanto quodq; simplicius, tanto antiquius & sincerius merito haberi. *Origenem* præterea primævarum persecutionum, quarum pars ipse fuit, optime gnarum, non ad singulos dies aliquot martyrum millia cum *Pseudo-Hieronymo* confingere, sed lib. 3 contra Celsum expresse testari, quod pauci per intervalla & facile numerabiles pro religione Christiana mortui fuerint, Deo fidelibus prospiciente, ut neque Imperatorum, neque Præsidum, neque populi furor pro lubitu Christianum sanguinem hauriret. Paucos Imperatorum inter persecutores referre *Tertullianum*, *Melitonem*, & *Lactantium*; cæteros fere Christiano nomini faventes, vel saltem miti ingenio præditos & humani sanguinis minus avidos, haud raro Antecessorum suorum edicta contra Christianos contrariis edictis sustulisse, & Præsidum non minus quam promiscuæ plebis licentiam coercuisse. Ad hæc solos in provinciis Præsides jus gladii habuisse, & vix alibi quam in civitatibus metropolitanis supplicio extremo Christianos affecisse memorat, & cum insuper ex consuetudine & moribus Romanorum pauci dies & in his illi maxime, quibus ob ludorum & Circensium munerum solennitates frequentissimi provinciarum conventus habiti, suppliciis quotannis assignati fuerint, ludos vero adeo multos ob immensam sumtuum gravitatem ferre provinciæ non potuerint, ex eo dijudicandum relinquit, quid de vulgari martyrum multitudine censendum videatur. Confirmat suam

suam sententiam ex eo, quod *Eusebius* Maximinum, qui una die 39 confessores trucidari jussit, magna crudelitatis infamia oneret, & alio loco tanquam rem singularis & inusitati exempli referat, quod in Thebaide singulis diebus deni vel viceni, nonnunquam triginta aut sexaginta, quandoque & centeni capitali supplicio e vita sublati fuerint. Neque martyrum paucitatem Christianorum gloriæ quicquam obesse censet, cum ipsa martyrum constantia persecutorum ferociam fregerit, ipsisque pudorem incusserit, siquidem sibi tot innocentium hominum laniena gravissimum odium conflari, & penes Christianos ipsa morte triumphantes, & immortalem nominis sui memoriam assequentes, victoriam stare animadverterent.

Ut clarius hæc constent, singulas persecutiones primitivæ ecclesiæ recensct. Neronianam eos tantum Christianos tetigisse censet, qui Romæ versati incensæ urbis rei agi potuere. Persecutionem sub Domitiano statim extinctam ex *Lactantio* probat, eandemque ne ad cruciatus quidem, nedum ad cædem progressam ex *Tertulliani* apologetico arguit; quamvis idem sub Domitiano Johannem ferventi oleo immersum & nihil damni inde passum memoret, ex quo *Dodwellus* colligit, quod forte hoc miraculo tyrannus absterritus fuerit, ne pro ingenio suo adversus innocentes amplius sæviret. Persecutionem proximam Trajani potius tempore, quam ejus jussu extitisse, & tantum abesse, ut edictis in Christianos sævierit, ut Neronis & Domitiani edicta ex parte potius frustratus fuerit. Passum illo tempore Ignatium, sed non plures quam Zosimum & Rufum comites habuisse. Passum quoque Simeonem Cleopæ, cum Præfectus paci publicæ se consulturum existimaverit, si Judæis novas res molientibus, Davidicam stirpem, e qua Simeon oriundus erat, delendam in se susciperet. Epistolam *Tiberiani* ad Trajanum, qua se in Christianis interficiendis fatigatum scribit, ab *Usserio* editam, non uno nomine esse suspectam. Edictum Imperatoris, quod in suis epistolis *Plinius* allegat, agapas tantum spectasse, & obsequentibus Christianis, ne prætextum quidem adversus Christianos sæviendi Imperatorem amplius habuisse. Falli *Eusebium*, qui plurimos a Plinio interfectos asserit, cum *Plinius* nihil amplius dicat, quam quod perseverantes

duci passus fuerit, nec addat paucine an multi fuerint, sed tantum periclitantium maximum fuisse numerum affirmet. Eodem tempore in Asia proconsulari Arrium Antoninum Christianos persecutum, sed *Tertulliano* ad Scapulam teste paucos duci jussos. Trajani successorem Adrianum inter Imperatores Christianis infestos *Severum* quidem retulisse *Sulpitium*, at *Justinum* Martyrem Severo antiquiorem in apologia ad Antoninum pro pace Christianis impetranda Adriani nomine usurum non fuisse, si Christianæ religioni iniquior fuisset. *Quadrati* & *Aristidis* apologias, si Eusebium audiamus, non quanta persecutio sub Adriano, sed quanti malevolorum conatus fuerint, probare, & apud Eusebium aliosq; probatos Autores vix ullum deprehendi, qui sub Adriani imperio pro Christiana religione sanguinem fuderit. Quid de reliquis ecclesiæ primitivæ persecutionibus notaverit, narrare supersedemus, ut etiam de martyrum fortitudine nonnihil adjicere valeamus.

Enimvero quamlibet in excogitandis sævissimis tormentis & horrendis mortium generibus valde ingeniosa fuerit persecutorum crudelitas, invictam tamen martyrum, etiam fœminarum & puerorum in ferendis doloribus patientiam fuisse constat, nec ipsi gentiles qui præcipuum in theatris locum habuerunt, negare audent, quæ toties palam ac in publico omnium conspectu gesta sunt. Quamvis autem admiranda illa martyrum constantia humanæ opis minime fuerit, humanas tamen rationes, de causis illius fortitudinis dicturus Autor, non prorsus negligendas arbitratur. Quocirca Galilæorum mores & obstinatum ad mortem animum exemplo ad Christianos derivatum censet, idque tanto magis, cum rigor Christianæ disciplinæ, & tot vigiliæ, jejunia, humicubationes, aliaque corporis exercitia, quibus etiam vulgus Christianorum spretis voluptatibus assuetum fuit, mentes eorum adversus quasvis miserias obduraverint. Aliquem etiam, etsi non omnem hic locum gloriæ studium & honestam æmulationem habuisse prolixe probat, cum martyres non solum vivi in maxima autoritate apud omnes versati, sed etiam mortui annua commemoratione aliisque honoribus ab ecclesia, cujus judicium futuri præjudicium crediderunt, affecti fuerint. Ac cum vitæ innocentia eos etiam, quibus de futuris

turis præmiis nihil certi constitit, ad mortem fortiter ferendam animaverit, minime dubitat, martyres de futuris præmiis certissimos ab intaminata vitæ integritate, & causæ justitia ad dolores sustinendos animi nonnihil accepisse. Neque hic spem immortalitatis silentio prætermittendam existimat, qua totas gentes etiam barbaras ad mortis contemptum incitatas ex *Appiano*, *Lucano* aliisque Scriptoribus memorat. Sed cum martyres cæteris Christianis, cum quibus spem immortalitatis communem habuerunt, animosiores fuerint, & Felicitas longe fortius martyrium quam partus dolores tulerit, multique Cypriani ætate luem tum temporis grassatam abhorruerint, ad mortem pro Christi gloria obeundam paratissimi, altiores quasdam & martyribus proprias fortitudinis causas investigandas statuit.

Dicit igitur ecclesiam primitivam credidisse, martyres defunctos recta Deum petere, nec in exteriori atrio aut vulgari animarum receptaculo diem judicii cum reliquis expectare, eorundemque precibus concessum, ut & persecutionis tempora contraherentur, quod ex Matth. XXIV, v. 22, & Apoc. VI, 10. probare nititur, & justorum præmia in millenni Christi regno accelerarentur. Sicut enim *Plato* in nova rerum omnium *ἀποκαταστάσει λόγον* mundi gubernaculo præficiendum, & bona omnia ejus præfecturæ tribuenda credidit: ita etiam Christianos Christum futuri seculi principem credidisse. In eo Christi regno primam resurrectionem ex Veterum sententia præcipue ad martyres spectasse, & tam propinquam creditam, ut eam non minus ac mundi finem sua ætate expectaverint, quod *Clementis Romani*, *Ignatii*, *Hermæ*, *Tertulliani*, *Cypriani* aliorumque testimoniis comprobatur; necesse autem esse, ut qui mundi finem instare crediderunt, etiam præsentissima lapsis & in persecutione deficientibus supplicia quibusvis tormentis graviora impendere crediderint. Statuisse præterea veteres in conflagratione mundi, reliquorum hominum animas expurgatura, cujus expiationis dolores quovis martyrio acerbiores æstimaverint, martyres immunes & illæsos fore, cum eorum peccata jam martyrio expiata fuerint. Majorem quoque martyribus in cœlis repositum esse gloriæ gradum, qui vulgarium justorum præmia tantum superet, quantum fructus centupli trigesimum superant. Porro martyrium mediorum

rum istorum omnium, quibus homines Deo grati reddi possunt, vicem ita sustinere, ut eadem beneficia longe præstantiori gradu conferat. Hinc Veteres omnes baptismi & eucharistiæ fructus martyrio tribuere, v.g. remissionem peccatorum, non qualis esset pœnitentium, certis gradibus consummandam, sed qualis est recens baptizatorum, & arctissimam non solum cum fratribus, verum etiam cum Christo unionem, quæ fecerit ut & passiones & merita cum Christo communia habuerint, adeoque non durum videri debere, si dicatur, martyrum sanguine non solum propria sed aliena quoque peccata expiari. Ac velut unio conjugalis efficit, ut uxor jus habeat in bona mariti, ejusque magna sit apud maritum ad quidvis impetrandum autoritas, etsi absque mariti consensu bona ejus in alios transferre nequeat: ita quoque martyres Christi amicos bonorumque ejus omnium participes, & futuros in extremo judicio assessores facile quidvis a Deo impetrare. Et hæc quidem inter externas causas numerat, quæ martyres ad insignem fortitudinem & dolorum patientiam impellant. Pro interna causa præsentissimum Dei auxilium agnoscit, qui martyres, ut nihil fortuiti se passuros intelligerent, peculiaribus signis præmonuerit, eosdem singulari gaudio perfuderit, in ipso agone aut sensibili quodam signo aut interno afflatu confirmaverit, nonnunquam per miracula impediverit ne bestiæ aliaque instrumenta martyribus nocerent, & doloris sensum non modo minuerit, sed etiam in voluptatem commutaverit.

Quæ de comparatione martyrii cum baptismo dixerat, peculiari dissertatione fusius explicat. Christum, ait, non solum suas, sed discipulorum etiam passiones baptismum appellare, & ex perfosso ejus latere non solum aquam sed & sanguinem profluxisse, & Johannem expresse testari, Christi adventum non solum per aquam, sed etiam per sanguinem fieri. Recte igitur veteres baptismi fructus etiam martyrio tribuisse, & statuisse per baptismum sanguinis non minus ac per baptismum aquæ antegressa peccata expiari. Et tanto nobiliorem esse sanguinis baptismum, quod eo suscepto nullus amplius peccati metus reliquus maneat, ejusque auxilio homo statim ad plenariam Dei fruitionem perducatur, quam aqua baptizati e longinquo tantum expectant. Dicta Scripturæ de Christi sanguine peccata purgante, non de personali tantum Christi san-

sanguine, sed de mystico quoq; Christi corpore ejusq; sanguine explicanda esse. Tam in lustrationibus, quam in pactis, apud Judæos pariter & gentiles, & aquæ usum & sanguinis fuisse, & quamvis bestiarum sanguis humani vicarius fuerit, humano tamen sanguini majorem efficaciam tributam. In eo autem versari universam N. T. argumentationem, ut omnia Judæorum & gentilium privilegia, de quibus gloriari possent, potiori jure Christianis convenire declarentur. Cætera ejus argumenta repetere supersedemus, quibus ut pondus addat, Theologiam mysticam & symbolicam magnopere commendat. Prudentis lectoris erit omnia probare, & quod bonum est tenere.

Tredecim his dissertationibus breves nonnullæ observationes intersertæ sunt, quarum indicem, cum non adeo multæ sint, hic attexere placuit. Occurrit igitur p. 15 observatio de voce Clydomeni, pro qua *Pamelius* & *Rigaltius* clinomeni, *Oxonienſis episcopus* thlibomeni, *Dodwellus* autem noster clydonizomeni, id est energumeni seu maniaci legendum existimat; p. 16 de catechumenis deceptis, id est exceptis; p. 99 de forma a Cypriano data; p. 100 de libello a martyribus accepto, & origine phraseos: invidiam facere; p. 104 de martyribus coronatis & trianfactis, qua voce ad Græcorum θρύφακτα seu θρυφάκτους, hoc est tribunalium cancellos & septa alludi existimat; p. 191 de phrasi: amabunt hoc ipsum, & p. 215 de voce dedicandi.

In appendice dissertationum præter Autoris prolegomena habentur I Canon Regum astronomicus, partim cum MSC. editisque collatus, partim e MSC. nunc primum editus. II Fasti Græci priores *Theonis* forsitan *Alexandrini*, ex archivis sacerdotum Heliopolitanorum nunc primum editi, juxta MSC. Savilianum. III Fragmentum *Theonis* in περιχείρες Ptolemæi canones e MSC. Barocciano. IV Fasti Græci posteriores, forte Imperatoris *Heraclii*, ex apographo Vossiano. V Fragmentum *Heraclii* Imperatoris in περιχείρες Ptolemæi canones e MSC. eodem Barocciano. VI Fasti Latini e MSC. Collegii corporis Christi Oxonienſis. Hæc omnia enim ipse appendicis titulus promittit, quamvis fasti Latini, quos Autor in prolegomenis Oxonienſi episcopo se debere profitetur, in exemplaribus ad nos transmissis nondum compareant.

VARIA SACRA, SEU SYLLOGE VARIORUM Opusculorum Græcorum ad rem Ecclesiasticam spectantium, cura & studio Stephani le Moyne, Theologi Leydensis.

TOMUS PRIMUS.

Lugd. Batavor. apud Danielem a Gaesbeck. 1685, in 4.

EX quo antiquitatum Christianarum studia in Europa efflorescere ac magis magisque excoli cœperunt, laudabilem operam insumsisse merito putantur, qui veterum Doctorum scripta breviora collegerunt, ac uno alteroque volumine comprehenderunt. Ut enim superioris ætatis non faciamus mentionem, nec eos commemoremus qui nostro ævo in Latinorum scriptorum opusculis conjunctim edendis desudarunt; illis sane laudes debentur maximæ, qui Græcorum Patrum epistolas aliaque monumenta aut prorsus ἀνέκδοτα hactenus a situ tenebrisque vindicarunt, aut interpolata imperfectiusque prostantia in pristinum nitorem adserere collaborarunt. Eo faciunt PETRI HALLOIX *Scriptorum Ecclesiæ Orientalis Vitæ ac Documenta*, quorum *primum Sæculum* prodiit Duaci an. 1633, *secundum anno 1636*. Postea LEO ALLATIUS varia Græcorum scripta cum Latina sua interpretatione misit ad Nihusium, qui ea sub *Symmictorum* titulo Coloniæ Agrippinæ publicavit; ut alia Allatii Collectanea de Spiritus Sancti processione, similiaque ex Græcis auctoribus ab eo adornata taceamus. Horum exemplum sequutus JOAN. BAPTISTA COTELERIUS *Opera Patrum qui temporibus Apostolicis floruerunt*, Parisiis castigatissime elegantissimeq; edidit anno 1672, idemq; *Monumenta Ecclesiæ Græcæ* eruere cœpit, emisso *primo tomo* anno 1677, *secundo* autem anno 1681, quem nos in Actis anni octogesimi secundi mense Majo recensuimus. Similem operam Scriptoribus ascetis impendit PETRUS POSSINUS, cujus *Thesaurum Asceticum* mense Nov. superioris anni descripsimus. Quibus merito adnumeramus Cl. MOYNIUM, rationem consilii sui statim exponentem in Prolegomenis Tomi primi. Postquam enim prolixe dixerat de labo-

laboribus, novæ Josephi editioni, post frustraneas Scaligeri, Cunæi, Petiti, Bosiique operas, a se impensis, remoraq; iis injecta ex nunciato simili Anglorum in Flavium studio, quod CL. Bernardum inprimis exercere novimus; se iterum scribit erectum esse novo rumore de integra *Polycarpi epistola*, quæ editis duplici parte auctior sit & longior, ex Florentina Bibliotheca adlata a D. Rullæo, qui a sacris fuerat illustri Patio, Legato pro Ordinibus fœderatis ad Hispanos. Quamobrem se animum addidisse Rullæo, ut tantum thesaurum cum orbe erudito communicaret: eo autem fatis functo vix a fratre impetrasse autographum, addito promisso, ut cum honorifica Rullæi memoria publicæ id luci exponeret; sed statim deprehendisse, omne illud augmentum ex epistola Barnabæ depromptum esse, Rullæumque deceptum continua utriusque epistolæ serie, qua in codice Florentino altera alteri jungitur sine omni distinctione. Enimvero susceptо semel Rullæani codicis publicandi munere, alia potius adjungenda, se consultum duxisse, præcipue adjutum codice manu Sarravii ex libro Antonii Eparchi, qui tempore prostrati Imperii Constantinopolitani vixit, descripto. Inde eruit *Tractatum de sex Conciliis Oecumenicis*, quem Germani Patriarchæ GPtani esse, ex codice Oxoniensi deprehendit, idque latius posteriori Observationum parte probatum dabit. Huic ex eodem plerumque Sarraviano codice subjecit *Enarrationem Orationis Dominicæ*, aliam *Tractatum de septem Synodis Oecumenicis*, *Brevem elucidationem Fidei Christianæ*, *Brevem Institutionem quomodo credere debeamus*, itemque *Expositionem fidei Basilio M.* tributam. Porro ex Bibliotheca Vossiana adjunxit *Euthymii Zygabeni Præfationem in Psalmos* Græce & Latine, cum ejus Commentarius antea ex Latina tantum Sauli versione exstitisset. Addidit *Nili Doxopatrii Notitiam Patriarchatuum*, & *Bartholomei Edesseni Disputationem contra Saracenos* ex Bibliotheca Leydensi, & in eadem reperit *Apologiam Manuelis M. Rhetoris Constantinop.* cui ob argumenti similitudinem adjecit *Ecclesiæ Constantinop. Epistolam ad Bohemos*. Bartholomæi autem Edesseni Codd. Manuscriptis ait nonnulla *addita* fuisse, quæ *Mahumetem ipsum & annos Mahumetanorum spectarent*, eaque in editione sua desiderari noluit, jungens ex codice Sarraviano *latereulum rationis annorum, qui olim apud Græcos, Ægyptios, Syro-Macedonas*, aliosque in usu erant. Inseruit quoque *excerpta varia de ponderibus*

deribus & menſuris, ac *Epiphanii Tractatum* de eadem materia, *cum antiquiſſima verſione*. Atque hæc quidem initio Prolegomenorum recenſet ipſe Moynius; ordinem vero in editione ſervatum ſecunda ſtatim operis pagina aperit, cui & alia videmus innexa, quæ in Prolegomenis citato loco diſerte non commemorantur. Etenim *Hippolyti ſermo περὶ ξ παντὸς* ſtatim poſt Epiſtolas Polycarpi Barnabæque conſpicitur, *Laterculum autem, in quo Operum illius lemmata continentur*, fruſtra ibi quæras; inſertus enim eſt Tomo II pag. 946. Porro poſt citata de menſuris ac ponderibus fragmenta legitur *Index Legati Antonii Eparchi*, in quo varia opuſcula ſacri profanique argumenti recenſentur, uno volumine comprehenſa, quod Galliarum Regi dono olim dederat Antonius. Claudit denique primum tomum *Epiſtola Chryſoſtomi ad Cæſarium monachum*, tot hactenus votis ab eruditis deſiderata, de qua plura in Notis nos edocebit Moynius, quas ad calcem Prolegomenorum promiſit.

Cæterum *tres Diſſertationes* Prolegomenis inſeruit, quarum prima Polycarpi, ſecunda Barnabæ, tertia Hippolyti res complectitur. *Polycarpum* in vicinia Antiochiæ natum cenſet, idque præſertim agere videtur, ut vitam ejus a Bollando editam cum aliis ſcriptoribus conciliet. Rejicit jocularem Kirſtenii errorem, qui vitas Euangeliſtarum ex Arabico in Latinum ſermonem transfundens, *Pholipharium Sumariæ Epiſcopum* pro *Polycarpo Smyrnæ* confinxit. Tum disquirit Moynius, qua ratione *Princeps Aſiæ* dicatur Polycarpus in Romano Martyrologio, putatque id inde eſſe, quod Chriſtianorum ſacrorum in Aſia ſummus moderator fuerit. Illuſtrat etiam difficilem Irenæi locum, quod Anicetus Polycarpo παρεχώρησεν τὴν εὐχαριστίαν, rejectaque Valeſii interpretatione nihil aliud innui putat, quam *conceſſiſſe Anicetum Polycarpo jus communicandi Sacræ Euchariſtiæ*. Præterea prolixe diſputat de tempore martyrii Polycarpi, & quum noſſet *magni Sabbati* characterem in epiſtola Smyrnæorum crucem figere eruditis, poſt tot aliorum conjecturas, duas inſuper adjicit, & vel *ultimum Sabbatum anni*, vel *primum Niſan* intelligendum arbitratur. Porro Lucianum in Peregrino ſuo Polycarpi etiam martyrio illuſiſſe autumat, diſceditque a Petro Petito, qui apud Themiſtium, Empedoclem juniorem in

in Miſcellaneis ſuis de Peregrino acceperat, quem dum refutat Moynius, Themiſtium putat ad Polycarpum noſtrum reſpexiſſe. Inde ad ſcripta Polycarpi progreditur, & quia in omnibus codicibus (ut in Florentino illo) Barnabæ epiſtolam ſine ulla diſtinctione cum Polycarpiana conjungi ſibi perſuaſum habet, non caſu id, ſed certo conſilio factum eſſe exiſtimat, vel quod Barnabæ epiſtolam omnes Polycarpi epiſtolæ appendicem & acceſſionem maximam exiſtimarent, vel quod iſtam Barnabæ epiſtolam Polycarpo tanquam genuino auctori tribuendam apud ſe reputarent. Et poſtquam de aliis etiam ſcriptis Polycarpo tributis disquiſiviſſet, ad celebrem illam ad Philippenſes iterum relabitur, & adverſus Dallæum contendit, eam in dubium vocari non poſſe, cui tamen ultima epiſtolæ verba de epiſtolis Ignatii ſuſpecta habenti haud obſcure accedit.

In altera *Exercitatiuncula de Barnaba* multa de ejus nomine, prædicatione, ſepulcro in Cypro (unde ejus *ἀυτοκεφαλία*) repertoque ibi Matthæi Evangelio congerit, & Epiſtolam ſub nomine Barnabæ editam pro ſpuria habet, quod non ſit relata inter ſcripturas Canonicas, & ſcripta poſt excidium Hieroſolymitanum, adeoque poſt fata Barnabæ, & propter derivata ex Apocryphis & lacunis Judaicis, minusque apte allegatas ſcripturas Apoſtolo videatur indigna. Tribuit autem eam, *ſalvo meliori judicio*, Polycarpo, ſuis ductus conjecturis, quarum præcipua eſt immediatus utriusque epiſtolæ in Codd. Manuſcriptis nexus, de quo antea diximus.

In tertia denique *de Hippolyto* plura occurrunt notatu digna, inter quæ præcipua eſt diſputatio de Philippi Arabis Imperatoris Chriſtianiſmo, ad quem adſerendum non vult adhiberi nummum Apamenſium, in honorem Philippi cuſum, & in quo Falconerius atque Kircherus *Noæ* diluviique memoriam reperiſſe voluerunt. Oſtendit autem Moynius, litteras ΝΩΕ, quæ Falconerium aliosque deceperunt, non ſeparatim legendas, ſed jungendas cum ΑΛΕΞΑΝΔΡ. unde emergit ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ, adeoque iſto numo ΟΜΟΝΟΙΑ ΑΠΑΜΕΩΝ & ΑΛΕΞΑΝΔΡΕΩΝ deſcribitur. Ipſum vero Hippolytum gente Arabem ſuiſſe æmulumque non ἐργοδιώκτην Origenis evincit contra Photium, ſed ubi Epiſcopus

fuerit, non determinat, quanquam varias & suas & aliorum eruditorum conjecturas producit. Porro in γνησιότητα scriptorum Hippolyto tributorum inquirit, & fragmenta ab Anastasio Bibliothecario collecta ac a Sirmondo edita, sibi admodum suspecta videri innuit. Tum de monumento Hippolyti marmoreo, anno superioris sæculi LI Romæ eruto, brevem instituit discursum, idque in æde sacra collocatum & conservatum fuisse censet.

Posthac nova Prolegomena partis posterioris observationum brevi proditura promitit. Priorem enim Tomo secundo edidit, quem sequenti mense recensebimus. Nunc id saltem adjicientes, quod paullo ante Dissertationem de Polycarpo commemorat Moynius : *Pergant Romani decem volumina* ἀνεκδότων *Allatii publicare, in quibus varia talia Symmicta ac Analecta, ut constat ex Allatii ipsius catalogo, quo usi sumus.* Quod votum & nostrum & omnium eruditorum est.

M. TULLII CICERONIS ORATIONES, interpretatione & notis illustravit P. Carolus de Merouville, Societatis Jesu, jussu Christianissimi Regis ad usum Serenissimi Delphini.

Parisiis, apud Dion. Thierry & Sim. Benardi viduam, 1684. in 4.

Quam rationem in edendis auctoribus pluribus tenuerunt, qui ad usum Delphini eos accommodarunt, auspiciis Illustrissimi Ducis Montauserii, Jac. Benigni Bossueti, & Petri Danielis Huetii studium hoc aggressi; eam secutus est in orationibus Tullii illustrandis Merovillius. Nempe textum Ciceronis, optimas editiones adhibens, exprimendum duxit; nec in eo tamen quicquam emendavit; brevique ac facili commentario, qui interpretatione difficiliorum verborum & notis ad obscuriora loca absolvi-

solvitur, juventuti potissimum, quæ Tullianam eloquentiam addiscere studet, consuluit. Vitam Ciceronis per annos consulares digestam universo operi, argumentum autem & historiam actionis cuivis orationi præmisit; ut & personæ de quibus in ea agitur, & tempus, quo quælibet habita est, aliaque ad eam spectantia cognoscantur. Utque studiosorum eloquentiæ commodis tanto magis inserviret, amplificationum, figurarum & schematum indicem cuivis tomo (quorum tribus inclusit omnes quæ supersunt orationes Ciceronis) subjecit; verborum elencho, qualis plerisque aliis in hunc modum adornatis auctoribus subjungitur, omisso; forte quod nimis copiosum & ipsius operis moliparem eum futurum animadverteret.

DESCRIPTION NOUVELLE DE CE QU'IL Y a de plus remarquable dans la ville de Paris, par M. B.

sive,

Nova descriptio eorum, quæ in urbe Parisiorum notatu digniora habentur, per Dn. B.

Tomi duo.

Parisiis apud Viduam Audineti 1684. & Hagæ Com. apud Abr. Arondeum 1685, in 12.

Quod de Roma sua quondam prædicavit poetarum princeps Virgilius, eam tantum alias inter urbes caput extulisse,

quantum lenta solent inter viburna cupressi;

id de hodierna Lutetia si quis asserat, neutiquam a vero aberrabit. Certe enim vix dabitur hodie civitas, quæ in tantam sui admirationem spectatores passim rapiat, uti hæc; prout abunde testatur ingens exterorum caterva, ad contemplandum ejus nitorem quotidie certatim advolantium. His ipsis vero cum in tam vasta urbe facile sit plurima, visu licet dignissima, inadspecta prætermittere, experto præsertim viæ duce destitutis; hinc in gratiam eorundem Autor libellum hunc concinnandum suscepit, quo tanquam filo Ariadnæo

in perlustrando hoc elegantiarum labyrintho uti possent. Id vero ut commodius expediret, non alium sibi ordinem tenendum putavit, ac qualem ipsa platearum atque locorum series aut contigua vicinitas suppeditare visa est : viarum enim compendia ubivis peregrinis commonstrare sategit, quo sic uno itinere plura simul spectatu digna collustrare valerent, nec inani labore eadem spatia sæpius remetiri necesse haberent, quod locorum inexpertis alias plerumque contingit. Succincte itaque enarrat, quænam singulis in locis occurrant memoratu digna, quæque curiosum oculum oblectare queant, habita inprimis architecturæ ratione ; cujus ut & sculpturæ picturæque artifices plerumque nominatim allegare studuit. Non omisit etiam in transitu brevibus annotare, quæ ad historiam cujusvis loci facere visa sunt. Epitaphia & inscriptiones alias similes rarius adposuit, quod instituto suo minus convenire crederet; aliquas tamen lectori tradidit, uti v. g. quæ equestrem statuam Henrico IV in ponte novo erectam condecorant, *pag. 288.* ubi etiam simul tenorem scripturæ communicat, quæ in pergameno exarata, ac thecæ plumbeæ, pulvere carbonum, ad arcendam humiditatem repletæ, indita & in cavo ventris equi istius æneі recondita fuit ad conservandam temporum istorum memoriam. Cæterum ipse fatetur, exactam urbis descriptionem a se susceptam non esse; quin potius eum laborem aliis semet instructioribus relictum, quos etiam suo forte exemplo instigatos non defuturos confidit.

PARIS ANCIEN ET NOUVEAU, par M. le Maire.

sive

Caroli le Maire Lutetia vetus & nova.

Tomi tres.

Parisiis apud Theodorum Girardum, 1685, in 8.

HAud vanam fuisse spem Autoris, quem modo retulimus, extiturum sc. qui Lutetiam plenius describeret, præsens hic liber satis

satis evincit, solidiorem quippe urbis Parisiensis historiam exhibens, nec modernæ saltem ornamenta, sed & antiquæ simul monumenta curate recensita continens. Videlicet Autor non contentus ea recensuisse, quæ in singulis templis, cœnobiis, collegiis, palatiis, ædibus denique aliis extantioribus oculos feriunt aut spectatu digna occurrunt ; insuper in origines ac fundationem tam urbis, quam partium ejus principaliorum inquirere, easque ex authenticis, ubi opus fuit, scripturis atque documentis deducere sategit. Et in primo quidem tomo & parte secundi de templis ac cœnobiis tractat, quidque singula curiosi aut rari contineant studiose edocet, ac speciatim quænam ubivis sanctorum reliquiæ asserventur enarrat : originem cujuslibet, quantum fieri potuit, evolvit, commemoratis etiam nonnunquam solennitatibus, quæ in ponendo primo unius aut alterius ædis lapide adhibitæ fuerunt. Nec omisit in plerisque monasteriis habitum Religiosorum, aliaque ad eum ordinem ejusve historiam facientia describere. Licet vero hic ordine Alphabetico processerit, nihilominus ob eminentiam, qua pollent, præmisit Abbatias Regias S. Genovefæ & S. Germani Pratensis, ut & imprimis Ecclesiam B. Mariæ, *de nôtre Dame*; ad cujus præstantiam demonstrandam prolixum exhibet catalogum eorum, qui ex illius Canonicis ad dignitatem Pontificiam, Cardinalitiam, Archiepiscopalem ac Episcopalem evecti fuerunt. Cæterum epitaphia notabiliora ubivis commemorat, ut quorum inspectionem peregrinis summopere commendat, per epitomen scilicet exhibentium vitam & actiones hominum in quolibet vitæ genere præstantiorum. Reliquum tomi secundi absumunt Collegia & scholæ, quæ itidem serie alphabetica enumerantur, exhibitis per compendium cujuslibet institutis : ubi de Universitate Parisiensi ejusque origine ac œconomia brevibus, sed perspicue tractatur. Tomus tertius Parlamenti historiam sistit, ejusq; tum fundationem, tum partitionem, membra, ritus, & similia recenset, ut & alia judicia ac tribunalia in hac civitate vigentia. Denique & reliqua, quæ ad demonstrandam urbis magnificentiam faciunt, uti palatia, portæ, pontes, aliaque loca tam publica quam privata, nitore aut ornamentis extantioribus sese commendantia accurate non minus, quam jucunde describuntur. Subnectitur


in fine descriptio Templi S. Dionysii non procul a Lutetia disiti, & ad sepulturam familiæ regum Galliæ dicati; ubi non tantum sepulcra singula cum suis inscriptionibus commemorantur, sed & thesaurus Regius, quo insuper locus iste maximopere per orbem celebratur, singulatim & secundum partes suas curiose descriptus exhibetur.

GUALTERI CHARLETONIS INQVISITIO PHYsica de causis catameniorum ex uteri rheumatismo.

Londini apud Gu. Kettilby, 1685. in 8.

SUb durissima fatorum lege vivere fœmellas, sive perfruantur sive careant virorum consortio, comprobat sufficientissime morborum atrocium phalanx, quos peculiares, sexuique nostro ignotos, misellæ sæpius perferre coguntur. Contemplando igitur hanc illarum miserrimam conditionem, duos morbos, quos omnium reperit frequentissimos ac curatu difficillimos, examinandos in utriusque sexus gratiam assumsit Autor; scilicet Catamenia & uteri Rheumatismum. Ne vero quid omissum videatur, exordium laboris facit ab expositione nominum, tam Græcis quam Latinis utero impositorum, annectendo brevibus historiam uteri anatomicam, dum scilicet locum in corpore ab utero occupatum, una cum differentiis ejus ratione magnitudinis in virgunculis, marito maturis, vetulis, prægnantibus ac partum sæpius expertis; & denique substantiam ejus, vasa, ac partes quibuscum connectitur, describit. Postmodum inquirit in causam finalem catameniorum, ubi antiquorum, Democriti puta, Aristotelis ac Galeni sententias diluens, incidenter, satis tamen prolixe contra nutritionem fœtus per vasa umbilicalia disputat', potiusque per os embryonem nutriri, cum Entio defendens, cujus etiam opinionem de causa finali catameniorum amplectitur, nimirum esse ipsam materiæ seroſæ ac superfluæ succi alibilis, alias stagnandi varia producentis mala, expurgationem. His absolutis, ulterius in falsitatem causæ efficientis juxta antiquos, lunam videlicet,

& re-



TAB. III. ad a. 1686. pag. 79.

Fig. 1.




Fig. 2.




Fig. 3.





Fig. 4.



Fig. 5.



J. C. Böcklin sculps.



& recentiores, fermentationem potius sanguinis accusantes, inquirit, falsitatem utriusque validissimis argumentis demonstrans. Denique suam opinionem pari prolixitate & argumentorum accumulatione stabilire conatur; pro causa venditans succum nutritium in uteri tubulis collectum ac tandem prorumpentem. Finitis speculationibus de Catameniis, ad Rheumatismum uteri progreditur. Hunc vero distinctissimum dicit ab illo fluxu, qui alias practicis albus audit, & subjectum inhæsionis agnoscit glandulas prostatas, per uteri vaginam extensas, ipsumque fundum uteri occupare refert, cujus tubuli multis modis læsi & relaxati succum ejusmodi limpidum stillarunt, quod assertum variis rationibus ac experimentis probare adnititur. Tandem integrum tractatulum claudit aliquo epiphonemate, in quo rationes exponit, ob quas curam dictorum affectuum non addiderit. Præsupponit siquidem rei Medicæ expertis illam jam esse notam; a vera autem eruditione ac scientia Medica alienis, sacram hanc curam esse debere putat.

AUTOMATON NOVUM, PER DESCENsum super plano declivi horas indicans, inventore Mauritio Wheelero M. A. & Rectore Sibbertoftensi in Comitatu Northamtoniæ.

Excerptum ex Transact. Philos. Anglic. Mens. Julii, 1684. num. 161. pag. 647. seqq.

VUlgaris neutiquam fabricæ est horologium, quod a se primum excogitatum Societati Philosophicæ Oxonienſi, haud ita pridem stabilitæ, exhibuit, ejusdemque censuræ subjecit *Wheelerus*. Non diffitetur quidem, machinas huic quodammodo affines jam antea ab uno alterove inventas perhiberi: cum tamen & structura & ratio motus earundem hactenus in occulto manserint, secretius quippe ab autoribus habitæ; certum est ipsas novitati præsentis *εὑρήματος* nil quidquam derogare posse. Ipsum vero hoc automaton aut potius exteriorem ejus faciem exhibet *Fig. 3*, ubi videre est corpus quoddam circulare, constans ex duabus laminis TAB. III.

nis rotundis æqualis diametri, trium nempe cum dimidio pollicum; compactis invicem parallelo situ ope circuli *b*, unum circiter pollicem lati. Anterior lamina, quæ circa limbum inscriptam habet horarum unius diei divisionem, in medio concava est ad dimidium fere pollicem, ejusque centrum acum habet occulte prominentem, cui laxe affigitur hemisphærium *g*, ex ære aut argento excavatum; & inferior quidem ejus medietas plumbo repleta est, superior vero vacua; cui insidet homunculus exerto digito indicis horarii munere defungens. Quod si cui simplicior machinæ fabrica magis probetur, potest loco laminæ horariæ concavæ planam substituere, indicem etiam adhibere vulgaris figuræ, qualem v. g. exhibet *Fig.* 4. dummodo axis intra ejus foramen H libero & non impedito motu volvi queat, ac insuper inferior pars H L tantum præponderet superiori H P, ut index semper pendulus cuspide sua ad horam verticalem dirigatur. Singulare enim in hac horologii specie est, quod hic non index ad horas, sed horæ ad indicem accedunt; culminantes scilicet successive supra ejus cuspidem, dum ipse situm continuo perpendicularem servat. Collocatur automaton ita descriptum super assere SE *in Fig.* 3 declivi, plano tamen & levigato, & ejus quidem crassitiei, ut plena ejus superficies nec a tempestatum vicissitudine, nec ab incumbente machinulæ pondere ullam mutationem pati queat. Per hanc ergo tabulæ declivitatem automaton nostrum tam lento descendit gradu, ut non nisi intra viginti quatuor horas unam absolvat revolutionem. Hæc ipsa vero quo tanto commodius procedat, expedit, ut oræ laminarum istarum circularium octava pollicis parte extra circulum *b* eas compingentem, undique promineant, leviter quoque insuper dentatæ seu crenatæ; ut nempe machina dum descendit volvi saltem, non autem ob lubricam lævitatem deorsum labi valeat. Atque hæc quidem externam horologii nostri figuram satis ostendunt.

Ad interioris structuræ explicationem melius expediendam, in antecessum ex principiis Staticis sciendum, qua ratione circulare corpus quiescere, aut quod idem est, tam imperceptibili motu progredi possit in plano inclinato, id quod forte mirum cuiquam

quam videri posset. Hæc proinde difficultas sequenti modo eximitur.

1. Sit in *Fig.* 2 L O D N, corpus quoddam circulare, cujus centrum tam gravitatis, quam magnitudinis coincidat in M. Hocce corpus si collocetur super plano aliquo horizontali G G, evidens est angulum contactus *a* fore etiam punctum ejus librationis, & consequenter id ibidem necessario quiescere; *quia momentum & impedimentum sunt æqualia.*

2. Si D E sit planum declive, angulum contactus cum circulari isto corpore faciens prope *b*, manifestum est, id consistere non posse; dum linea directionis *r a* (quæ antea in horizontali situ dividebat corpus per centra magnitudinis & gravitatis in partes æqualis ponderis,) nunc remota est versus L D, quæ ipsa linea L D, dum cadit extra centrum *M*, evidenter destruit æquilibrium partium ejus corporis, facitque ut deorsum ruat versus E: hic enim *momentum impedimento majus.* Cujus rei ratio cum sita sit in excessu ponderis partium L N D, super reliquam sectionem L D O, necessum est ut sequatur,

3. Quod si pondus aliquod, æquale excessui partis L N D super L O D, affigatur limbo quadrantis *O a*, ex. gr. prope *P.* tum circulare corpus quiescet tam sedate in *b*, ac antea faciebat in *a*: quia jam L D O + P = L N D, i. e. *impedimentum æquatur momento.* Quinimo corpus hoc circulare fortiori jam impulsui resistet, ac pertinacius servabit suum punctum librationis *b*, in declivitate D E, quam antea potuit, dum quiescebat super puncto *a* in horizontali plano G G. Ratio evidens est, quia, dum quadranti O *a* additum est æquilibrium P, centrum gravitatis magis deorsum cadit in linea directionis L D, promotumque est ab M ad C, h. e. propius ad punctum librationis *b*; & consequenter constantius conservabit corpus circulare in præsenti situ suo. Unde si 7 aut 8 gradibus quadrantis sursum aut deorsum volutum removeatur a puncto librationis *b*, acriter se vibrabit, usquedum rursus adipiscatur punctum suum quietis: cum e diverso globus eadem habens centra magnitudinis & gravitatis, ac horizontali plano innitens, ut levissimo impulsu volvitur, ita quamprimum motus

ejus circularis ceſſat, ne minimum quidem vibrat, ſed immediate quieſcit.

Et hactenus quidem dicta ad retardationem deſcenſus corporis in declivitate ſpectarunt. Ex ſequentibus tamen apparebit, eadem principia, quæ hactenus cauſa quietis in automato noſtro fuerunt, eſſe etiam cauſam motionis ejusdem. Hoc ut melius percipiatur, in *Fig. 1.* interior machinæ ſtructura nudis ſaltem lineis indigitata eſt. Hic ſcilicet numeri 1, 2, 3, 4 repræſentant ſyſtema quoddam operis rotarii, materialiter haud differens ab iis, quæ in vulgatis horologiis deprehenduntur: dummodo numerus dentium ſive crenarum in rotis & axiculis ſtriatis talis ineatur, ut motio totius operis reſpondeat aſſignatæ revolutioni corporis automati, ſemel ſcilicet intra 24 horas abſolvendæ. Expediret etiam, pinnam reſilientem ſpiralem applicari ejus libramento, prout in recentioribus horologiis fieri ſuevit. Fuſo vero hic neutiquam opus eſt; converſiones enim corporis horologii, dum ſuper pegmate ſuo deſcendit, explent omnes intentiones, quas alias chorda ſive catena habet: atque obniſus ponderis P, ſupplentis exceſſum LED ſuper LQD, inſervit loco perpetui Elateris, nec ad perennem motum efficiendum hic aliud deſideratur, niſi continuus deſcenſus ſeu declivitas perpetua. Præterea licet rotarum maxima in ordinariis horologiis collocari ſoleat ad marginem laminæ rotas ſuſtinentis *f f*, quam proxime fieri poteſt: hic tamen eadem (cum axe ſuo M) occupare debet centrum automati; eo quod rota hæc deſtinata eſt ad ſuſtinendum pondus ſive potentiam P, ope vectis MP; quodque pondus hoc P ſemper ſervare oportet æqualem diſtantiam a centro automati: ut dum corpus machinæ revolutionem ſuam perficit, dictum pondus P, & major illa rota, cui id affixum eſt, permanere queant in eodem, aut prope, ſitu, in quo nunc ſunt. Priusquam tamen vectis modo dictus axi applicetur, opus eſt ut machinæ æquilibrium reſtituatur, quod per inſertionem rotarum quodam modo fuit deſtructum: horologio enim poſito in plano quodam horizontali HH, apparebit, illud in ſuo puncto contactus T quieſcere non poſſe, prout tamen oportebat, dum prædictæ rotæ 2, 3, 4, proprio ſuo pondere removent centrum gravitatis, ab M verſus E. Huic ergo incommodo ut ſuccurratur, cu-

curandum, ut in parte rotis his oppoſita circiter CQ interius latus circuli, capſæ laminas combinantis, pauxillo plumbi muniatur, ac in tantum oneretur, quo totum horologii corpus cum omnibus ſui partibus (exceptoſolum pondere P, cum ſuo vecte) in quolibet circumferentiæ ſuæ puncto in linea horizontali indifferenter quieſcere valeat. Reducto ſic ad M gravitatis centro, ſæpe dictum pondus P (quod majoris evidentiæ ergo juxta ſoliditatis ſuæ dimenſionem repræſentatur *fig. 5*) mediante vectis ſui foramine H affigendum eſt axi rotæ centralis M; & tum corpore automati collocato in declivitate DE, ac ſuppoſito (uti *ſupra num. 3.* oſtenſum eſt,) P+LQD = LDE, neceſſe eſt machinam ibi quieſcere: aſt quia pondus P nunc non, ut *in Fig. 2*, affixum eſt ulli parti Quadrantis OD, ſed incumbit ſyrmati rotarum 1, 2, 3, 4, evidens eſt, ſi ejus potentia prævaleat reſiſtentiæ rotularum ſibimet mutuo implicatarum, totum machinæ corpus neceſſario deſcendere verſus E *in Fig. 3*. Duo ergo officia ſunt ponderis P: unum quidem, ut æquiponderet exceſſui gravitatis LED, ſuper LOD (uti *num. 3.* dictum;) alterum, ut ſufficientem vim habeat impellendi rotulas ad talem motum, qui exacte reſpondeat tempori, ad revolutionem totius automati deſtinato. Ut adeo, ſi una adhuc in conſtruendo noſtro horologio difficultas ſit reſidua, tota conſiſtat in attemperando & commenſurando tam exacte pondere P, quo utrique huic intentioni deſervire queat. Quam facile autem hoc ſit, apparebit ex ſequentibus Propoſitionibus.

1. Quantacunque ſit intrinſeca gravitas in P (ſupponamus autem eſſe quatuor unciarum) tamen potentia hujus ponderis augebitur aut diminuetur pro ratione graduum ejus elevationis in quadrante TQ. Sic conſiderando PM tanquam vectem, ejus hypomochlium eſt M, punctum vero, ubi exerit vim ſuam in rotarum ſeriem, eſt in V. Qualemcunque jam potentiam habeat in puncto V, in præſenti ſua elevatione graduum 45, utique majorem adquiret, ſi ſuſtollatur ad 50, 55, &c. & maximam omnium ad 90 gradus prope Q. At e contrario, ſi demittatur ad 40, 35, &c. ejus virtus in puncto V continuo decreſcet, in tantum ut in T omnino extinguatur, nec intuitu motus rotulis imprimendi, quicquam maneat niſi pondus iners. Quod ſi ergo P competenti conſtet pondere, (i. e. non enor-

enormiter leve sit) ad impellendum aliqualiter rotarum systema, utique movere illud poterit aut in hoc, aut in alio gradu elevationis suæ in quadrante QT.

2. Quemadmodum pondus P, dum per vectem M P suspenditur, non minus aptum est ad inducendum machinæ corpori æquilibrium, quam si firmiter foret affixum in eadem automati parte: ita officio hoc suo defungi potest, quocunque in quadrantis puncto constitutum cieat motum compagis rotularum. Hoc vero quo evidentius evadat, tenendum est,

1. Quod in quocunque puncto Circuli L E T Q, *Fig. 1*, linea declivitatis DD, facit angulum contactus, in idem punctum cadat diameter SD ad angulos rectos cum DD.

2. Quod linea directionis LD semper incidat in punctum contactus D, angulum faciens cum diametro, SDL.

3. Quod angulus SDL, semper æqualis est angulo DEH, in *Fig. 2*, i. e. quanta est elevatio lineæ declivitatis DE supra horizontalem EH, tantus erit angulus distantiæ inter diametrum SD, ac lineam directionis LD. Hoc ut clarius evadat, horizonti EH, ducatur parallela *eh*, ac lineæ declivitatis ED, parallela *bd*. Eritque angulus *dMh* æqualis angulo DEH; ac *eMb* æqualis *dMh*, & quia S M *b* ac *r* M *e* sunt anguli recti, idcirco S M *r* æqualis est *eMb*; ac dum *ra* parallela est ipsi LD, angulum SDL oportet esse æqualem angulo (S M *r* = *e* M *b* = *d* M *h*, i. e. =) DEH. Atque hinc sequitur,

4. Quod quo major est angulus declivitatis, eo minor sit sectio LQD, in *Fig. 1*; ac e contrario, quo minor est angulus, eo major sectio: Ac inde

5. Excessum ponderis LED, super LQD, etiam oportere esse majorem, si tabula automaton sustinens, magis elevetur mediante cochlea S, in *Fig. 3*: minorem vero, si ejusdem cochleæ ope demittatur.

6. Quo levior est pars corporis machinæ, repræsentata per sectionem LQD, eo gravius oportere esse libramentum P, idque vel ratione ponderis ejus intrinseci (in unciis aut unciarum partibus;) vel ponderis potentialis, per altiorem ejus elevationem in quadrante QT.

7. Al-

7. Altiorem erectionem pegmatis automati, factam mediante prædicta cochlea S, sublimius elevare æquilibrium in quadrante QT; per *Prop. 3*; idque adeo potentialiter gravius reddere. Atque hinc jam apparet, tum ratio rite commensurandi motus rotularum ad exactam horarum dimensionem; tum quantum debeat esse pondus P, a quo scilicet motus ille dependet, quodque hic adstricti non simus ad scrupulos aut grana, sed tam notabilis latitudo nobis sit indulta, in qua non ita facile errare queamus.

Cæterum quo commodius directio automati ejusque cursus fiat, ita procedi potest. Sustollatur asser mediante cochlea S ad elevationem graduum circiter 10; huic imponatur nostrum horologium, tenteturque quantum pondus, in extremitate vectis MP suspensum, impellere ad motum valeat compagem rotarum; interim automaton sustineatur manu in tali positione, in qua vectis angulum faciat graduum quasi 30 cum perpendiculari M T: tum liberæ undulationi in asse relinquatur machina, ejusque vibratione cessante observetur, ad quem gradum quadrantis dirigatur vectis, atque insimul attendatur ad pulsus libramenti. Atque sic si appareat, pondus esse aliquantisper demissum (e. g. intra 25 & 35 gradum quadrantis) pulsus etiam libramenti videantur non multum discrepare a debito suo tempore, pondus P reputari poterit sat bonam proportionem nactum: hic enim, uti dictum, latitudini aliquali locus est. Quod si contingat pondus esse gravius, quam absolute necessarium est, excessui huic moderatio accedere poterit, depressiorem situm reddendo asseri machinam portanti: ac e diverso, si levitate, non enormi tamen, peccet pondus, defectus compensari potest, sursum magis urgendo tabulam ope cochleæ S. E duobus vero his extremis prius potius eligatur: quo paucioribus enim gradibus P ascendit in quadrante, ultra id quod absolute necessum est, tanto id, ob rationes perquam obvias, erit melius.

Hoc ergo est automaton recens a *VVhelero* excogitatum, cujus præter ea, quæ hactenus dicta sunt, haud leves commoditates ac prærogativæ præ vulgatis horologiis recensentur. Quod v. g. nubi in his quotidiana revolutione seu retractione opus est ad re-

ſtaurandum eorum curſum, noſtrum nil aliud exigat, quam ut in ſummitate tabulæ ſuæ de novo reponatur, poſtquam ad imum devolutum eſt; id quod non niſi ſemel per ſeptimanam fieri debebit, modo aſſer ſex pedes longus ſit: ſimiliter correctio hic facillima eſt, ſi deprehendatur horas non juſte ſatis indicare. Etenim ſi ipſa horarum dimenſio vitioſa, ſcilicet aut tarda nimis aut nimis feſtina, remedium in promtu eſt, ſi aſſeris elevatio ope cochleæ aut augeatur aut minuatur. Quod ſi autem horarum proportione quidem recte ſe habente index ſaltem non ſatis reſpondeat horæ diurnæ ſeu Solari; tum vel minimo digiti tactu, machinam aut dextrorſum aut ſiniſtrorſum magis inclinante, corrigi valet: id quod facilius adhuc expedietur, ſi ſingulis horarum punctis claviculus capite prominulo infigatur, ut in *Fig. 3* videre eſt. Denique confidit inventor, automaton hoc, ſi capacior ei fabrica & ulterior elaboratio accedat, reddi poſſe tale, quod cum nobiliſſimis machinis rotariis pari paſſu ambulare; quin & earum plurimas, præſertim repræſentando felicius, & imitatione magis naturali, integro cœli ſyſtemate, vincere valeat.

GEORGII A TURRE PATAVINI, IN PATRIO Gymnaſio olim rei Herbariæ, nunc praxis ordinariæ interpretis, Hortique publici præfecti Hiſtoria Plantarum.

Patavii apud Petrum Mariam Frambottum 1685. in fol.

CUm Autor hujuſce operis, quod & *Dryadum, Hamadryadum, Chloridisq; Triumphus* inſcribitur, vere quolibet amœniſſimam Vegetabilium ſeriem perluſtrare neceſſe habuerit, hac ipſa occaſione, quænam intimæ plantarum ſint virtutes, & affectiones, ut vocat, & quibus de cauſis valetudinem hominis aut conſervent, aut amiſſam reſtituant, fuit perſcrutatus; & quamvis in grandi ſenio, prout ipſemet fatetur, jam ſit conſtitutus, continere tamen ſe non potuit, quin, quam ſibi per tot annos comparaverat, notitiam plantarum monumentis literarum traderet, perque typos publicos cum Botanophilis qui-

quibusque communicaret. Elegit autem, uti ipſemet indicat, in cauſarum perveſtigatione Theophraſtum Ereſium ſibi ducem, in in effectuum explicatione Dioſcoridem; cumque effectus plantarum duplicis originis eſſe obſervaret, in primo Hiſtoriæ ſuæ libro facultates percenſet a forma vel entelechia, ut loquitur, proficiſcentes, easque nullo certo temperamenti gradu definitas, quales ſint admirabiles illæ vires determinatos ſuccos purgandi, certas partes roborandi, quibusdamque venenis reſiſtendi. In II libro effectus plantarum excutit, qui materiæ ſive elementorum concurſum ſequuntur, qualitatesq; ſenſibus externis perceptibiles, tactuique adeo, oculis, naribus linguæque ſubjectas. His duobus libris uti indicem capitum plantarumque præmiſit Autor, ita indicem rerum memorabilium longe copioſiſſimum ſubnexuit. Cæterum id voluminis qui percurrent, facile deprehendent, fortaſſe & mirabuntur, Auctorum veterum tantum placitis inhæſitare, recentiorum vero Botanicorem, quos inter princeps *Moriſonius* eſt, libros aut non vidiſſe, aut neglexiſſe.

HISTOIRE DE FRANCOIS PREMIER Par Mr. Varillas.

i. e.

Anton. Varillaſii Hiſtoria Franciſci Primi Galliarum Regis.

Editio ſecunda.

Lutet. apud Cl. Barbin. A. 1685. Volumina 2 in 4. Voll. 4. in 12.

QUod in Actis noſtris anni ſuperioris, *pag. 10*, primam hujus hiſtoriæ editionem Hagæ factam referentes, deſideravimus, ut ſecunda cura adhibita purgatior exiret, ejus voti non tantum compotes jam facti ſumus, ſed & cauſam, quæ tunc perſpici a nobis non potuit, nunc intelleximus, ob quam prior editio manca & mutila fuerit. Autor enim in præfatione hujus ſecundæ ſubtracta ſibi furto fragmenta operis eſſe queritur, & pro lubitu mutata ac interpolata, ſeque inſcio edita. Ita factum, ut non pauca, quæ indicat, memoratu digna in libris prioribus novem plane omiſſa, quædam vero corrupta fuerint, libri denique integri *decimus*, unde-

undecimus & *duodecimus* ab anno nempe 1543 usque ad finem Martii mensis A. 1547, quo Franciscus decessit, inediti manserint. Hos nunc adjecit, & priores reparavit, ut jam perfectæ Historiæ formam hoc opere exhibeat, quod quindecim annorum laboribus sibi refert constitisse. Reddit etiam rationem, cur manuscripta, ex quibus neglecta supplevit, aut errata emendavit, allegare non potuerit, & objectionibus quibusdam respondet, præsertim quod insimuletur Franciscí Regis existimationi detraxisse, scribendo, quæ minus recte ab eo gesta fuerint. Ad quæ inter alia regerit, scriptores exteros non alia mente Franciscum ultra modum laudasse, quam ut orbi & Gallis ipsis persuaderent, Galliam etiam sub sapientissimo & fortissimo Rege, imparem tamen Austriacis viribus esse, quod quidem, ut putat, hoc tempore eventus ipse refutet, & tunc quoque refutaturus fuerit, si Franciscus melioribus consiliis semper obtemperasset. Excusat etiam, quod Calvini historiam referens, singulares ejus dotes non reticuerit; præterquam enim quod veritati ubique locus esse debeat, in contumeliam Gallicæ nationis redundaturum fuisse existimat, si ab homine plane mediocri ad tantas innovationes commota esse dicatur; majori tamen eundem elogio a Petro Massonio, viro non Catholico tantum sed & Clerico, cohonestari. Addit, quibus Franciscí propensionem ad fœderatos Smalcaldicos, & societatem cum Turcis defendere conatur, majoresque culpas Carolo Imperatori impingit.

LES ANECDOTES DE FLORENCE, OU L'Histoire secrete de la maison de Medices, par Monsieur de Varillas.

i. e.

Anton. Varillasii Anecdota Florentina, sive Historia arcana Familiæ Mediceæ.

Hagæ Comit. apud Arnold. Leers 1685, in 12.

Anec-

ANecdota Procopii, quæ imitari libro hoc suo voluit Varillasius, nostro demum seculo integra ad cognitionem literatorum venerunt, cum ea *Nicolaus Alemannus* anno 1624 ex Vaticana bibliotheca, cui præfectus erat, producta Lugduni cum versione Latina edidisset. Quo consilio id fecerit, nempe ut odiis aulæ Pontificiæ adversus memoriam Justiniani Imp. obsecundaret, & cur *ἀνέκδοτα* non *ineditam* aut *non-edendam*, sed *arcanam* historiam vocaverit, ante annos triginta quinque, recusa Helmstadii Alemannica Procopii editione, disputavit in præfatione satis prolixa, qua ingenii elegantiam & multiplicem eruditionem jam tum exeruit, Vir Amplissimus *D. Johannes Eichelius*, celeberrimi postea nominis Jure-Consultus & Academiæ illius Antecessor primarius; animadversiones etiam adjecit, nec multo post Thomæ Rivii Angli, advocati Regii, defensionem Justiniani, aut potius invectivam adversus Alemannum acerrimam, itidem recudi fecit. Horum sententiam qui sequi velit (stabilitur autem argumentis gravissimis) Procopium pro homine nequissimo, pseudo-Christiano & mendacissimo, Anecdota vero ejus non pro historia, sed pro satyra aut criminatione petulantissima turpissimaque habebit. Suidas certe, cui notitia libri & autoris primario debetur, judicium Eichelii non leviter confirmat. Cum enim de Procopio retulisset, quod historiam Romanorum scripserit, hæc, veluti distinguens & opponens subjungit: *Scripsit & alium librum, qui Anecdota dicitur, de rebus Justiniani &c. in hoc vituperationes & insectationes habet comicas* (ψόγους καὶ κωμῳδίας) *Justiniani & Theodoræ, ut & Belisarii & uxoris.* Quibus consideratis vix dignus erit Procopius, quem pro exemplo sibi proponat Varillasius. Sed bene est, quod præter titulum nihil aut parum ab eo sumat, & novum hoc *Anecdota* scribendi genus iis constringat legibus, quibus a calumniarum & libelli famosi malitia tutum præstari possit. Facit autem id in præloquio hujus libelli magna cum diligentia, & primam summamque historiæ legem, ut non nisi vera & comperta scribantur, ante omnia præsupponit, eamque ab Anecdotorum scriptore tanto rigidius observari debere ostendit, quanto minori cum applausu & evidentiori cum periculo secretiora & minuta quædam ad mores hominum vitamque interiorem

rem pertinentia in publicum producit quibus suas ob causas historici alias prudenter abstinere solent ; hæc enim, ut egregie monet Marcellinus, *discurrere per negotiorum celsitudines debet, non humilium minutias indagare causarum* ; abstinere etiam a veris, nisi verisimilia sint. Itaque supplementi quædam species est aut spicilegii hæc, quam Varillasius noviter introducit Arcanorum scriptio, ea tamen cum cautela instituenda, ut vulgata jam & edita prætereantur, utque a convitiandi malignitate, & ab iis, quæ pudori gravia sunt temperetur; in quo peccasse Procopium non negat Varillasius, & ab illius instituto eatenus merito discedit. Suum vero exemplis quibusdam ex hac ipsa, quam tractat historia, explicat & tuetur, utque dictis fidem & autoritatem conciliet, libros & documenta, unde ista hæc compilaverit, in frontispicio uniuscujusque libri allegat. Majori ut speramus cum lectorum utilitate hæc annotamus, quam si narrata a Varillasio in *libris* his *Anecdotorum septem*, per compendium recitare voluerimus, relatu quidem dignissima, sed rectius facilinsque ex libris ipsis, qui breves tersissimique sunt, petenda. Incipit autem rerum expositarum ordo a *Cosmo Mediceo*, quem seniorem vocant, anno 1464 mortuo, cujus prudentia magnæque opes ab historicis illius temporis mire prædicantur, & finit in morte Johannis Medicei sive Leonis X. Novitati autem Mediceorum, quam quidam fugillant, ita occurrit Varillasius, ut pro certo asserat, floruisse inter nobilissimas Florentiæ familias *Mediceam* jam ab eo tempore, quo urbs a *Rudolpho I* Imp. libertatem redemerit. Mercaturam autem (nam & hæc objicitur) in Italia sine labe nobilitatis, per institores exerceri semper solitam fuisse, notum esse dicit. Memorabilia maxime sunt, & Germaniæ res propius tangunt, quæ tradit de moribus & vita Leonis X, a Jovio, Guicciardino & Paulo Veneto, gravissimis licet scriptoribus, sed tanta cum diversitate narrata, ut lectores incerti relinquantur, quid sequi debeant. Multum tamen defert Veneto, tantoque confidentius, quia Card. Pallavicinus omnia adversus eum conquirens, hac tamen in parte nihil ei opposuerit. Multa cum delectatione relatas in hunc libellum historias legere licet, de vita multorum, qui ejus, quod notavimus, temporis intervallo claruerunt, literatorum, quorum plerosque Medicea

dicea juvit liberalitas. Inveniet, cui lubet Libro IV, qui fuerint qualesque *Leonardus Aretinus*, *Puccius*, *Ambrosius Camaldulensis*, *Antonius Beccarellus sive de Panormo*, *Bononiensis*, *Laurentius Valla*, *Flavius Blondus*, *Candidus Decembet*, *Alginous Venetus*, *Donatus Acciajolus*, *Franciscus Philelphus*, *Nicolaus Perrotius de Saxoferrato*, *Platina*, *Jacobus Cardinalis Papiensis*, *Domitius Calderivus*, *Antonius Campanus*, *Bessarion Græcus ille Cardinalis*, *Georgius Trapezuntius*, *Theodorus Gaza*, *Marsilius Tarcanista*, *Demetrius Chaleondylas*, *Marcus Musurus*, *Johannes Lascaris*, *Rudolphus Agricola Groningensis*, *Leander Albertus*, *Hermolaus Barbarus*, *Georgius Merula*, *Angelus Politianus*, (cujus infames mores & par exitus leguntur p. 194.) *Johan. Picus Mirandulanus*. Hi ut & *Christophorus Landinus*, & *Marullus Trachamorius* ad Cosmi & Laurentii Medicei tempora pertinent : succedunt Libro VII recensiti, *Pomponius Lætus*, *Hieronymus Savonarola*, *Marsilius Ficinus*, *Galeatius Martius*, *Eliseus Calentius*, *Jovianus Pontanus*, *Marc. Anton. Sabellicus*, *Laurentianus*, *Antiochus Tibertus*, *Philippus Beroaldus senior & junior*, *Titus & Petrus Strozzæ*, *Bartholomæus Coeles* chiromanta clarus sed ob eandem infelix, *Johannes Cotta*, *Petrus Crinitus*. Ex his plurimos Leo X commendatos charosque habuit.

DN. BERNOULLI DUBIUM CIRCA CAUSAM Gravitatis a rotatione Vorticis Terreni petitam:

Communicatum in litteris Lipsiam missis ad - - -


COnsulebam antehac per literas Cl. Sturmium Prof. Altorfinum, super quædam non exigui momenti dubia physica. Palmarium eorum, quod me semper torserat, & torquet etiamnum, spectabat explicationem mechanicam causæ gravitatis a terreni vorticis gyratione petitam. Respondebat paulo post perhumaniter & ingeniose Eruditus Vir, non ita tamen, ut pertinacius hærentem scrupulum prorsus exemerit. Quare secunda vice ejus lacessivi oraculum alteris ad ipsum datis literis, quas, frustra expectato diu respon-

so, ad manus ejus perveniſſe ſubdubito. Ille interim, quæ privatim inter nos acta fuerant, impertivit publico, inſertis tum Dubio meo, tum ſua ad illud Reſponſione, paragrapho XXIII Epiſtolæ ſuæ ad Henricum Morum exaratæ, annexæque ſecundæ parti Collegii Curioſi, quod non ita pridem publicum aſpicere paſſus eſt. Id cum vidiſſem, judicabam haud ægre laturum Virum celeberrimum, ſi & Inſtantiam meam publici juris fieri paterer, ut ſi vel ille, vel quispiam alius nodum ſolveret, ei haberent omnes mecum naturæ Curioſi gratias. Dubium autem meum primitus propoſitum „ſic habebat. Inter varias Doctorum opiniones illa mihi maxi„me videtur plauſibilis, quæ gravitatem corporum terreſtrium de„rivat a gyratione materiæ terram ambientis, ejusque conatu rece„dendi ab ejus centro. Vereor tamen, ne non & hæc cum Me„chanicæ legibus accurate ſatis conſpiret: Poſita enim hac hypo„theſi, certum eſſe puto, corpora gravia ſecundum illam lineam „detruſum iri, &c. (quæ ſequuntur, videri poſſunt loco citato.) Ad quæ reſpondit ille ſequentia: Quod naturam ſpectat gravitatis, "in eo primum inter nos convenit, quod non alia plauſibilior vi"deatur aptiorque explicandæ rei difficillimæ hypotheſis ea, quæ "gravitatem corporum terreſtrium derivat a gyratione materiæ ter'ram ambientis, ejusque conatu recedendi *ab ejus centro*, quæque, "ſi verbis hiſce, quibus eam recte concepiſti, firmiter inhæreas, ea "quam deinceps adjungis difficultate nihil urgebitur, utpote quæ "ſupponit conatum recedendi non a centro terræ, ſed a centro circuli Æquatori paralleli, quo poſito &c. (reliqua ibidem videantur.) Hæc tum ille. Inſtantia vero, quam huic reſponſioni deinceps „oppoſui, his concepta erat verbis: Quoad quæſtionem de na„tura gravitatis, quam a gyratione materiæ terram ambientis, „ejusque conatu recedendi ab ejus centro probabiliſſime derivari „dixeram, luſum quæris in verbis, *ab ejus centro*; agnosco non „ſatis circumſpecte me locutum, dicendumque fuiſſe, *a centro cir„culi Æquatori paralleli*: utut interim verum ſit, materiam illam
TAB. IV. „non poſſe ab iſto centro recedere in directum, quin ſimul a centro „Terræ recedat, quamvis oblique: ita dum punctum *c* (vide Fig. 1) „recedit a *b*, in directum per lineam *cd*, recedit eadem opera „a centro Æquatoris *a* linea *ad*, exiſtente majore quam *ac*.


adeo

TAB. IV. *ad a. 1686. pag. 92.*




















„adeo ut quamvis dixerim, ætherem habere recedendi *a centro*
„*Terræ* conatum, ſubintellige *obliquum* ex *c* in *d*, eadem ta-
„men maneat difficultas, quare vid. æther repellat corpora gravia
„verſus idem centrum via directa potius per lineam *d a*, quam
„iterum obliqua per lineam *d c*. Ad tollendam hanc dif-
„ficultatem, vorticum diſpoſitionem, ais concipiendam eſſe talem,
„quæ fini obtinendo poſſit eſſe apta, circulosque a ſingulis parti-
„culis deſcriptos ita ſtatuendos, ut omnes gyrationis ſuæ im-
„petum ab uno ſphæræ centro nactæ intelligantur. Veriſſime ſane!
„atque id unicum eſt, quod concipi a me non poſſe conqueror,
„nec poſſe a quovis alio puto, non magis atque concipere poſſu-
„mus, ſingula puncta in ſphæræ convolutione deſcribere circulos
„maximos, quorum utrumque Mechanicæ legibus æque adverſari
„judico: ſive enim vortices fingantur ſphærici, ſive cylindrici,
„ſolidi ſive fluidi, nulla eorum concipi poterit poſſibilis rotatio alia,
„quam quæ fiat circa axem immotum, cujus ſingula puncta ſint
„centra totidem circulorum parallelorum in ſuperficie ſphæræ de-
„ſcriptorum, atque gyrationis impetum non a centro ſphæræ, ſed
„a propriis centris nanciſcentium; uti patere poterit, granis arenæ
„in globum velociſſime in gyrum actum conjectis, quorum unum-
„quodque reſiliet per planum ſui circuli. Ad exemplum Fundæ,
„dubito illud cum ſucceſſu tentari poſſe, ut ſcribis; quin credide-
„rim potius, fruſtraneum fore conatum rotandi in manu, extra pla-
„num circuli a lapide deſcribendi conſtituta; propterea quod hoc
„caſu mihi perſuadeam, non tenſum fore funem, ſed remiſſum,
„atque eo ipſo probaturum, nullum talem eſſe in lapide a manu re-
„cedendi niſum, cum ſi quis eſſet, is utique funem extenderet.
„Pone vero funem extendi, ſentirique in manu lapidis conatum,
„cui conſtabit conatum iſtum directe tendere a manu rotantis,
„non ſecundario & oblique tantum, primario niſu facto per pla-
„num circuli a lapide deſcripti? Sed demus æque fortiter recede-
„re conari lapidem tum a manu rotantis, tum a centro gyri ſui;
„nulla foret ratio tamen, cur ſi aliud repelleret corpus, id faceret
„verſus manum potius, quam verſus gyri ſui centrum; uti ſuppo-
„nimus ab Æthere repelli gravia verſus Terræ centrum duntaxat,
„non verſus centrum circuli paralleli. Accipe, Clar. Vir, quæ mihi

„inciderunt hac de re conjecturæ: Conſideravi duos in ſphæra „circulos, in quodam puncto (quod locum habitationis noſtræ re- „ferat) ſeſe tangentes, alterum maximum, minorem alterum: quales „depicti ſunt in ſphæra Tropicus & Ecliptica: deprehendique ſectio- „nem mutuam planorum utriusque circuli incidere in lineam ali- „quam, quæ eſt communis utriusque circuli tangens: dum ergo „punctum contactus rotari incipiens juxta ductum Tropici, co- „natum acquirit recedendi per Tangentem, hactenus æque æſtima- „ri poterit recedere a centro Eclipticæ, atque a centro Tropici, cum „eadem ſit utriusque Tangens. Deinde attendi, quamvis portio „Ætheris in loco habitationis noſtræ conatum habeat recedendi „per Tangentem, poſſe tamen fieri, ut actualis truſio communicetur non per Tangentem, quæ horizontalis eſt, ſed per perpendicularem, „ductam a centro circuli maximi ad Zenith, uti globus *a* (vid. „fig. 2.) veniens ex *d* conatum habet eundi in *b*, trudit tamen „globulum *e*, quem oblique offendit, non juxta lineam *ab* ſed „juxta ſeriem *ac*. Interim non diſſimulandum, priſtinam hic redi- „re difficultatem: nam 1. Nulla eſt ratio, cur pulſio globulorum „fiat in plano verticali potius, quam in plano circuli paralleli, aut „quovis alio, cum Tangens illa, ſecundum quam recedere cona- „tur globulus, infinitis planis ſit communis. 2. Neque cauſa „manifeſta eſt, cur, ſi pulſio illa fit in plano verticali, fiat potius jux- „ta lineam Tangenti *ab* perpendicularem, quam juxta quamvis ali- „am, eo quod globulus *a* undique circumdatus infinitis globu- „lorum ſeriebus, ſubinde eos impelleret in alias & alias partes.

Forte non tædebit Lectorem, ſi hic ſubjungam quæſtionem alteram de propagatione radii viſivi, in eadem poſteriore Epiſtola Cl. Viro propoſitam, quoniam non parvam cauſarum latentium analogiam utrinque intercedere ſuſpicor. Quæſtio erat: *Cur viſio fiat in inſtanti, ſonus propagetur ſucceſsive? Cur item radius deferatur linea tantum recta, ſonus autem per quasvis etiam ambages „aures feriat?* Cui diſcrimini (ſic habebant verba mea) aliter ſatis- „fieri poſſe non puto, quam ſi corpuscula, quæ ſunt vehiculum „luminis, ſupponantur immediate ſe tangere; quæ vero ſunt vehicu- „tum ſoni, a ſe mutuo intervallulis ſeparata eſſe, quod ita con- „cipio; Suppono, vehiculum ſoni, particulas ſcilicet aeris ſubti-

liores

„liores *a.a.a.* vid. fig. 3. vel ſingulas ſeorſim, vel plures conjunctim, per „impetum aut primigenium, aut a materia ſubtili ſibi communicatum, „deſcribere gyros quosdam certæ ac natura præfinitæ magnitudi- „nis 1, 2, 3, 4, ſitque corpus ſonum edens AB quod concuſ- „ſum tremulo motu ſubinde accedat in CD; hoc igitur propel- „let omnes ſphærulas, 1. in *α*. 2. in *β*. 3. in *γ*. 4. in *δ*. ubi mani- „feſtum eſt, ſi iſtæ ſphærulæ eandem ſervarent amplitudinem, „neceſſum eſſet, ut eodem tempore, quo AB fertur ad CD, *m* „perveniret in *n*, ibique aurem feriret: notandum ergo, cum „particulæ aeriæ in circumferentia ſphærulæ *i*, rotatæ a corpore „AB percutiuntur, illas condenſari primum, ſphærulamque „anguſtari, qua coarctata particulæ debitum ſuæ gyrationi ſpatium re- „oſcentes, propellunt particulas ſequentis ſphærulæ 2, quæ iterum „coarctatur, ſed non adeo valide ac prior: coarctata propellit tert „tiam, hæc quartam, &c. Sic ut præcipuum, quod in ſono fit, ſi „aeris condenſatio, major equidem circa corpus ſonorum, mi- „nor autem in ſpatio remotiori; hinc enim planum fit, cur ſonus „non deferatur in inſtanti ad aurem; cur fortior ſit prope corpus „ſonorum, & tandem langueſcat; cur item feratur oblique, ſi- „quidem ſphærulæ condenſatæ ex omni parte ſeſe dilatent, atque „omnes circumjacentes ſphærulas propellant. In viſu quidem „etiam facile capio, cur lumen viciſſim deferatur in inſtanti; „nam ſi globuli ſecundi Elementi EF (vide fig. 4.) ſint ſoluti, ac „ſeſe immediate contingant, condenſari neſcii, ſequitur ut quo mo- „mento primus globulus impellitur a corpore luminoſo E, eodem „ſentiatur impulſus ab oculo G. Sed divinare nequeo, cur oculus „conſtitutus in H, quo radii directi propter corpus opacum K in- „terjectum pertingere nequeunt, non videat tamen lumen per ra- „dium EFH, ſiquidem globulus F non poſſit pergere ad G, „quin ſimul impellat ſeriem FH. Similis fuit difficultas, ubi de „deſcenſu gravium quæſivi, cur fiat ſecundum lineam perpen- „dicularem potius, quam ſecundum quamvis aliam; atque „dubito, annon eadem utriusque ratio ſit, quam profunde „ignoro.

Ejus-

EJUSDEM DN. BERNOULLI SOLUTIO DIFficultatis contra Propositionem quandam Mechanicam, Authore I. F. V. Lucensi propositæ, insertæque Actis Lipsiensibus, Mense Novembri 1684.

Communicata itidem in litteris ad — — —

PRopositum est huic Auctori ostendere, *Momentum totale gravis, ad momentum quod habet super plano declivi, non esse, ut longitudinem plani declivis ad perpendiculum*, argumento petito a globo duobus planis declivibus normalibus innixo, cujus momenta partialia, quæ utrumque planum sigillatim sustinet, excedere deberent simul sumpta momentum ejus totale; id quod Auctor judicat absurdum.

Subjuncta est *loco citato* ad difficultatem hanc brevis Cl. cujusdam Viri Responsio, qua recte quidem negat, absurdum esse, momenta in ambobus planis simul sumta excedere momentum globi absolutum: at cum negationem deinceps suam conatur illustrare exemplo duorum planorum, inclinati XC, & verticalis AC; videtur negligere præcipuum objectionis nervum, qui in eo situs est, ut momentum globi super utroliber plano statuatur sustineri ab altero *totaliter & adæquate*; quod hic non fit: Cum enim Planum AC (vid. figura 5.) sit obliquum ad lineam directionis IH, secundum quam globus exigit descendere super XC; itemque sit obliquum Planum XC ad lineam directionis IF, secundum quam globus exigit descendere super AC: sequi videtur, momenta descensuum alterna alternis planis sustineri non tota, sed *imminuta*; unde quis colligeret, etiamsi tota excedant momentum globi absolutum, imminuta tamen illi æquari posse: quod Auctorem objectionis in sua potius opinione confirmaret.

Itaque plenius solvenda difficultas est, dicendo, confundi in illa pondus & momentum ponderis. Potest enim fieri, ut pondus maneat unum idemque, variet tamen subinde momentum, quod

quod exercet in premendo alio corpore, pro diversitate applicationis utriusque, indeque natæ respectivæ celeritatis. Ita pondus applicatum longiori vectis brachio majus utique exerit momentum in obicem breviori applicatum, quam est momentum suum absolutum, cujus mensura est ipsummet pondus. Quantum autem momentum exerceat quodcunque pondus in premendo obice, determinatu facile est, dummodo consideretur, quid fieret, si descenderet pondus. Ita si globus I, (vide figuram 6.) plano horizontali K innixus, descenderet in L, spatio KL, ipsum planum eodem tempore per idem spatium KL ferri deberet; adeoque cum celeritates forent æquales, requiritur in plano, ad hoc ut globi descensum impediat, tanta resistendi vis, quantum est ipsum globi pondus, tantumdemque proin æstimatur momentum, quo globus in planum agere intelligitur; unde etiam vocatur momentum absolutum. At si deinceps globus sustentetur duobus planis, res secus se habebit; quod ut manifestum fiat: Sunto (in figura 7) plana XC & ZC, æqualiter declivia, quorum igitur utrumlibet a sustentati globi pondere dimidio premetur; sed quanto momento, sic explorabimus: Fingamus globum descendere ex I in L; quod dum facit, conatum premendi plana transmittit per rectas IF & IH, planis istis perpendiculares; quare globo existente in L, reperientur ista in QP & RP, situ priori parallelo, siquidem cujuslibet plani resistentia ultra citraque globum æqualiter diffusa supponatur. Eo ergo tempore, quo globus permeat rectam IL, æqualem CP; Planum XC non nisi transigit spatium CQ, brevissimam vid. distantiam inter XC & QP; id est celeritas globi ad celeritatem plani est, ut CP, ad CQ. Unde ne loco moveatur planum XC, requiritur in illo tanta resistendi vis, quæ sit ad dimidium ponderis globi, quo urgetur; ut reciproce celeritas globi CP, ad celeritatem plani CQ. Censetur autem resistendi vis cujusque obicis, æquipollere momento, quod in illum exerceatur. Quare etiam momentum globi super plano XC, est ad dimidium ponderis ejusdem, ut CP, ad CQ. Simili ratione momentum super plano ZC, est ad alteram ponderis medietatem, ut CP, ad CR; id est, CP, ad CQ. Adeoque etiam momentum globi super utroque plano simul sumptum est ad totum ejus pondus

dus (seu momentum absolutum) CP, ad CQ. Est vero CP major CQ. Igitur Momentum &c. Q E D.

Concludimus, quo acutiorem angulum ambo plana invicem constituunt, eo magis; & quo obtusiorem, eo minus momenta partialia excessura esse momentum totale, ratione rectæ CP ad CQ; illo casu existente majore, hoc minore: donec tandem apertura anguli tanta fiat, ut ambo plana coalescant in unum horizontale, quo facto coincident quoque rectæ CQ & CR cum CP, sustinebitque planum non nisi ipsum momentum globi absolutum. Patet etiam hinc, globum inter duo plana ita sustentatum, non male referre cuneum, cujus vim ingentem in findendis corporibus multis vicibus superare notum est absolutum momentum virium, quibus adigitur.

VVISKONSTIGE BETOOGING VAN DE verdunning en verdikking der lugt.

h. e.

Mathematica demonstratio rarefactionis & condensationis aeris.

Dordraci apud Dit. Goris 1685. in 4.

AEris, qui terram circumfundit, hanc naturalem vim esse, ut modo explicari ac expandi, modo coire in exiguam molem & concrescere possit, quotidiana experientia docemur. Cujus rei rationem veteris Philosophiæ sectatores vane reddunt, confugientibus nonnullis ad puncta inflata, plerisque vero ad vacua spatiola, quæ sint minutioribus particulis aeris interspersa. Sed horum æque ac aliorum sententiis, quas memorare non vacat, explosis atque rejectis, oppugnata imprimis doctrina de vacuo, Cartesius rarefieri scripsit aerem, quoties inter particulas tertii elementi, e quibus constat, globuli cœlestes & materia subtilis majori copia, & velut facto agmine subintrant, condensari vero, cum particulæ ejus instar mollium plumarum tenuiumque funiculorum complicantur, & sic utriusque elementi materiam saltem non omnem exclu-

excludunt. Quam assertionem uti hodie magna philosophorum pars defendit, ita cumprimis eleganter illustrat & perspicue explicat Autor ejus opusculi, cujus titulum exhibuimus. Postquam enim propositionum quarundam veritatem antehac ab ipso Cartesio satis demonstratam suppositit, mathematica methodo probat, particulas tertii elementi aerem componentes in vortice terræ a se distare pro magnitudinis, figuræ, & soliditatis diversitate. Ita particulas aeris, quarum eadem sunt memorata accidentia, non posse non æquali spatio a se remotas esse docet; quoniam v. g. si inter tres una ab altera propius, a tertia longius absit, materia subtilis in spatio angusto per interstitia globulorum cœlestium majori cum impetu & rapidius, quam in spatio ampliori deferenda, & sic impulsura videatur extrema latera particulæ inter duas sitæ, donec ipsa medium occupet, & utrinque eadem vis sit idemque motus materiæ subtilis. (conf. fig. 8.) Vicissim si duobus TAB. IV. corpusculis aeriis magnitudine æqualibus adveniat tertium minus, erit inter illa duo major distantia, quam inter hoc & illorum alterum, quia manifestum est spatio a duobus majoribus descripto contineri plures particulas reliquorum elementorum, quam in eo, quod majorum corpusculorum unum & minus efficiunt, adeoque plus illic esse motus, majoremque conatum & impulsum in duo corpuscula (conf. fig. 9.) Hæc ita late persequitur, & ostendit, qua ratione præter magnitudinem figura quoque & soliditas corporum causa sit, cur unum ab altero plus minusve distet. Tandem concludit, rarefieri aerem, cum quæ propiora sibi erant corpuscula, longius recedunt, plusque relinquunt spatii; condensari, cum magis coeunt; cui consequens est, quoties rarefit aer, debilitatam esse & fractam vim ejus agendi; quoties condensatur, ipsum fortius premere, transeunte cum impetu quodam materia cœlesti per spatium arctius juxta regulam generalem, ex qua res mota per angustias velocius fertur, quam cum libera motus via patet. Præmissæ Doctrinæ capita ad quosdam effectus, qui aeris extractionem artificiosam sequuntur applicat, horumque rationem reddit, unde unicum exemplum afferemus, ac dicemus paucis, quid de duobus globis, dimidiatis ita sibi arcte per solam aeris extractionem,

vulgari experimento, commissis, ut ne ingenti quidem vi divelli queant, pronunciet. Particulæ aeris crassiores intra globum tantum a se haud dubie distant, quantum eæ, quæ globi extimam superficiem ambiunt; & hinc fit, ut hemisphæria duo, etiamsi cera aliave materia illita jungantur, manibus non difficulter separari possint. Sed quamprimum applicatur antlia pneumatica, retractoque siphone ex ejus cavitate particulæ aeris ejiciuntur, consentaneum est, succedentibus per ordinem naturæ particulis quibusdam e globo in spatium vacuefactum, reliquas ex legibus prolixe demonstratis dissipari; particulas autem aeris exterioris advenientibus novis hospitibus coire, & locum angustiorem materiæ subtili relinquere, quæ proinde tanto celerius moveatur, tantoque vehementius crasiores particulas versus convexam faciem globi premat. Et ab hoc velociore motu, majoreque impetu materiæ subtilis venit stupenda hæmisphæriorum conjunctio, si scilicet aliquoties repetita sit illa siphonis retractio. Accedit etiam, quod convexam globi faciem, ut ampliorem, major numerus particularum, quam concavam feriat. Id enim non parum momenti post aeris extractionem habet, licet ante eam manus globum divellentes, utriusque superficiei hanc diversitatem, ex inde pendentem, inæqualem aeris impulsum non experiantur.

HISTOIRE CRITIQUE DU VIEUX TESTAment par le P. Richard Simon &c.

id est,

Historia Critica Veteris Testamenti, autore Richardo Simone, Congregationis Oratorii Presbytero.

Roterodami apud Regnerum Leers 1685. in 4.

SEptima, quæ nunc sistitur, Simonianæ Criticæ, cujus summam in Actis anno 1682 pag. 94 seqq. exhibuimus, eaque variis accessionibus conspicua editio, eundem cum quinta curatorem habet, Doctoris Protestantis utentem titulo. Quis ille sit, scrutari velle instituti nostri non est: facile vero ex Præfatione patet, scopum ejus alium non esse, quam Apologiam Simonis parare, & ostendere, ut pauci Protestantium (quos inter *Petrum Ambrunum* paulo post memorandum numerat) Simoni rite hactenus responderint; nedum ille, qui *Examen* instituit *Methodorum Cleri Galliei*, aut *Saldenus* in Otiis quæ vocat Theologicis, quos mitius non habet editor, quam *Lutherum*, *Bezam*, *Parisienses Reformatos*, & *Wasmuthum*, bilioſos, ut putat, versionum suarum fontiumque & punctorum biblicorum defensores. Eadem vero fata *Historiæ Criticæ* ominatur, quæ S. Hieronymus olim & Drusius, ac hodienum scriptores quidam habent, quorum prima odia ipsa temporis successio majori tandem admiratione compensarit. Plane enim se persuasum esse de magnificis utilitatibus, si in transferendo S. codice Simonis servetur methodus: nec videre se dicit, cur se Protestantes, sui scilicet socii, adeo traditioni opponant, illi quidem, quam is stabilire hoc opere sategit. Synodo quadam Belgica de supprimendo libro consultatum ait fuisse, at prudentiores suasisse contrarium; quicquid sit de adverso scopo Simonis, utpote qui eodem, quo nos Vulgatæ versionis defectus notamus, jure, suæ ecclesiæ commodis incubuerit. Præfationem novam vetus excipit, eamque ipsa Historia Critica, ad exemplar Parisiense majori studio, ut monet editor, exacta, quam Elzeviriana editio, & quæ ad hujus fidem suscepta est a *Natali Alberto de Vervé*, nec non alia ab Anglo tentata interpretatio. Monentur tamen futuri emptores, ne credant mercem esse bonam, nisi cui Regnerum Leers sua ipsius manu ac subscriptione caviſse cernunt. Et de ipsa quidem Historia Critica ut plura dicamus, necesse non est: quæ vero illi subjuncta sunt in nova hac editione opuscula, jam paucis memoranda erunt.

Primo exhibentur *Literæ* ad illustrem Boylium Fulhamo anno MDC LXXVIII scriptæ, autore Doctore Theologo *C. M. de Veil*, quem antehac in Academia Andegavensi scholas aperuisse, & in Acta Apostolorum commentarium scripsisse constat. Hic ipsum Simoniani voluminis scopum petens, eam in Protestantium ecclesiis *traditionem* certissimam esse probat varie, ex ipso quandoque adversario, quod Scriptura in elementis fidei morumque clarissima,

unica sit Christianæ religionis regula, ut si quis Mosen & Prophetas non audiat, neque crediturus sit traditionibus. Quæcunque demum jam olim mutationes primogenio textui versionibusque acciderint, nihil obstitisse ostendit, quo minus Christus, Apostoli, Patres e sola Scriptura firmamenta sententiarum quæsierint. Vane quoq; obtendi, quasi summi hi magistri allata e vetere testamento testimonia explicationibus traditione perpetua receptis accommodaverint. Eadem infirmitate objici suis Socinianos, qui cum e communi principio alias a nobis doctrinas effingant, monstrent exemplo suo, quam insufficiens in definiendis controversiis Scriptura censenda sit. Ad finem epistolæ negat Veilius, semper extitisse in Ecclesia religionis quandam epitomen, a Scriptura, ut est Simonis stylus, independentem.

Eam Veilii Epistolam excipit Apologia adversis ad eum litteris eodem anno a *R. de l' Isle* (num personatus homo sit, inquirant alii, quorum interest) Ecclesiæ Gallicanæ Presbytero scripta. Is vero Patres priorum seculorum Scripturam per se claram dixisse respondet contra eos, qui Philosophiam Platonicam eo tempore Christianæ fidei miscuerint. Ut autem Veilio diserte contradicant Irenæus & Tertullianus: ita nec Augustinum ab eo proferri in arenam debuisse, utpote qui pædobaptismum traditionis auctoritate communiverit. Quæ contra Synodorum Londinensium auctoritatem Gallus regesserit, alia occasione, si Deus voluerit, memorabitur commodius. Id mirum forte multis videbitur, quod hypothesin illam de allegationibus a Christo discipulisque traditioni accommodatis adeo tueatur, ut nisi huc recurratur, robur suum argumentationibus novi Testamenti multis constare neget, nec corporis resurrectionem e veteri probari posse contendat. At idem plane est in defendendis reliquis capitibus, novo præter alia sensu explicans Patrum loca, quibus Symbola Scripturæ conformia fuisse leguntur, quatenus nempe hæc priscæ traditionis pars & propago est.

Sequitur *Ezechielis Spanhemii ad amicum epistola* prolixior, quippe quæ præter strictura miscellaneas *novi*, ut vocat, *Esdræ* quoddam quasi breviarium est. Mallet vir prudentissimus, libros divinos a Criticis haberi benignius, quam vulgo profanis scriptis ac-

accidit; pluresque scrupulos a Simone exemptos, quam injectos fuisse. Huc refert, quod ejus Criticæ hypotheses (scribæ character Samaritanus, vocalium novitas, suaque foliorum convolutio) tot dubitationibus & periculis sunt obnoxiæ. Quid? quod ipse *traditionem* deprimit, a Vossio in agnoscenda autoritate LXX interpretum abiens, quos ab omni antiquitate Christiana ad tempus usque Hieronymi prophetarum loco habitos fuisse fatetur. Hanc utique controversiam Simone melius Vossium nosse Spanhemius existimat, cujus fidem in curanda nova versionis Septuagintaviralis editione Aquilaque detegendo liberari expetit. Cæterum in ferendis judiciis nimis delicatus Spanhemio Simon videtur, quod in commentariis Calvini, Bibliis Desmareti & aliis notas quasdam homileticas indignatur, nihil commendans, nisi Critica. Drusium quoque nimis laudari ab eo censet Spanhemius, cum inter tot nomina *Cocceji* oblivisci potuerit. Multa alia his litteris notata Lector reperiet, quæ cum sparsa sint, collecta hic ordinare non licet.

Subjungitur epistolæ illi *Responsum* sequente anno 1679 editum, cujus Autor anonymus Theologus Parisiensis id potissimum agit, ut multa Simoni perperam tributa fuisse intelligatur. Etsi vero maxima vindiciarum pars Simonis verbis consumatur: e difficultatibus tamen, quibus historia Critica premitur, maximam esse agnoscit, quod in ea Prophetis seu scribis publicis addendi actis & demendi arbitrium tribuitur. In aliis observari ordinarias Criticæ artis regulas ait, nec de traditionibus doceri alia, quam in Anglicana ecclesia Romanæ (quicquid videatur Spanhemio) valde vicina *Thorndicius* publice professus sit. *Diroysii* judicio standum non esse, qui approbatum prius Simonis librum periculosum postea existimaverit: in Galliis enim non magis mutari vestes, quam sententias. Finito hoc responso minusculis literis legitur illa *admonitio*, quæ in Elzeviriana editione operi præmissa Lectorem cautum agere jubet, eamque excipit *Index* rerum, non simul ex hactenus enarratis accessionibus confectus, ut quis libri dispositionem intuens opinari posset, sed ex sola Historia Critica Simonis.

Denique *Petri Ambruni*, illius Protestantis Theologi, quem nova hujus editionis curator, Reformatus itidem (is enim videri vult)

vult) Doctor toties in titulo, admonitione, præfatione, commendat, *Responsum* solidisimum a reliquis partibus alio paginarum numero & indice, disruptum exhibetur; quo id maxime probare velle videtur Ambrunus, vel quisquis ille est, non Reformatis magis, quam Romano-Catholicis Simoniana commenta officere. Unde credit, ipsos *Arnaldum* & *Amelotum* præcipuos suppressæ Parisiis Criticæ autores extitisse. Quod si Simon cogitare sustineat literas anno abhinc tertio ab Anglis *Antiquitatum Ecclesiæ Orientalis* titulo editas, quas ab ipso esse credatur: ibi reperturum eum vindicias Protestantium. Eadem ratione Theologus hic contra Simonem argumentatur e *Monii Historia Critica de religione populorum orientalium*, cujus jam mentionem fecimus in Actis nostris MDC LXXXIV. p. 490. Ut prætereamus arcanarum rerum historiolas alias, quas a Simonis familiaribus didicisse Ambrunus creditur. De cætero frustra de perreptatis totius Orientis MSStis gloriari Simonem perhibet, referrique ab eo aliqua, quæ nunquam fuerint; ut cum διὰ σημείων scriptum alicubi invenisset MAGD, pro Collegio Magdalenæ Oxonienſi Magdeburgense dedit. Tantum vero abest, ut cum Vossio noster faciat, quantum ad litem de LXX interpretibus pertinet, ut miretur potius, cur illius conatus Spanhemius approbaverit.

LETTRE DE Mr. C. M. de Veil D. A Mr. T. Maimbourg Ecuyer, &c,

h. e.

Epistola Domini de Veil Doct. ad Dominum T. Maimburgium, Equitem, Londini 1685. in 4.

Refert *R. de l' Isle* Ecclesiæ Gallicanæ Presbyter literis proxime recensitis clarissimum in Anglia Theologum D. Veilium, quod in quæstione de unica regula fidei ejusque evidentia Protestantes inter & Romanenses valde controversa, Anglicanæ Ecclesiæ decreta Synodica anni 1552 & 1562 producere sustinuerit. Quod enim

enim Patres olim Arianis fidei confessionem toties variantibus exprobrarant, *eos habere fidem annuam & menstruam*: id ipsum dici posse de cœtu illo, cujus autoritate contra Simonis sententiam se muniat. Ad reliqua quoque capita quid idem responderit, jam percepimus. Suum itaque Veilius putavit, primas ad Boylium literas, nova ad T. Maimburgium Equitem (qui & ipse editis operibus Theologicis insignis, & Ducis Richemontii, filii Regis naturalis, præfectus studiis, & Veilio familiariter cognitus est) epistola vindicare fortiter. Ac ab initio quidem negat Vir doctissimus, domestico se patrocinio disputationem suam juvare voluisse, sed expositis sententiæ suæ causis, quam vera inde sint suæ ecclesiæ decreta, jure subjunxisse. Nec esse, cur suis novitas objiciatur vel inconstantia, cum antiquiores etiam Britanni, Beda & Anshelmus, eadem iisdem rationibus professi sint. Vocabulis deinde *traditionis dogmatumque* ambiguitate liberatis, copiose probat Veilius, Adversario Augustinum nec in asserendo baptismo infantum favere, nec in sacramento initiationis a certis hæreticis administrato. Valde insuper dolet, sic affirmari Testamenti veteris accommodationes παραδοτικὰς, ut his lusisse videantur Christus & Apostoli; vimque traditionis eo extendi, ut hac salva Christus adorandus sit, etsi Deum eum esse ex Scriptura non constet, contra hac abolita religionis fundamenta subvertantur. Equidem vel ideo nostra fidei regula obscuritatis arguitur, quod qui eam nobiscum communem habent, Sociniani, alias quam nos conclusiones ex ea extruunt: at parata est Veilio responsio ex ipso Simone, qui l. 3. c. 16 Historiæ Criticæ *manifestum est*, inquit, *Socinianos præjudiciis agitari in explicatione Scripturæ*. Quam autem indigna sit viro disputatore hæc collectio, probat inter alia e Nicæno *de rebaptizandis Paulianistis* canone XIX, quo quantumvis clarissimo Optatus & Basilius, Hieronymus & Augustinus contraria plane ratione usi sint: illi, cum omnis generis; hi, cum non omnis generis hæreticos rebaptizandos esse, probare vellent. Postremo disquiritur in hac epistola, an unquam in ecclesia extiterit catechismus vel *epitome* fidei a Scriptura, Simonis voce sensuque, *independens*? quidque fuerit *analogia fidei*, secundum quam judicatum a Patribus fuisse toties legimus? Respondet Autor, fuisse nihil aliud, quam systema dictorum Scripturæ, quæ omni-

um apertiſſime docent dogmata ſcitu ad ſalutem neceſſaria. At unde confici potuit compendiaria ejusmodi norma, novi Teſtamenti libris nondum ſcriptis? e viva ait Apoſtolorum voce, relata poſtmodum in literas avertendæ corruptionis gratia. Ita ſi qui Proteſtantium Anti trinitariis analogiam fidei Patrum Conciliorumque autoritate illuſtratam opponunt: minime, ut poſt *Andream Dudithium* R. de *l'Isle* opinatur, renunciatur unico illi religionis principio, quod illi ipſi Patres in ſuis definitionibus ſunt ſecuti conſtantiſſime.

RICHARDI SIMONIS OPUSCULA CRITICA adverſus Iſaacum Voſſium. Hieronymi le Camus Judicium de nupera Iſaaci Voſſii ad iteratas P. Simonii objectiones reſponſione.

Edinburgi 1685 apud Johann. Caldervvood. in 4.

LEctorum pace conjungimus libros duos, diſtinctos quidem titulis & paginis & nominibus, ſed unius auſpiciis a typographo conjunctos, ſimillimique prorſus argumenti. Opuſcula Critica Simonis duo ſunt: *Caſtigationes ad opuſculum Iſaaci Voſſii de Sibyllinis oraculis & Reſponſionem ad objectiones nuperæ Criticæ ſacræ*, ac *Excerpta ex Diſquiſitionibus Criticis Simonis*. Caſtigationes quidem antehac annexæ fuere Diſquiſitionibus Criticis Londini a. 1684 editis; unde & quid velint iſtæ, in Actis ſuperioris anni p. 8 notatum meminimus: duo tamen hoc loco ſeorſim animadvertenda ſunt. Unum, quod hic Autoris nomen expreſſum legitur: alterum, quod præſens editio ad exemplar manu exaratum, idque excuſo caſtigatius adornata eſt. *Excerpta* vero tria ſunt. I. Judæos non depravaſſe chronologiam Meſſianam, nec intellexiſſe Voſſium, quo illi ſenſu Danielem Prophetarum numero excluſerint. Juſtinum vero Martyrem non poſſe ſibi objici, qui multa Judæis crimina objecerit temere. II. Voſſium minus feliciter inquiſiviſſe, cur & qua mente Patres LXX interpretes Spiritu S. afflatos fuiſſe dicant. Qua ipſa occaſione Hieronymi verſio cum

cum illis contenditur. III. Statuerat Voſſius, Tetrapla Origenis & Hexapla dicta ſic eſſe non a quatuor aut ſex columellis, ſed quod quatuor ea aut ſex haberent verſiones: quæ ſententia refellitur hoc capite.

Sed nolumus excerpta ſcribere excerptorum; viſuri potius, quid *Hieronymi le Camus Theologi Pariſienſis Judicium* Juliobona in Caletibus ad J. H. perſcriptum contineat. Et vero dicendum generatim, tum lineas in Voſſiana ad iteratas Simonii objectiones reſponſione deſignatas ſervari perpetuo, interſperſis etiam dicteriis; tum quæ diſceptantur, pleraque ad quæſtionem de LXX interpretum autoritate referri. Ut enim Maſorethas aliosque nimis a Voſſio deprimi Camus, vel quisquis ille eſt, conqueritur: ſic illos contra efferri ita ait, ut ſæpe in veritatem hiſtoricam impegiſſe videri poſſit. Quicquid ſentiatur de Aquila Pontico, Aquilam eum eſſe, quem ſacros codices κυριώτατα καὶ κατ' ἀκρίβειαν transtuliſſe conſtet, quem collaudaverit Origenes, quem Juſtinus Martyr fruſtra toties productus LXX interpretum verbis haud infrequenter conjunxerit; maligne vero Ariſteam & alios ætatis illius impoſtores cum Moſe & Prophetis comparari; nec eſſe, cur negetur lingua Heleniſtica, aut aſſeratur effictis variis lectionibus LXX interpretum dignitas. Nec alio fine ab initio ſtatim *epiſtolæ* & in progreſſu disquiruntur varia, an ſtudio Judæi legem corruperint? an eorum ἑρμηνεύσεις ante Juſtiniani tempora ſermone duntaxat Græco concinnatæ fuerint, liberque Miſnæ e Græco in Ebræum ſermonem circa illud tempus converſus? an probari queat, credere Judæos Meſſiam, qui גר, peregrinus ſeu proſelytus futurus ſit? Oſtendere vero conatur Pariſienſis ille Theologus, vane in prima quæſtione provocari ad Julianum Pomerium Archiepiſcopum Toletanum, cujus ſententia cum Auguſtino conveniat, nedum ad Hieronymum a S. Fide, qui Petrus de Luna appellatus eſt, ac typographico haud dubie ſphalmate in omnium paginarum epigraphis legitur. Patrum adverſus Judæos incuſationes quod attinet, eos quidem *vafre* contra hos juxta ac gentiles diſputaſſe reſponſum fuerat: at e re ſive ſua ſive ſui Simonis futurum credidit Camus, ut vocabulum illud invidioſum *vafre* Eraſmo duce explicaret benignius. Nam & ipſo Hieronymo judice *aliud eſſe γυμνασικῶς ſcribere, aliud δογματικῶς; in priori va-*

gam esse disputationem, & adversario respondentem nunc hæc nunc illa proponere; argumentari ut libet; aliud loqui, aliud agere. Habentur plura alia in hoc *Judicio:* at veremur, ut iis memorandis placeat labor noster eruditis Simonianorum lectoribus, quibus reliqua vel divinare licet, vel meminisse.

RECREATIO MENTIS ET OCULI in Observatione Animalium Testaceorum Italico sermone primum proposita, nunc Latine reddita & aucta a P. Philippo Bonanno Societatis Jesu.

Romæ e Typographia Varesii 1684. in 4.

CUm in Animalium Testaceorum historia, quæ sua quoque ac aliæ res naturales suavitate recreat animum, quam multa scitu digna desiderentur; eo quod vel omnino falsa, vel incerta, vel tædio quodam legantur iconum defectu, in quibus animalia relata clare agnoscantur: operæ pretium duxit diligentissimus Vir oculis subjicere ad vivum expressas conchyliorum testas, quæ ipsi notabili figurarum aut colorum varietate, constanti lege in singulis coeinnata, ad species diversas referendæ visæ sunt; easque ex multiplici Oceani sinu ad mentem suam privato studio relaxandam acceptas, publicas in paginas retulit, sibi non vane suadens multorum pariter mentibus oculisq; non ingratas futuras, dum in seipsis referunt mira *Naturæ* opera, indicantque novos ejusdem lusus a nemine hucusque relatos. *Quinquaginta* circiter *supra quadringentas* inter se diversas *Italico sermone* a. 1681 descripserat; nova vero hac editione *cum centum aliis adjectis Latino* exhibet, dubia non indigna philosopho annectit, ea omnia prætermittens, quæ circa testacea longis enarrationibus Autores exposuerunt.

Utilem hanc Tractationem *quatuor in partes* dividit. In quarum *prima*, postquam sapientem ac proficuam comprobasset Testaceorum indaginem, dividit ea cum Aldrovando in Univalvia & Bivalvia. Univalvia unica testa circumtecta sunt; Bivalvia binis valvis. Inter Univalvia aliqua veluti milites cataphracti testa undi-

undique circumteguntur, ut Echini; alia ex tegumento unico, quo defenduntur, aliqua sui corporis parte exeunt, frontemque ostendunt, quasi dimicatura, duobus aut quatuor corniculis armatam, eisque, quicquid progressum in via impedire potest, explorant. Hujusmodi sunt Turbinata. Bivalvia vero ita binis valvis clauduntur, ut non ambæ ex omni parte arcte inter se conjungi possint, sed in aliquibus sunt perfecte clusiles, in aliquibus ore aperto aliquantulum hiant, ut in Balanis, Tellinis, Dactylis, Pectunculis & his similibus. Generari omnia disputat *non ex ovis*, ut Steno, Redus, Lister aliique perhibent, *sed sponte naturæ*, in limo cænoso ostreas, in arenoso conchas, quemadmodum Aristoteles docuit. Argumentis partim a testimonio Aristotelis, Aldrovandi, Kircheri, partim ab experientia sumptis, addit Autor experimentum a se pluries factum, ad quod mense proximo pag. Act. 50, cum *Francisci Redi* Observationes recenseremus, digitum intendimus. Flores hyacinthinos aliquantum maceratos, & contusos in vitreo vase clauso detinuit: post aliquot hebdomadas innumeros vermiculos in putrida fœtidaque illa massa invenit, qui per vitrum huc illuc discurrebant, quo magis a fundi humiditate distantes, eo vividiores. Duorum fere dierum spatio ubi vixerunt, in aureliam transformati sunt; ex hac papiliunculus colore cinereus, quatuor alis, & senis pedibus instructus evasit. Si quis dicat, semen supra virentes flores fuisse a muscis relictum, illum interrogat, quare a quolibet flore, immo a quavis re putrescente semper vermes ejusdem speciei, & non diversi producantur, cum æque bene omnium vermium semina potuerint a muscis ubique relinqui. *Materiam ex qua generentur* cochleæ atque lapides eandem putat, nisi quod in cochleis adveniens copiosior humor ad formationem viventis inserviat. Cochleas quæ in terra inveniuntur, lapides esse terrigenas in quandam imaginem cochlearum figuratos docet, qualia etiam, quæ vulgo perhibeantur gigantum ossa e terris eruta, opera naturæ sint. Cæterum censet testas cum conchulis simul generari, ut partem constitutivam, sicuti aliorum animalium ossa, a quibus si divellantur, illico vitam amittant. Colorum in cochleis incredibilem varietatem memorat, & ex quibus causis oriantur, explicat, de genesi illorum generatim quoque aliqua tradens. Proprietates

quorundam Testaceorum referendo, in quibus elucet providentia divina, negat ipsa oculorum sensum habere contra Albertum M. Usum eorundem multiplicem prædicat in medicina, in commerciis loco pecuniæ apud populos quosdam, in arte plastica ad Porcellana vasa, in ornamentis mulierum, ædium, statuarum, imaginum; in cibis aliisque ludicris etiam actionibus. Varia musea recenset, in quibus cochlearum & concharum testæ conservantur.

In *secunda parte* describuntur Testacea (1) *Univalvia* non turbinata; (2) *Bivalvia*, quæ enumerando initium facit a concha margaritifera, differens de unionum in una numero pluribus, magnitudine, maris in quibus generantur partibus, piscandi eos modis. Altero loco Tellinas narrans, quam dubia sint quæ de avibus Britannicis, quæ Bernacles dicuntur, circumferuntur, meminit. (3) *Turbinata*, inter quæ purpurarum testas earumque fabricam diligentius describit, refutatque Aristotelem & Plinium, scribentes earum vitam septem annorum spatio contrahi, eamque patere per orbium spiras, quas totidem, quos annos illæ habeant.

In *Tertia parte* triginta sex problemata proponit, & ad ea responsiones subnectit. Docet margaritas e rore non formari, ut sibi & multis Plinius persuasit, neque concharum filias esse, sed morbosam earundem luem. Rationes speculatur, cur testacea oriantur potius in mari, quam in lacubus & fluminibus, & in mari potius quam in terra, nunquam in metallis? Cur in Orientalis vel Australis Indiarum maribus generentur in majore copia & coloribus magis picturata? Cur aliqua testacea super ligna facilius nascantur quam supra lapides? Cur ita testæ obdurescant, cum ex molli aqua generentur? Cur vivant plurima immobiliter saxis infixa? Cur vix aliqua membrorum diversitas in testaceis appareat? Cur careant ossibus? Cur sint corde orbata? Cur sint edentula? Cur fel, jecur & lienem testaceis negaverit natura? Cur testacea quæ os non habent, tamen nutriantur? Cur multa turbinata sint etiam cornibus munita? Cur vocem non edant? Cur careant auditu? Cur testæ animatæ nullo sensu sint præditæ? Cur testacea diutius quam pisces extra aquas vivant? Cur marini ſerinacei dentes habeant, & ova numero quinario disparia? Cur in pleniluniis sint pinguiores conchæ?

chæ? Cur pigra stolidaque animalia sint testacea? Cur Balanus fulgore quodam splendeat? An a Cochlea Venerea, quam Echeneidem seu Remoram dicunt, possit navium cursus retineri?

In *Quarta* demum *parte* supra quingentas testaceorum icones ponuntur in parte secunda descriptorum, & triplici classe distributorum. In prima exhibentur non turbinata; in secunda Bivalvia, in tertia Turbinata Univalvia. Quas figuras omnes paucis exceptis, ex ignorantia artis Typographicæ falsas esse animadvertit *Martinus Lister* in appendice ad Historiam Animalium Angliæ Gœdartio de Insectis in methodum redacto subjuncta p. 42.

TRACTATVS DE FLVXV MENSTRVO

Nathanaelis Sprye, M.D.

Patavii apud Mariam Frambottum 1685. in 8.

Antequam hypothesin suam de fluxu fœminarum menstruo exponat Autor, id imprimis allaborat, ut monstret aliorum opiniones esse omnino falsas, quas in fluxu illo producendo allegare aut causare solent communiter. Videlicet errant qui ad astra confugiunt, lunamque exigere tributum illud menstruum volunt, ita quidem ut habito respectu ad ætatem luna vetus veteres purget, nova luna puellas. Hoc ipsum autem sicuti experientiæ manifeste contrariatur, ita ex eo potissimum refellitur, quod eadem mulier, cui non præcise elapsis 29 diebus menses fluunt, sed vel ordinarie anticipant aut postponuntur, nunc quidem in novilunio, post aliquot circuitus in plenilunio, iterum alio tempore in novilunio menstrua patiatur.

Itaque casu saltem accidit, ut in hoc subjecto circa novilunium, in alio circa plenilunium contingat sanguinis fluxus.

Deinde eos quoque aggreditur, qui a singulari fermento causam illius hæmorrhagiæ deducunt, atq; ut hos confundat, plura adhuc demonstranda postulat, nempe quomodo hoc fermentum a sanguine separetur, ubinam asservetur, quænam ejus natura sit & modus operandi, & quod omnium maximum est, petit ut juxta hanc doctrinam explicentur symptomata omnia & cura ad idem malum idonea.

His prælibatis propriam tradit opinionem, docetq; primo causam impulsivam nihil esse aliud quam auctum vigorem & quantitatem sanguinis, uti ex symptomatibus fluxum illum vel præcedentibus vel comi-

comitantibus, vel etiam si p. n. supprimatur subsequentibus constare putat. Secundo ut modum explicet, quem natura servet in concitando fluxu mensium, supponit uteri substantiam esse quasi spongiosam, ita ut communio sit inter poros tubulosque aut etiam vesiculas, quas sibi imaginatur, uteri. Tum vero porro asserit, non e vagina sed ipsa uteri cavitate prodire sanguinem, prout non modo ex observatione Spigelii, sed & Drelincurtii constare arbitratur.

Tertio ut declinet dubia, quæ forsan ipsi objici possent, monstrat quomodo gravidæ etiam tentari nonnunquam hoc fluxu queant, item quamobrem viris tale quid non accidat.

Subnectit autem finaliter explicationem morborum, qui circa mensium fluxum contingunt, scilicet suppressionis & hæmorrhagiæ nimiæ. Obstructionem deducit partim ex vitio uteri, partim vitio sanguinis, traditque in cura hujus affectus usum & V. S. & vomitorii & aperientium.

Nimium fluxum itidem vel in utero quærit, vel in sanguine, atque tum etiam declarat, quomodo glutinantia & incrassantia, terrea, alcalia & acida, imo & V. S. prodesse valeant, videlicet juxta causarum vel circumstantiarum diversam conditionem.

LIBRI NOVI.

PAuli Hachenbergi P. P. Germania media, in qua res mediorum seculorum, quæ a Trajano ad Maximilianum I. fluxere recensentur, mores, ritus, leges, sacræ profanæq; ceremoniæ illustrantur &c. Jenæ ap. I. I. Ehrten. 1686. in 4.

Th. I. ab Almeloveen Opuscula, sive antiquitatum e sacris profanarum specimen, conjectanea, veterum Poetarum fragmenta, & plagiariorum syllabus. Amstelod. 1686. in 8.

Le monde naissant, ou la creation de monde demonstrée par des principes tres simples & tres conformes a l'Histoire de Moyse. a Utrecht pour la Compagnie des libraires 1686. in 8.

H. V. P. ad B. - - - de nuperis Angliæ motibus Epistola, in qua de diversum a publica Religione circa Divina sentientium disseritur tolerantia. Roterod. apud. Regn. Leers, 1686. in 4. & 12.

La vie du Pere I. Rigoleuc de la Compagnie de Jesus, avec ses Traitez de devotion & ses lettres spirituelles, par le P. Pierre Champion de la même Compagnie. a Paris chez Est. Michallet. 1686. in 12.

Reponse au Livre intitulé *Sentiments de quelques Theologiens de Hollande* sur l'Histoire Critique du vieux Testament par le Prieur de Bolleville. Roterdam chez R. Leers 1686 in 4.

Physiologia nova Experimentalis, in qua generales notiones Aristotelis, Epicuri, & Cartesii supplentur, errores deteguntur & emendantur, Auctore D. de Stair. Lugduni Bat. apud C. *Boutenstein* 1686. in 4.

Pag. 49. l. 16. pro *Philo*, lege *Philippus*.

)o(

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Martii Anno M DC LXXXVI.

DE LEGIBUS HEBRÆORUM RITUALIBUS & earum rationibus libri tres, authore JOHANNE SPENCERO SS. Th. D. Ecclesiæ Elienſis Decano, & Colleg. Corp. Christi apud Cantabrig. Præfecto.

Cantabrigiæ apud R. Chisvvel 1685 fol.

PRobe meminimus, cum mense Majo anni 1684 *Hermanni VVitsii* de Ægyptiacorum Sacrorum cum Hebraicis collatione libros in Actis nostris recensemus, admonitum a nobis Lectorem benevolum fuisse, nondum omni labore defunctum videri Auctorem clarissimum, sed novæ illi propediem industriæ præbitum iri materiam, quod sub prælo jam esset justum *Spenceri* de legibus Mosaicis Opus, hypothesin, quam graviter & docte Witsius oppugnaverat, majore argumentorum apparatu firmaturum. Neque nos exspectatio fefellit. Prælo enim subductum tandem lucem publicam aspexit Spencerianum illud Opus, vastum utique, & Auctoris variam profundamque eruditionem, ingenium in abdita quæq; penetrare cupidum, acerrimumque judicium undique spirans, quodque non Witsii tantum, qui luculentum hoc & abstrusum de legum Mosaicarum origine argumentum ita in *Ægyptiacis* illis suis excussit, ut, si quisquam alius, par censeri debeat vocandis sub examen & censuram Spenceri cogitatis; sed aliorum quoque Theologorum, qui novas Spenceri opiniones passim obvias refellere muneris sui arbitrabuntur, exercere vires poterit. Nos instituti me-

mores, ſummam Operis qua fieri poterit brevitate, enarrabimus, judicium Lectori cordato relicturi.

In Prolegomenis id clariſſimus Auctor agit, ut comprobet, non ex mero Dei legislatoris arbitrio & *ἀυτοκρατορίας* jure, ſed ex certis rationibus leges Moſaicas fuiſſe conditas: rationes vero illas, quatenus fert rei obſcuritas, indagare ac rimari velle, non eſſe illicitum; imo jucundum illud, & utile, honeſtumque & Viro Chriſtiano dignum, eoque magis laudandum eſſe, quanto pauciores hactenus argumentum illud pro dignitate & momento ſuo pertractaverint.

Opus univerſum in tres libros diviſum eſt, quorum primo *generales legum & rituum Judaicorum cauſæ* traduntur, earumque alia primaria, alia ſecundaria perhibetur. Et *primariam* quidem Spencerus cenſet, ut Iſraelitis idololatriæ peſte corruptis medela adferretur. Eos enim & in Ægypto, & recens ex Ægypto egreſſos, idolis fuiſſe addictiſſimos: ad peſtem vero illam depellendam nullum efficacius adhiberi remedium potuiſſe Ceremoniali Lege, velut perpetuo *θεογνωσίας* inſtrumento, & quo veluti gravi jugo rigidæ cervicis populi contumacia frangeretur. Octo autem mediis ſeu rationibus ad idololatriam amovendam valuiſſe legem oſtendit. 1. Mercedem & pœnam tantum temporalem diſerte proponendo. 2. Ritus quosdam, circumciſionem inprimis & ſabbatum, veluti ſigna & notas ſtatuendo, quorum uſu Judæi, velut populus vero Numini devotus, a gentibus idololatris diſtingueretur. Ubi cum de *circumciſione* Spencerus agit, controverſiam proponit, num Ægyptii, quos itidem genitalia circumcidiſſe conſtat, ab Iſraelitis, ut communis fert opinio, an quod in Canone Chronico *Johannes Marshamus* Eques Anglus cenſuerat, Iſraelitæ ab Ægyptiis circumciſionis illum ritum fuerint mutuati, ſuoque judicio ſuſpenſo utriusque ſententiæ momenta & rationes diligenti ſtudio expendit. De *Sabbato* vero ſic diſſerit, ut ejus cultum non univerſo generi humano, ſed ſolis Iſraelitis, nec alium in finem, quam ut creationis memoriam ſæpe renovarent, præſcriptum a Deo, præceptumque adeo Decalogi quartum ſolius œconomiæ Moſaicæ rationibus accommodatum fuiſſe, neque nos hodie ad ſabbatum Chriſtianum auctoritate mandati quarti obſtringi contendat. 3. Animalium & ciborum diſcrimen inſtituendo. 4. Sacra plurima certis quibusdam locis, perſonis ac temporibus aſtringendo.

gendo. 5. Modis omnibus cavendo, ut ſuus Deo & ſacris ejus honos conſtaret & reverentia. 6. Varias immunditiæ munditiæque ſpecies inducendo. 7. Zabiorum ritus, utpote idololatriæ ſigna vel cauſas, omnino prohibendo. 8. Ritus quosdam longo uſu receptos reformando, eosq; ad cultum divinum transferendo. *Secundariam* vero Rituum Judaicorum, non omnium tamen, ſed quorundam cauſam agnoſcit Spencerus, ut myſteriis quibusdam adumbrandis inſervirent. Nempe 1. quædam ex inſtitutis Moſaicis rerum ait cœleſtium imaginem prætuliſſe. 2. Intra legis Moſaicæ receſſus arcana quædam Philoſophica latuiſſe. 3. Decreta legis ſimulacra exhibuiſſe myſteriorum Evangelicorum: quædam vero ſpectaſſe etiam ad rerum geſtarum hiſtoriam memoria recolendam. Quibus omnibus ſtudioſe explicatis, in Appendice ſubjuncta monet, extraordinaria quoque a Deo media ad idololatriam abolendam fuiſſe uſurpata; veluti dum in ſolitudinem Iſraelitas eduxit, ibique per annos quadraginta ſeorſim a gentium colluvie detinuit, eosque qui in Ægypto nati & Ægyptiacæ ſuperſtitionis peſte correpti erant, perdidit. Eodemque pertinuiſſe ait miracula a Deo in Ægypto & deſerto edita; capitis pœnam in idololatras conſtitutam; Cananæorum eo crimine infamium everſionem, miſſionemque Prophetarum lætos triſtesque eventus populo prænunciantium.

Atque hic jam *Diſſertatio* interſeritur *de Theocratia Judaica*, non naturali illa, quæ jure creationis & omnipotentiæ Deo convenit, ſed civili, quam inter Iſraelitas ſolennis pacti jure tenuit, velut poteſtatem vere regalem, ut Moſes adeo, ſecutique judices & magiſtratus alii regimen non niſi vicarium exercuerint. De cujus origine, forma, & duratione cum late egiſſet, ad ea denique inſtituta Moſaica progreditur, quibus Theocratia occaſionem præbuerit. Spectaſſe autem ait alia quidem ad *Deum ut Regem mere Politicum*, e.g. conſtructum tabernaculum, ut ſummo Regi palatii loco eſſet; inſtitutos ſacerdotes, ut Deo velut Regi Politico conſtanti miniſterio inſervirent; menſam cibo & potu inſtructam; oraculum in tabernaculi adytis conſtitutum ac reſponſa inde data: alia ad *Deum, ut Regem cœleſtem*, longeque ſupra vulgarem Regum conditionem poſitum; quo plerosque tabernaculi ritus & inſtrumenta Auctor refert,

ita a Moſe adornata, ut Iſraelitæ non Deum tantum qua Regem ſuum, ſed & Regem qua Deum ſuſpicerent & adorarent. Hinc enim Tabernaculum unctum fuiſſe & Cherubinis decoratum, vaſa Tabernaculi victimis & libaminibus offerendis accommodata &c. alia denique ad *Deum ut Regem militantem* Dominumque exercituum; velut de populo in quatuor agmina partiendo; de caſtris ex lege rituque militari metandis; de Arca Cherubinis inſtructa, tanquam præcipuo caſtrenſi ſigno. Cui ſpeculationi inſiſtens ſpeciatim Tabernaculum, quatenus Palatium fuit, Deo ut Regi politico; quatenus Templum portatile, Eidem ut Regi cœleſti; quatenus Tentorium, ut Regi militanti conveniſſe memorat.

Libro II de *Legibus Moſaicis*, quibus Zabiorum (quo nomine veteres idololatras omnes comprehendit) ritus occaſionem præbuiſſe autumat, *latis* videlicet *a Deo, ut a Zabiorum idololatria & ſuperſtitione populum ſuum avocaret*, prolixe diſſeritur. Primum enim, poſtquam de Zabiorum nomine, antiquitate, libris & ritibus quædam præfatus Auctor eſſet, generatim comprobat, Deum leges & ritus quamplurimos, non diverſos tantum a gentium inſtitutis, ſed iis prorſus adverſos & e diametro oppoſitos, Iſraelitis impoſuiſſe. Inde leges illas ſpeciatim recenſet ac dilucidare nititur, primoque loco legem de paſchate, ejusque circumſtantias exhibet, veluti quod agno maſculo ſolenniter mactato celebrandum fuerit; quod nihil ex eo crudum edi debuerit; quod comedendus fuerit non coctus aqua, ſed aſſus igne; quod agni capite, pedibus & inteſtinis veſci Iſraelitæ debuerint. Subjungit leges de Altari terreo aut e lapidibus impolitis exſtruendo, & ad quod gradibus non aſcendatur: Leges hœdi coctionem in lacte matris, mellis oblationem, tranſitum per ignem in honorem Molechi prohibentes: Statuta de non comedendo ſuper ſanguinem, de coma capitis in rotundum non attondenda, de carne ſuper mortuo non incidenda ſeu laceranda, de ſtigmatibus hominum corporibus non inurendis: Præceptum de juvenca rufa Deo immolanda (ubi ut ingenioſe multa dici & ex antiquitate erui non diffitemur, ita conferri cum ipſis juvabit eruditiſſimam de eodem argumento Diſſertationem a *Joh. Ben. Carpzovio* noſtro, Theologo graviſſimo, Lipſiæ anno 1675 editam) lignoque cedrino, hyſſopo & cocco bis tincto ſimul cum ea comburendis,

burendis, conficiendaque ex commixtis vitulæ combuſtæ cineribus purificationis aqua: Mandata lucos in altaris vicinia plantare, utriusque ſexus veſtes confundere & promiſcue uſurpare, vineam diverſo ſemine ſerere, bove & aſino ſimul arare, animalia diverſi generis commiſcere, veſtem e lana & lino contexere prohibentia: Legem item, quæ ſcorta maſcula & fœminea tolerari vetat; quæ ſtupri & canis pretium ſacris inferri prohibet; quæ poſt oblatas decimas & primitias triplicem profeſſionem, *non comedi ex eo in luctu meo, non abſtuli ex iis in qualibet immunditia, non dedi ex iis mortuo*, exigit; quæ ſacerdotes non radi ſed tonderi jubet. Hiſce nempe univerſis ſimilibusque id præcipue egiſſe Deum, ut a ſuperſtitioſis Zabiorum, & Ægyptiorum inprimis moribus Iſraelitas abſtraheret, fuſe Spencerus oſtendit, & ita quidem, ut traditas ab aliis legum illarum rationes magno ſimul ſtudio examinet ac refellat.

Subjungitur ſecundo quoque huic libro propter argumenti ſimilitudinem *Diſſertatio* peculiaris *in locum* illum vexatiſſimum *Act. XV, 20*, quo Chriſtiani ex gentiliſmo converſi a circumciſione & legis jugo immunes, *abſtinere* tamen *a pollutis per idola, fornicatione, ſuffocato & ſanguine* jubentur. Ubi genuino decreti illius ſenſu expoſito, aliorum primum opiniones refellit, tum eorum qui decantata illa Noachidarum præcepta comprehendi decreto eo putarunt, tum qui datum id arbitrantur zelo, quo Moſaica omnia Judæi proſequebantur, hisque adeo quatuor ad lucrifaciendos Judæos interdictum gentilibus fuiſſe cenſent, donec parta per Chriſtum a legis jugo libertas clarius innoteſceret. Inde propriam profitetur & confirmare nititur ſententiam, non aliam nempe ob cauſam quatuor hæc prohibita canone illo Apoſtolico fuiſſe, quam quod idololatriæ cauſæ, comites ac ſigna eſſent, locumque præciputum in gentium ritibus & inſtitutis obtinerent, a quibus proinde ex gentiliſmo ad Chriſtum converſis abſtinendum omnino fuerit.

Libro III *Diſſertationes* octo comprehendente *ritus* illos ſub examen Auctor vocat, *quos e gentium moribus & religioſa quadam ſeculi illius conſuetudine in legem Moſaicam translatos* exiſtimat. Hic enim demum palmariam illam theſin ſuam aggreditur: Deum, ut velut indirecte idololatriæ obviam iret, ritus non paucos multorum annorum & gentium profanarum uſu cohoneſtatos, quos ineptias

 eſſe

esse sciverit, sed tolerabiles, aut ad mysterium aliquod adumbrandum aptas, in sacrorum suorum numerum adoptasse. Eam vero & divinis humanisque testimoniis confirmare allaborat, & rationibus aliis exemplisque, quorum octo inprimis memorantur: cultus Deo mediante Tabernaculo præstitus, Altaris cornua, vestis linea sacerdotum, consecratio capillorum, sacrificiale epulum, festorum solennium celebratio, oblatio primitiarum, & decimarum denique solutio. Hac hypothesi *Dissertatione prima* generatim pro virili asserta, & a dissentientium objectionibus vindicata; ad specialiora descendit, ordinem dicendorum & velut fundamentum ex Chrysostomi illis ex Homilia sexta in S. Matthæum verbis Latine expressis mutuatus: *Ne opineris, Deo indignum esse, quod Magi per stellam vocentur. Ita enim Judæorum omnia, sacrificia, purgationes, neomenias, arcam, templumque ipsum reprobabis. Siquidem hæc omnia a gentium profanarum ruditate originem habuerunt.* Itaque *secunda Dissertatione* de Sacrificiis disserit, eaque in Mosaica & Patriarchalia distinguit. Et Mosaica quidem, sive formaliter spectentur, quatenus munera fuerunt Deo oblata; sive materialiter, quatenus tum ex animalibus, bove, ove, & capra; tum ex rebus inanimatis, pane, vino & sale constabant; sive finaliter, prout vel expiatoria, vel precatoria, vel pacifica, vel votiva, vel fœderalia fuerunt, ex seculi consuetudine gentiumque ritu in legem Hebræorum fluxisse persuasum habet. Patriarchalia vero sacrificia quod attinet (ut cum Abel, Noachus, Abraham, aliique Mose vetustiores, victimas Deo obtulerunt) ea non a præcepto aliquo divino, sed arbitrio humano profecta censet, affectus pietate & naturali aliqua ratione subnixo. *Dissertatione tertia* de lustrationibus & purificationibus Hebræorum agit, easque sive fuerint ordinariæ, sola aqua ad eluendas immunditias adhiberi solitæ, sive extraordinariæ, victimis insuper, jejuniis, aliisque ceremoniis peractæ, e gentium more rituque traductas fuisse contendit. *Quarta* de Neomeniis, tum communibus, quas sub prima Lunæ nascentis & mensis cujusvis ineuntis tempora; tum specialibus annuisque, quas primo mensis septimi die maxima cum solennitate celebrabant, agit, & eas quoque a gentibus acceptas comprobare satagit. *Quinta* Arcam ipsam (quod quidem mirum aut monstri simile visum nonnullis iri non abnuit) & Cherubinos e

gentibus

gentium moribus derivat: Arcam quidem a cistis quibusdam in cultu gentili frequentibus; Cherubinos vero, de quorum nomine & forma non perfunctorie agit, a simulacris & hieroglyphicis Ægyptiis. *Sexta* Templum, sive quoad essentiam, sive quoad magnificentiam, locum, oraculum, situm, aliaque ornamenta & accidentia spectetur, eidem origini, gentium nempe ruditati, & seculi consuetudini tribuendum censet. *Septima* eaque prolixissima de Urim & Thummim (quod argumentum peculiari jam olim libro, cujus compendium laudatus supra *Carpzovius* noster in notis ad *Wilhelmi Schickardi* Jus Regium Hebræorum pag. 32. sqq. nervose & accurate exhibuit, illustraverat) disserit, persuasusque Urim & Thummim non eidem prorsus usui inserviviſse, primum extra controversiam positum agnoscit, quod per Urim responsa Deus & oracula edere Israelitis consueverit, ut lumen inde peterent, quoties rebus obscuris & ancipiti cura torquerentur. Inde dum generatim naturam & originem Urim & Thummim explicare satagit, ea quidem diu ante cognita apprime fuisse contendit, quam in ornamentorum sacerdotalium locum & sanctitatem vocata a Deo fuere. Speciali vero disquisitione, de Urim primum sententiam suam aperit, ab aliis animo suspenso, ab aliis averso & iniquo, ut ipse iterum præsentit, accipiendam; tametsi, ut loco supra citato *Carpzovius* animadvertit, ante complures jam annos a *Christophoro Castro* l. 3 de vera futuror. cognit. c. 3. in scenam productam; scilicet Urim in locum Teraphim (quas voces etiam cognatas & ejusdem significationis fuisse putat) simulacrorum illorum fatidicorum, quæ in dubiis consulere longe lateque gentes consueverant, surrogata a Deo fuisse. Dein Thummim, memoratis & repudiatis aliorum opinionibus, ab Ægypti itidem moribus deducit, bullamque fuisse arbitratur, ἀιγάλματι illi, quod Ægyptius Antistes de cervice pendens gestare erat solitus, quodque ἀλήθεια (qua voce LXX Interpretes τὸ Thummim utplurimum reddunt) seu veritas dicebatur, respondentem, & potestatis judicialis, qua Summus Sacerdos (cui soli Urim & Thummim gestare fas fuerit) pollebat, argumentum. *Octava* de Hirco emissario & præcipuis Expiationis Judaicæ ceremoniis agit Auctor, deque origine & significatione vocabuli *Azazel*, qua Diabolum denotari nullus dubitat, pauca præfatus, tandem hosce quo-

que ex-

que expiatorios ritus, hircumque emissarium e gentilium usu cultuque depromptos contendit.

Atque hæc summa est Spenceriani Operis, in quo ut multi abstrusam eruditionem, & quorundam in mysticis institutorum Mosaicorum rationibus assignandis repressam luxuriam suspicient: ita alii neglectum fere, aut certe allegatum parce nimis usum eorum typicum, quo futurorum spiritualium beneficiorum imago fuit adumbrata, fortasse indignabuntur. Illa certe de sabbato sententia, quam supra memoravimus, multis futura est offendiculo.

Cæterum uti nos censuram non sumimus, sed Lectori benevolo integram relinquimus: ita commissuri non sumus, ut si vel laudatus initio Witsius, vel quicunque alius, Spenceri hypothesin, seu generatim, seu per partes & exempla examinandam sumpserit (quod quidem fore nulli dubitamus) latere id Actorum nostrorum Lectores sinamus. Quemadmodum nec id dissimulamus, Spencerum sub finem Operis hujus, aliud novum *de ritibus Hebræorum in Scriptura plerumque Canonica vel Apocrypha memoratis, nullibi tamen, quod scimus, a Deo præscriptis aut institutis*, nec non Dissertationem *de Judæorum Phylacteriis* polliceri.

THE VVORKS OF JOHN LIGHTFOOT, D.D. late Master of Katherine Hall in Cambridge, &c.

sive

Joh. Lightfoot, SS. Th. D. & Aulæ S. Catharinæ apud Cantabrigienses quondam Præfecti Opera, tam quæ antehac in lucem emissa, quam quæ hactenus inedita mansere. Volumina II.

Londini, apud Rich. Chisvvell, 1684. in fol.

IUnctim tandem in publicum prodierunt, quæ non nisi carptim antehac & diversis temporibus erudito orbi communicata fuere Lightfooti opera, tanto magis merito æstimanda, quo pauciores, in Talmudica maxime ac Rabbinica literatura, qua hæc passim scatent, sibi

sibi æquales habuit celeberrimus Autor. Tametsi enim serius paulo ad hæcce studia animum applicuerit, utpote qui, cum sacris jam ordinibus initiatus esset, vix tirocinium Hebraicæ linguæ superarat, succedente nihilominus tempore, instigante imprimis pudore, cum a viro generoso & Hebraice doctissimo, *Rolando Cottono*, equite, quem patronum ac hospitem forte nactus fuerat, variis subindequæstionibus istud idioma concernentibus tentaretur; tanto ardore taliq; successu isti scientiæ incubuit, ut in ea brevi tantum non omnes sui similes post se reliquisse passim judicaretur; quamobrem etiam a viris clarissimis, Briano VValtono, Edmundo Castello, Matthia Polo frequenter & anxie in consilium adhibitus fuit, cum hic Criticorum synopsin, ille lexicon heptaglottum, iste biblia polyglotta edere pararet. Non mirum vero, quod tam raros in arte sua profectus fecerit Autor; nam & industriam ei plane singularem impendisse narratur; non somno saltem semet, dum libris inhiaret, multoties defraudare, sed & eam maxime ob causam semel tantum in diem cibum capere solitus. Industriam hanc non parum aluit otium rurale, quod ipsi contigit, dum Rectoris officio in ecclesia Magnæ Mundoniæ in agro Hertfordiensi fungens, adeoque ab urbano strepitu semotus sibi magis & Musis vivere potuit. Nec minus ejus instituto natura favit, dum, quæ rara fere in literatorum gente felicitas est, & robustum ac vegetum corporis habitum, & claram oculorum aciem ei indulsit, quam etiam ab ipso senio, cum jam septuagenario major esset, intemeratam retinuit ad mortem usque; quæ contigit vergente anno 1675, cum natus esset circa initium anni 1602. Cæterum quod Rabbinicis Talmudicisque studiis tantopere semet impenderit Lichtfootus, neutiquam ex inani quadam curiositate profectum est: quin potius prudenter judicavit, absque his adminiculis infinita Scripturæ loca, cujus exacte investigandæ desiderio flagrabat, vix ac ne vix quidem intelligi posse. Speciatim vero novum Testamentum hoc interpretandi genere multoties indigere existimavit, utpote quod a Judæis, ad Judæos, ac inter Judæos scriptum, non possit non genium istius gentis ac linguæ passim sapere: unde subinde inculcat Autor, infensissimos hos evangelii hostes, planissimos ejusdem, si rite tractentur, interpretes evadere; nec minus congruum esse, ex horum scriptis novi Testamenti libros explicare, quam olim decorum fuerit habi-

habitum, thuribulis Korahitarum ac ſpoliis hoſtium Davidis exornare ſanctuarium. Atque hoc ipſum etiam eſt, quod in omnibus ſuis ſcriptis Autor ſedulo penſi habuit; quæ ipſa nunc breviſſimis recenſebimus eo ordine, quo in nova hac editione exhibentur; qui quidem non talis ſervatus eſt, ut tempus primæ editionis cujuslibet ſcripti referat, ſed quem potius rei natura expoſcere viſa fuit editoribus. Univerſa autem in duo volumina diſpeſcuntur, quorum prius editorem habuit *Georg. Bright. Th. D.* poſterius cura ac induſtria *Joh. Strypii M. A.* prodiit. Et primo quidem volumine ſequentia comprehenduntur: 1. Harmonia atque Chronica Veteris Teſtamenti; cujus libri ſcopus eſt, ſingula loca ſecundum convenientem temporum ſeriem diſponere, atque adeo congruam univerſorum conſonantiam demonſtrare: ne vero nuda temporum recenſio jejuna nimis aut tædioſa lectori videretur, adſperſit Autor obſervationes ſuccinctas, nec ubivis alias obvias. 2. Harmonia chronica novi Teſtamenti, quæ eandem ſervans methodum, non tantum textus, in quatuor evangeliis & actis apoſtolorum contentos, temporum ordini conſono reſtituit; ſed & epiſtolarum apoſtolicarum cuilibet annum ſuum adſignat; præterea & viſionum apocalypticarum figurata tempora indigitare, resque iis ſignificatas, cum id aliter fieri non poſſet, inſimul exponere hic aggreſſus eſt noſter, licet invitus quodammodo, cum metueret, ne a nonnullis hac occaſione novis rebus ſtudere argueretur. Subnectitur huic libro brevis diſcurſus de excidio Hieroſolymorum, & ſtatu ſubſequenti Judæorum in iſtis regionibus. 3. Harmonia quatuor Evangeliſtarum inter ſe ipſos & cum veteri Teſtamento: quo quidem ſcripto latius ea exequi paravit, quæ in præcedenti ſummo quaſi digito monſtraſſe contentus fuerat; unde & ſectio fere ſectioni reſpondet: textus enim ibi ſaltem per numeros ubivis indicati, hic plene & parallelo quidem conſpectu recenſentur: præterea rationes ordinis adſignati redduntur, difficultates ex linguis orientalibus vel per ſe vel interpretum vitio enatæ enodantur, ac ſenſus textuum ſecundum eorundem ſidum, maxime ubi obſcurior iſte videtur, explicatur. Ac dolendum eſt, quod opus hoc egregium ad umbilicum perducere non licuit autori: non enim de eo, cum quinque promiſſæ fuiſſent, niſi tres habemus partes; quarum prima ab initio evangelii uſque ad Chriſti

Chriſti baptiſmum; altera ad proximum Paſcha ab ipſo celebratum; tertia ad ſecundum Paſcha progreditur: reliqua deſunt, adeoque ex 92 ſectionibus, non niſi 24 latiori hac methodo perſequi datum fuit Autori. 4. Obſervationes breves ac novæ in Geneſin, & 5. Manipulus ſpicarum in Exodum. 6. Commentarius in acta Apoſtolica chronologicus & criticus; nec hic tamen integer, cum non niſi ad finem usque capitis undecimi progrediatur: ſubnectitur operi brevis conſpectus hiſtoriæ contemporaneæ, tam Judaicæ, quam Romanæ. 7. Liber de ſacro templi cultu, prout ſeſe tempore Salvatoris habuit. 8 *Erubhin* ſive Miſcellanea Chriſtiana & Judaica, horis ſubciſivis ab Autore perquam juvene conſcripta, partim critica, ex parte vero hiſtoriam ſacram concernentia. 9. Deſcriptio Templi, uti ſtetit diebus Servatoris; cui nunc accedit accurata ejusdem ſciagraphia, manu ipſius Autoris in membrana olim curioſe delineata, quæ in prima editione deeſt. Atque hæc quidem univerſa hactenus recenſita, Anglico idiomate ab Autore conſcripta ſunt.

Sequuntur nunc in Volumine II opera ejusdem Latine primum edita; nimirum Horæ Hebraicæ ac Talmudicæ in Matthæum, Marcum, Lucam, Johannem, Acta Apoſtolorum, partem aliquam epiſtolæ ad Romanos, & priorem ad Corinthios datam: de quibus vel ideo multa hic commemorare non erit opus, cum in plurium nunc manibus verſentur, poſtquam Horæ quidem in Evangeliſtas conſcriptæ anno 1675, reliquæ vero anno 1678, hic Lipſiæ curante maxime reverendo noſtro *Carpzovio* impreſſæ, atque ita, cum antea rarior earundem copia eſſet, largius eruditæ Germaniæ fuerunt communicatæ. Cæterum cum ſingulis Evangeliſtis præmittantur Tractatus Chorographici, varia ſacræ hiſtoriæ loca explicantes; nunc accedunt tabulæ duæ æneæ, delineatæ ſecundum Autoris tradita & conjecturas, altera quidem Hieroſolymorum, altera terræ Canaan. Sed & ea Autoris ſcripta in hacce editione Anglicum idioma induere juſſa ſunt, ne ſc. Autoris conterranei latine neſcientes ulterius carerent egregiis hiſce operibus, utpote quæ ἀκμὴν quaſi, ac ultimam perfectionem exacti Autoris ſtudii in linguis orientalibus exhibent. Alteram Voluminis II partem faciunt Scripta nunc primum in lucem prodeuntia, nimirum quadraginta ſex


Sermones ſacri ab autore diverſis occaſionibus in eminentiora quædam Scripturæ loca habiti; quos ex ſchedis ejusdem, ab ipſius genero *Joh. Duckfeldio* communicatis, eruere laboravit editor *Strypius*. Atque hos ait ſupplementi loco eſſe quadantenus poſſe aliis Autoris ſcriptis, dum hic ſæpiuscule latius pertractantur, quæ ibi in arctum contrahere adactus fuerat, ob tenacitatem inprimis bibliopolarum ſpiſſiora volumina reſpuentium: quæ etiam fere cauſa fuit, quod carptim adeo in lucem prodiere plurima ejus opera. Cum vero iidem ſermones pro memoria ſaltem juvanda plerumque raptim in chartam conjecti ab Autore fuerint, hinc eorum nonnulli obſcuritate aut imperfectione laborare deprehenduntur: quos tamen defectus tolerare, quam ſermonibus his omnino defraudare lectorem maluit editor. Sequitur ultimo loco Tractatus in Articulum Symboli Apoſtolici de deſcenſu Chriſti ad inferos, itidem antehac nondum in publicum prolatus. Præmiſſa operibus eſt deſcriptio ſatis ampla Vitæ Autoris, ubi inter alia recenſentur pluſcula ſcripta inter ſchedas Autoris reperta, partim Latino, partim Anglico idiomate, quæ omnia tamen imperfecta fuere ab ipſo relicta, præter unicum, Centuriam nempe de conſenſu quatuor Evangeliſtarum, Anglica lingua conſcriptam. Inter cætera eminent tres aut quatuor tractatus, quibus Lichtfootus Verſionem LXX interpretum examinare, eorumque diſcrepantiam a textu Hebraico aliaque ſphalmata annotare, & in certa capita redigere fuerat aggreſſus. Concinnaverat etiam Autor Chorographiam Terræ Sanctæ; ſed cum ad finem fere perductam jam edere pararet, percepit ſe hac in re præventum a *Th. Fullero*, qui illo ipſo tempore librum ejusdem argumenti ſub titulo *Piſgah Sight*, ſive *Proſpectus Piſgæ* emiſerat, ac inde tametſi is admodum diverſa uſus eſſet methodo, in totum tamen laborem ſuum ſuppreſſit noſter: unde poſtmodum, quod merito dolendum, omnino perditus eſt; niſi quod aliquæ ejus particulæ in tractationibus Geographicis, quæ uti dictum, Horis Hebraicis præmittuntur, conſervatæ fuerunt. Subnectuntur præter Tabulam Chorographicam alphabeticam, ex univerſis autoris operibus ſtudio *Joh. Vilhelmi* collectam, quinque indices ſatis locupletes; nempe Scripturarum explanatarum, lectionum a communi diſcrepantium


TAB. V. a


TAB. V. ad a. 1686. pag. 125.





















pantium, Autorum, Vocum exoticarum, ac rerum denique notabilium. De cætero meminit editor *Strypius*, extraneos (sine tamen mentione certi loci,) jam in eo esse occupatos, ut universa Lichtfooti scripta non Gallicum saltem, sed & Latinum in sermonem versa junctim typis exscribant; quod si ita est, habebunt profecto de quo sibi gratulentur vernacula Autoris lingua non imbuti: dudum enim est, quod versionem ejusmodi anxiis votis exoptarunt.

M. GODOFREDI TEUBERI CIZENSIS, INSTRUmentum novum, variationem magnetis, h. e. declinationem, acclinationem, & inclinationem, minori acu secundum gradus, minuta prima & secunda exacte monstrans.

Communicatum in Litteris ad — —

LOngiores acus, (præter difficultates alias a celeb. *Sturmio part. II. Coll. Curios. Tent. XIV. Phæn.* Vannotatas) sequitur plerumque motus tremulus, ut nunquam prorsus quiescant; breviores vero non exacte satis indicare valent graduum minuta, cum ea parvis circulis inscribi nequeant. Nostra igitur acus determinatæ longitudinis c. gr. 4. pollicum pedis Romani tantum præstat, ac alia quatuor perticarum fere, seu 384 pollicum longiorum. Ad id præ- TAB. V. standum, in plano quodam metallico A B C, (*Fig. I*) describantur duæ lineæ circulares, superior D E, inferior F G, quæ ex centro H bisecentur linea Meridionali I H K; inscribantur iis utrinque, more consueto, divisiones graduum. Huic plano imponatur regula N H O, in centro H, circa basin styli M L, (*Fig. II*) perpendiculariter erecti, circulariter mobilis; in cujus puncto P, quod lineam D E describit, centrum sit motus alterius regulæ Q R, quæ ad lubitum diduci possit: quod fiet, si in regula N H O circellus S T excindatur, in quo annulus Q S T regulæ Q R moveatur. Hac regula Q R, circa U & W describantur in plano X Y Z, regulæ N H O cochleis *a b* affixo, duo arcus, propinquior *a c*, & remotior *b d*, ea divaricatione regularum, ut punctum concursus P in initio gradus,

dus constituatur ; (videatur *Fig. VII*) filum vero equinum centro P insitum protensumque ad Q, & indirectum perpetuo jacens Lineæ QR, in ✣ transeat per finem ejusdem gradus. Hac divaricatione contentum arcum in 60 partes dividi necesse est, quæ erunt minuta prima : connectantur *ac* & *bd* arcus transversis lineis, prouti schema *Fig. I* monstrat, & intercapedo illa UVV in regula QR, inter arcus *ac* & *bd*, dividatur in partes 60, quæ erunt minuta secunda. Ipsa jam structura docet, esse Viri Excell. *VVeigelii Microgonium*, quod aptissime minutis declinationis magneticæ, imo secundis quoque adhiberi potest. (Nobile hoc inventum propediem, tanquam rei astronomicæ gratissimum, in publicum prodibit.) Deinde regulæ NHO insistat cista *ef* (*Fig. III*) oblonga, anteriore & posteriore parte rotunditatem, centro *i* descriptam, referens, crenamque *gh* habens perpendiculariter imminentem lineæ *kl*, regulæ NO. Ipsa acus magnetica *mn* (*Fig. IV*) eo artificio composita est, ut non obstet acclinationi suæ, quod in omnibus vulgaribus necessario fieri norunt Statici : depressa enim una parte alteri elevatæ accedit inde aliquantum ponderis, quod graviorem reddit, & ad æquilibrium statim reducit ; hinc polos librationis suæ in medio *o* fecimus, quibus illa acus, in foraminula pileoli *p* inserta, libere ab illa vi inclinatrice deprimi attollique possit, ut contrarium ferri pondus eam eludere non possit. Regula *qrs* (*Fig. V*) index erit hujus acclinationis, quæ in latere cistæ, in puncto *t*, quod foramina pileoli *p* in cuspide erecti styli ML, pendentis determinabunt, (ipsa enim cuspis styli L centrum hujus acclinatorii motus non est,) infixa, circulariter mobilis est, cuspide sua *r* crenam *gh* accurate tangens, altera cuspide, in plano *ux* (*Fig. VI*) perpendiculariter regulæ NO insistente, & circularibus iisdem lineis eadem distantia HP & H ✣ descriptis prædito, gradum, si horizontaliter quieverit, nullum ; si elevata, acclinationis ; depressa, inclinationis monstrat : quæ distantia a linea horizontali *y* circino sumpta, in planum declinatorium a linea meridionali IK, transportetur, ubi ope Microgonii, (si integris gradibus non constet) residuum in primis & secundis minutis inveniri poterit. *Figura VIII* compositum exhibet instrumentum.

Hæc igitur tota constructio hujus instrumenti, quod facilitandæ observationi profutura sit non despero. Rite observandi modus hic erit, ut impositum loco cuidam præcise horizontali, cui exacte inscripta linea meridiana, quæ lineæ merid. instrumenti IHK aut in directum sit posita, aut parallela, acus libere moveatur, ut tamen semper cuspis ejus *n*, crenæ *gh*, quæ smalto (vulgo Frauen-Glaß) obducta sit contra aeris injurias, exacte, respondeat ; regulæ vero *qr* cuspis *r*, ad cuspidem acus dirigatur, quæ directio omnes regulas in debitum locum positura est, ut & declinatio & ac-vel inclinatio inveniri queant.

H. V. P. ad. B. DE NUPERIS ANGLIÆ MOtibus Epistola, in qua de diversum a publica religione, circa divina sentientium differitur tolerantia.

Amstelodami apud Regner. Leers in 4. 1686.

SIve styli nitorem, sive argumentationum acumen spectemus, non possumus non insigni Epistolæ hujus autorem laude prosequi. Incipit ab encomio Regis, qui nunc Magnæ Britanniæ imperat, deque eo confidit, & deleturum ex animo memoriam injuriarum, quas sibi Principi olim Eboracensi illatas senserit, & obstrictam pro conservando religionis in Anglia publice receptæ statu fidem servaturum, votisque populorum responsurum esse. Prætulisse enim Romanam religionem in regno suo obscuram & invidiosam, palam regnatrici, non ut vulgo fieri soleat, utilitatis, aut vitandi periculi causa, sed dictamen suæ sequentem conscientiæ, & magno cum periculo; neque hanc magnanimitatem caruisse divino favore, extincto repente infelicissimo æmulo, cui ob natalium vitium nullum ad regnum jus fuerit. Ostendit inde religionis diversitate nec jus regium, nec privatorum tolli, & pessime de religione sentire, qui eam in sola dogmatum propugnatione collocant, & cum ipsi se victimas Deo fidei & morum puritate offerre debeant, cruentas alias ex dissentientibus sacrificent, præpostere Christum imitantes, qui ejecerit quidem divino zelo profanatores ex templo, sed oves nunquam

nisi

nisi blanda vi coegerit. Ista violentia hypocritas & histriones augeri, sed veritatem non asseri, nec errorem expugnari. Labasse ex eo tempore rem Christianam, ex quo spiritualium armorum loco carnalia arrepta fuerint, nec unquam verorum Christianorum numerum angustius coarctatum, quam cum professio Christianismi per carceres, flagella & cruces dilatata fuerit. Pseudopoliticos esse & experientia refutari, qui pernicioſum putent Reipublicæ esse, si subditi a regnatrice religione dissentiant; pessime errare, qui statuunt, eam religionem pro vera sequendam esse, quam magistratus profiteantur & jubeant; sic enim Diabolicam quoque recipiendam fore. Facile tolerari posse Christianorum varias sectas, quia non tota differant religione; prudentiam vero id solum exigere, ut coerceatur, quæ discipulos faciat imperantibus obsequium denegantes, quales non ita pridem repertos memorat, qui laqueo vitam finire maluerint, quam regi suo bene precari. At qui virtutem colunt, ad Augusti exemplum, ut Philo refert, Judæos ob eam causam tolerantis, non esse aspere tractandos. Illis vero Theologis, qui regnantibus curam de æterna salute subditorum commendant, cavendum esse ait, ne dogmati illi suo dira & crudelia superstruant. Regem quidem, *qua talem*, hujus vitæ commoda subditis procurare, *qua Christianum*, etiam æternæ; sed non aliis quam qui Christianæ disciplinæ conveniant modis, adminicula ministerio publico præbendo, & spiritualibus armis pro religione pugnando, in quo bello victi semper triumphent; quod si ab infidelibus hostibus vis fiat, tum eis resistendo, per indirectum pro religione bellum recte geri. Respondet objectioni, qua dicunt duriora remedia eatenus proficere, ut errantes veritati quam aspernantur, benigniores præbeant aures. Remedia enim illa nocere potius ait, quam prodesse; neque inter contumaciam & & perseverantiam satis distingui humano judicio posse, nec errorem mentibus eximi, quem vel stupor foveat, vel educatio & præjudicium indiderit: evidentia vero tanta demonstrari dogmata non posse, ut ea non permoti pro obstinatis haberi & puniri debeant. Examinat præcipuum Romanæ religionis axioma, de autoritate Ecclesiæ ab omnibus agnoscenda, monstratque non ita liquidis rationibus & S. S. Literarum testimoniis niti, ut adversantibus assensus invitis extorqueri possit: neque de prætenso

hoc suo jure ipsam ecclesiam judicare posse, sed alio superiori judicio opus esse, quo dubitantes de asserto illo jure certi fiant. Ad miracula itaque recurrendum fore, quibus id indubitatum reddatur. At quæ ad salutem necessario credenda sunt, per verba Evangelica miraculorum fide dudum confirmata tam clara esse, ut interpretatione ordinaria percipi possint. Circulum deinde ingenioſe explicat, quem faciunt, qui autoritatem Ecclesiæ per Scripturam, hujus vero vicissim per Ecclesiam, demonstrare velint, aut qui ex modulo humanæ politiæ, visibile & externum aliquod judicium & fastigium, in ecclesia agnoscendum esse ratiocinantur: rejicit etiam notarum ecclesiæ, quas jactant, inexplicabiles tricas. Cum itaque in ecclesia Romana, licet externa pompa sese ostentet, autoritatis quam sibi asserit fundamentum profunde lateat, obstinationi Protestantium non esse imputandum, quod illud capere nequeant; laudandos potius eos, quod majorem suæ salutis rationem habeant, quam ut ignotum sibi cum erroris periculo ducem sequantur. Agnoscit postea, ob externæ hujus autoritatis defectum multiplicari sectas, nec earum divisiones minui posse, nisi ad salutem creditu necessaria ad paucos redigantur articulos, illos nempe, qui sub æternæ damnationis periculo accipiendi sint: habere autem hos aliquam latitudinem, in qua plura investiganda veniant doctis, quam indoctis. Hæc fere Epistolæ ipsius contenta sunt, quæ data scribitur Londini $\frac{11}{1}$. Sept. A. 1685. In postscripto iterum de Regis mente bene sperare Auctor jubet, quem ob constantiam & generositatem extollit, & ob studium conscientiæ obtemperandi (licet errore non careat, religionem contaminatam professus) præmium a Deo consecuturum ominatur. Explicat quæ dixerat de remediis durioribus, quæ præparamenti loco adhibenda esse dicunt, qui convertendos homines vi adoriuntur, statuens, etsi talibus modis pravis affectibus frenum injici possit, ad veritatis tamen studium & agnitionem quiete opus esse, indeq; fieri, ut ne divinæ quidem castigationes a falso cultu facile homines revocent, etsi morum corrigant insolentiam. De controversiis denique inter Protestantes agens, tanti eas non esse arbitratur, ut propterea separari disjungique debeant. Quantillum est inquit, quod *Lutheranos* a *Reformatis* dividit? quæstio propemodum sola de præsentia corporis Christi in cœna Domini.

Quam exiguum, quod presbyterianos Anglos a publica illius regni Ecclesia disjungit ? rituum & regiminis ecclesiastici differentia. Addit aliquid de agitatis inter Batavos litibus circa prædestinationem & gratiam, per Dordracena decreta minime finitis, ne sopitis quidem. Sed difficiliorem & pene impossibilem Protestantium cum Catholicis reconciliationem agnoscit, spemque omnem abjiciendam esse ait, si pergant Protestantibus ut victis leges præscribere, & credenda injungere quæ credi nullo modo possint. Exemplum unum instar omnium de dogmate transubstantiationis proponit, ut Scripturæ non tantum contrarium, sed &, ut scribit & argumentis quibusdam a natura sive extensione corporum probare vult, omni rationi & voluntati divinæ repugnans, quæ idem eodem tempore velle & nolle, corpus esse & non esse, non admittat. Post gravem obtestationem, quam cum moderatioribus ex Romana Ecclesia communem sibi esse credit, adversus violentos conversionum modos, unicam superesse concludit conciliandæ pacis viam, *opinionum salutis fundamentum non convellentium tolerantiam* : sed hanc obstrui a Romano-Catholicis, quamdiu inter tolerabilia solum trahere velint, de quibus Ecclesia illorum nihil pronunciaverit, standum vero iis putent, quæ deciderit, Tridenti præsertim, ubi nihil reliquerint indefinitum, quod separationi causam dederit: ita ut dum illi se loco nolint movere, Protestantes vero ingens illud distantiæ spatium sine salutis jactura se remetiri posse negent, frustra de reconciliatione sermo instituatur.

LA VIE DU VICOMTE DE TURENNE PAR Mr. du Buisson. &c.

h. e.

Vita Henrici de Turre Arvernorum, Vice-Comitis Turennii, Exercituum Regiorum Gallicorum Ducis seu Marescalli Generalis, Præfecti equitum levis armaturæ, & Lemovicensis provinciæ Gubernatoris; Autore Dn. Du Buisson Centurione Primipilari sive Majori Legionis Verdelinianæ.

Coloniæ apud Joh. de Clou 1685. in 12.

Notior

NOtior est, quam ut prolixius commendari debeat, veterum recentiumque casuum memoria, Vice-Comes Turennius Germaniæ nostræ. Hanc sane in bello, quod Monasterienſi & Osnabrugensi pacificatione A. 1648. finem accepit, florenti ætate & jam tum Gallicarum copiarum Dux, varia quidem fortuna, non tamen sine virtutis & moderationis etiam apud hostes laude, aliquot annis pervasit, nec una afflixit clade ; dein civilibus Galliæ motibus implicitus, & Regiis partibus aliquandiu oppositus, easdem postea perpetua fide & industria secutus est ; ministris non semper, sed Regi ante omnes belli duces charus, & juveni militiæ veluti magister quidam & manuductor habitus. Honorandi sane ejus gratia novus dignitatis titulus inventus est, *Marescalli copiarum Generalis*, quo Franciæ quos vocant *Marescallos* (quo titulo & ipse antea decoratus fuit) antecederet : promisso etiam supremo illo & post *Francisci Bonæ Lesdiguierii* mortem plusquam sexaginta annis suppresso *Connestabilis* axiomate, si a reformata, quam profitebatur, religione desciscens ecclesiæ Romano-Catholicæ nomen daret. Sed neque ea illi conditio tum placuit, & cum postea jam senior, & a *Patribus Oratorii* tandem persuasus cessisset, satius habuit, oblatis abstinere, quam in sermones hominum incurrere, quasi eo intuitu recusatam antea mutationem admisisset. Occubuit in expeditione, quam ante conclusam Neomagi pacem, adversus Cæsareum exercitum sub Montecuculio duce in ripa Rheni susceperat, haud procul Argentorato, tormenti majoris ictu subito a. 1675 exanimatus, natus annos 64. Editus autem fuerat a. 1611. patre *Sedani* & *Bullionii* Duce, familia maximis illustrissimisque, in Gallica & Germania, affinitatibus innexa. Prole caruit, quanquam uxorem ex illustrissima *Forceorum* gente sui amantissimam & virtutis præclaræ haberet, quæ ante eum e vivis discessit. Mortuum Rex serio luxit, & funus insolitis honoribus coli, eique inter sepulchra regia in fano S. Dionysii locum dari jussit. Scriptorem vitæ nactus est virum militarem, qui post quinquaginta annorum stipendia, sine opiparo præmio, ut refert, transacta, mortis propinquæ fiducia multa libertate, nec paucis digressionibus usus est, quibus bella describuntur in Belgio, in Subalpinis & Insubribus, tum in Hispaniæ finibus, maxime vero in Germania, nec non in ipsa Gallia, factione quam *funditorum*

(la fronde) nomine appellabant, misere ante annos triginta & plures quassata, & quæ in iis Turennii partes & gesta fuere, aulæ quoque secreta panduntur; ut mirum non sit, quod liber intra Galliam editus non fuerit. Excerpere ex hoc aliunde nota non libuit, multo minus quæ reticeri præstat. Characterem morum Turennii singularem & in militaribus ingeniis rarum, ut ab Autore prolixius traditur, nemine, ut putamus, improbante, imo non sine emolumento legentium breviter referemus. Modestia in juvene excelsi generis, & in licentia militari a teneris educato, mire prædicatur; insigne in observandis belli artibus studium; temperantia pene incredibilis; patientia in ferendis superiorum & parium ingeniis & defectibus, non dejecta quidem, sed cauta; vigilantia summa; amor erga milites, & enixa in iis alendis conservandisque & merito præmio prosequendis voluntas, adeo ut patris loco ab iis haberetur. Disciplinam non tam severis pœnis, quam idoneis verbis (quorum tamen ob linguæ balbutiem quandam parcissimus erat) facile tenebat. Ostentationem & jactantiam, quæ tot alios, qui armorum gloria inclarescunt, comitari solet, adeo vitavit, ut mallet egregie gesta cum exercitu & præfectis communicare, quam sibi soli, etsi meritus, arrogare: sciebat etiam errata dissimulare, & emendationi locum dando, multos ad res melius gerendas excitare, quos rigor intempestivus perdidisset. Pecuniæ adeo non appetens erat, ut necessitatibus militum levandis, ultra vires patrimonii & stipendium quod a Rege accipiebat, subveniret, ita ut supellectilem argenteam non semel pignori etiam dederit, aliquando dissectam in frusta, dum nummi deessent, militibus distribuerit. Pleraque etiam quæ in duces redundare solent emolumenta, exercitibus & bene meritis tribunis, legatisque relinquebat, denique pro amicis longe diligentius quam pro se laborabat. Fidem hæc & alia narranti autori, fama non impar, tum id etiam firmat, quod defectus quosdam non dissimulavit: qui tamen ut in pulchro corpore leves nævi, heroicarum virtutum ingentes laudes obscurare non possunt.

THE LIFE AND REIGN OF KING HENRY THE Eighth.

i. e. Vi-

id est,

Vita Henrici VIII Angliæ Regis, auctore Edoardo Herberto Barone de Cherbury.

Londini apud Robertum Littlebury, Robertum Scotum, & Georgium VVells, 1683, in fol.

QUamvis hæc Historia jam anno 1649 evulgata, sæpiusque deinde recusa, initium collectionis nostræ longe antevertat, ob Auctoris tamen celebritatem non indignam judicavimus, quæ per occasionem nuperæ editionis nobis ante paucos demum menses oblatæ, his Actis insereretur. Adeo enim, non modo apud Anglos suos, sed exteras etiam gentes inclaruit *Herbertus*, ut ejus de *Veritate* libri, si *Lloydo in observationibus ad vitas Ministrorum Anglicorum p. 1017* credimus, Bibliothecæ Vaticanæ summo cum honore illati fuerint, hæcque ipsa Henrici VIII Historia, *Woodo in Historia Oxonienſi Lib. II. p. 65. affirmante*, in archivis Bibliothecæ Bodlejanæ manuscripta, pretiosi alicujus cimelii instar, asservetur. Enimvero si, præter mirificam sententiarum concinnitatem, singularem in judicando dexteritatem, summumque, quod ubique præ se fert, veritatis studium spectemus, optimo sane jure hunc scriptorem inter præstantissimos ætatis nostræ referemus. Orditur autem Annales suos ab anno 1491, quo lucem adspexit Henricus, desinitque in anno 1547, quo fato concesit Princeps ingentibus vitiis, quæ magnis virtutibus redemit, famosus. Videtur vero argumentum tam nobile de industria elegisse Herbertus, in quo suam in dicendo vim exereret, cum non solum insignis rerum Germanicarum, Gallicarum & Hispanicarum inclinatio, sed religionis etiam per Angliam memorabilis mutatio illo tempore facta fuerit, quæ ex actis secretioribus summa cura perlustratis, & Historicis seculi superioris fide dignissimis diligentissime erata, lectori in compendio quasi ante oculos ponit. Inprimis autem annotari merentur elogia illustrium illius ætatis virorum, quale, præter ipsius *Henrici VIII* quod *p. 632 — 636* legitur, *p. 32. seqq. Thomæ Volseji. p. 62 & 63. Ferdinandi Catholici. p. 83. Maximiliani I. p. 371. Thomæ Mori*, et denique *p. 524 Thomæ Cromwellii* occurrit. Nec minus observatu dignum censemus, quod

f. 66. narrat, Leonem X illo jam tempore Calendarii Juliani emendatione mmeditatum fuisse. Epistola insuper Henrici VIII ad Volsejum, quæ *p. 164* habetur, & paradoxa ipsius Auctoris dissertatio, de sacrorum dissidiorum compositione, lectu nobis non indignæ videntur. Rara quoque est *p. 18.* de titulo Christianissimi observatio, quem Julius II Pontifex Ludovico XII Gallorum Regi infensus, ad Henricum VIII, qui eo deinceps semel aut iterum usus fuit, transferre conabatur; cui gemellum plane est quod *p. 317.* tradit, Jacobum V Scotiæ Regem, Pontificis instinctu, titulum Defensoris fidei Christianæ sibi arrogasse, ut ægre scilicet faceret Henrico VIII, quem Leo X ob librum contra Lutherum scriptum, defensoris fidei elogio exornaverat. Quid vero ultima operis pulcherrimi verba, quibus innuere videtur Herbertus, *Henrico VIII terram non satis levem fuisse*, monstri alant, omnium optime *Fullerus Libr. XI. Hist. Eccles. Angl. p. 238.* explicabit.

VVILH. A LOON ELEUTHERIA, SIVE DE Manumissione Servorum apud Romanos Libri Quatuor.

Ultrajecti, apud Joh. Ribbium, . 1685. in 12.

MAnumissionum materia ex illis est, quas ob nullum aut exiguum in terris nostris usum, eliminatas ex Jure nostro penitus mallent plurimi novarum in Jurisprudentia rerum studiosi: quos ipsos quidem hic loci refellere nec vacat, nec si vacaret, foret opus; cum hac in re jam nobis otium fecerint tot viri celebres, qui Justinianeæ Jurisprudentiæ patrocinium adversus novatores ejusmodi suscipientes probatum dedere, ne minimum quidem a Juris Corpore membrum rescindi posse, quin mox periculum immineat integrum mutilandi, concordemve totius harmoniam convellendi. Neutiquam proinde operam perdere credendi sunt ii, qui istis quoque disciplinæ hujus capitibus elucidandis semet impendunt, quæ longius ab usu moderno recessisse videntur; quandoquidem labor hic nec jucunditate caret, dum campus hac ratione aperitur varia eruditæ antiquitatis monumenta pervestigandi; nec utilitate destituitur, occa-

occasionem quippe præbens in varios juris textus inquirendi, eorumque sensa penitius explicandi. Atque hæ etiam dubio procul causæ fuere, quæ *Loonium* ad concinnandum hunc de Manumissione tractatum incitarunt, in quo quicquid aut in legibus nostris, aut in optimis quibusque autoribus de hac materia traditum reperit, succincte proponere ac ordine congruo exhibere fategit. Et primo quidem libro justas sive solennes manumissionis species exponit, quas inter eam, quæ per censum fiebat, antiquitate cæteras superare probat, utpote quæ jam Servii Tullii temporibus cœperit, cum ea quæ per vindictam expediebatur, non nisi post exactos reges; per testamentum vero, post conditas demum duodecim tabularum leges, invaluerit. Libro secundo reliquos minusque solennes manumissionis modos pertractat, per epistolam puta, convivii adhibitionem, aut inter amicos; quibus ipsis videlicet libertas quidem etiam conferebatur, non tam plene tamen nec pingui adeo conditione, ut prioribus illis justis ac solennibus modis, donec tandem Justinianus omnium libertorum jura exæquata vellet. Tertius liber personas ad manumissionem tam expediendam quam patiendam aptas, ut & alias in ritu hoc occurrentes circumstantias tradit, & speciatim *cap. 5.* fusius persequitur, qua ratione servi quandoque a Dominis suis pro certo pretio libertatem pacisci fuerint soliti; id enim moris a nemine adhuc satis expositum se reperisse ait Autor. Ultimo libro enarrat, qui sine manumissione ad libertatem pervenire potuerint, nomina item libertis tribui solita, aliaque signa noviter acquisitæ libertatis, quæ inter etiam soleas recenset; utpote quibus liberos homines duntaxat usos probat, cum servi sculponeis saltem, quas vocabant, uterentur. Cæterum ex scripto hoc, nisi præfamen id doceret, haud facile quis conjiceret, id a juvene, quique vix ante biennium sacris Jurisprudentiæ initiatus fuerit, profectum esse; quin potius & multa lectio & adultum judicium, undique promicantia, haud vulgaria nobis de Autore cum tempore polliceri videntur.

Furſten-

FURSTENBERGIANA LEONHARDI Frizon S. I.

Burdigalæ apud viduam G. de la Court. A. 1684. in 8.

INter Mæcenates Poetarum hujus ſeculi, ſi non principem, certe proximum ab eo locum promeruit *FERDINANDUS L. B. de Furſtenberg*, Paderbornenſium ac Monaſterienſium Epiſcopus, qui in arce Neuhuſiana ad confluentes Luppiæ & Aliſonis d. VI Cal. Jul. A. 1683, ætatis 57, non ſine comploratione Muſarum omnium, diem ſuum obiit. Is enim uti tum in eruditione omni, tum in poetica potiſſimum facultate principatum quaſi quendam obtinuerat, ita literatos omnes, poetasque inprimis felicioris venæ, non amabat tantum ſummopere, ſed & ſplendidiſſimis ſubinde muneribus mactabat. Et hinc tot carmina eucharistica & panegyrica in laudes ejusdem certatim & velut agmine facto hinc inde fuere decantata. Neque enim Marones deſunt, ubi Mæcenates ſunt, ac munifici Muſarum Evergetæ, ut non abſone quis dixerit, beneficentiam Mæcenatum eſſe ſpiritum illum poetarum, æthereis ſedibus venientem, vel furorem illum atque enthuſiaſmum, quo correpti Muſarum fores pulſent, & ad res præclariſſimas memoriæ hominum mandandas animum appellant. A Furſtenbergii certe principalibus muneribus ad carmina condenda ſtimulati e Batavis *Nicolaus Heinſius*, nulli veterum poetarum poſt Danielem parentem ſecundus, & qui hodieque totus Caſtaliis ſcatet laticibus, *Petrus Francius*, & ex Gallis de ſocietate Jeſu *Joannes Commirius*, *Carolus Ruæus*, & *Albertus Daugieres*; prout in Actis anni 1682 p. 359, ubi Francii jam laudati ad Furſtenbergium poemata recenſuimus, jam indicatum eſt. Sed trigæ huic Jeſuitarum Gallicorum adjungendus nunc venit *Leonhardus Frizon*. Poſteaquam enim & hic aureum Jovis illius Monaſterienſis imbrem in ſe deſcendentem non ſemel perſenſiſſet, munificentia hac incenſus veterum poetarum preſit veſtigia, & vulgi ſtribligine majus quippiam ad heroicas tanti Mæcenatis virtutes ex merito celebrandas tentavit. Et hinc *Furſtenbergiana* iſthæc enata. Præmiſit autem poematis Laudationem Furſtenbergii proſariam, in qua tum alia multa in eo, tum illud maxime tanquam Ponti-

Pontificius deprædicat, quod ſacras expeditiones XV, ſive miſſiones Jeſuitarum, magnis ſumtibus (nam ut Furſtenbergius ipſe in literis ad Jeſuitas Romæ congregatos profitetur, miſſiones illas, quas XXXVI Miſſionariis commendaverat, e mille ſeptingentis quadraginta ſupra centies mille daleris Imperialibus, proveniente ſeptem octoginta ac quinquies mille imperialium dalerorum annua penſione liberaliter dotavit ac perpetuo ſtabilivit) inſtituerit. Laudationi huic ſubjungit *obſervationes varias in Furſtenbergiana*, interque alia in illis valde id admiratur, quod Mæcenas, priſcus ille Muſarum patronus, deque Republica optime meritus, tam parce a clientibus ſuis Marone, Horatio ac Propertio fuerit commendatus, cum tamen præter beneficentiam, teſte Seneca, & grandi fuerit ingenio, & verſus diſertos ſcripſerit; quodque e tanta copia eruditorum, quos tam intime tamque benigne foverit, nemo nomen ipſius poſteritati certo prodiderit. Neque enim conſtare, Cilliniusne an Cilnius, vel ſimile quid fuerit nominatus, cognomenque ſolum vulgo uſurpari; quanquam de hujus quoque orthographia Grammatici adhucdum certant. Obſervationes haſce excipit *Disquiſitio in Criticos & antiquos & recentes*; in qua voces, quas illi tanquam ignobiles aut minime Ciceronianas ignominia affecerant, non paucas in honoris priſtino reponit ſtatu, utque eas haud ſpurias eſſe, nec plebejas evincat, ſuos ſingulis autores, ceu honeſtiſſimos parentes aſſignat; quin & locos, in quibus a Cicerone ipſo eædem dictiones ſuſceptæ ſint, uſuque firmatæ, indicat. Quod Furſtenbergiana ipſa attinet, ſunt eorum libri duo priores heroici, & Maroniani quid ubique ſpirantes, Furſtenbergii & Ludovici Magni encomia continentes; item Sotericon S. Luciæ (huic enim non minus, quam S. Xaverio, redditam ſibi valetudinem Furſtenbergius, quaſi Deus hic nihil feciſſet, acceptam tulit,) tertius liber partim elegiacus eſt, partim lyricus, isque & ipſe in Furſtenbergianis dotibus ac rebus deprædicandis potiſſimum occupatur; quartus epiſtolas oratione ſoluta exhibet, & quidem X Furſtenbergii ad Frizonem, & unam Frizonis ad Furſtenbergium nuncupatoriam, poematis antehac ſuis præmiſſam; & denique literas Furſtenbergii ad Patres Societatis Jeſu Romæ ad eligendum præpoſitum generalem congregatos; quibus & index præcipuarum rerum annectitur.

JOANNIS FRANCI CASTOROLOGIA.

Augustæ Vindel. 1685. in 8.

EQuidem tractatus hic teste præfatione jam ante 40 annos conscriptus autore D. Joanne Mario, Medico Ulmensi, ac postea Augustano, servatus post ejus beatam mortem in Bibliotheca Joannis Maieri, nunc demum editus est atque in tantum auctus a Joanne Franco, ut nec in tituli frontispicio nomen suum præfigere dubitaverit. Contenta hujus scripti potiora hæc sunt. Præmissa onomatologia castorem describunt in adjecta figura depictum, & quicquid ad cognitionem hujus animalis naturalem pertinet, uti sunt ejus victus, locus natalis, ætas &c. Inprimis autem id agitur, ut constet castorium non esse, uti vulgo creditur, testiculos fibri, sed ab his longe diversissimum. Monstrat enim autopsia, intra pedes posteriores tam marisquam fœminæ reperiri binos sacculos, ad magnitudinem ovi anserini, materia subflava, resinosa vel oleaginosa fœtente turgidos. Nulla autem occurrit communicatio inter hos sacculos atq; castoris genitalia; imo vero & in mare, quanquam externe nulli appareant testiculi, nihilominus delitescere eosdem in cavo abdominis juxta spinam dorsi certissimum est. Cumque potissimum propter castorium expetatur fiber, breviter quidem de reliquarum partium usu medico disseritur, de pelle puta, pinguedine, sanguine, pilis, dentibusque; attamen potiora sunt, quæ de castorei facultatibus leguntur. Itaq; ad evitandam confusionem visum fuit morbos omnes quibꝰ medetur, juxta ordinem alphabeti recensere, annexis ubique observationibus partim propriis, partim mutuosumptis ex aliorum, practicorum imprimis felicissimorum, collectaneis manuscriptis. Quod si licet in summam contrahere, quæ satis prolixe tradita sunt, dixerim castorium esse præ cæteris insigne nervinum, antepilepticum, antispasmodicum, antiparalyticum; hinc enim egregie confert ad promovendum partum; ad colicam, malum hypochondriacum, singultum, asthma, pasiones & suffocationes hystericas, ad omnes spasmos motusque convulsivos, epilepsiam, apoplexiam, paralysin, procidentiam ani & uteri, tremorem artuum &c. His adde morbos spirituum, quos optime excitat castorium, uti sunt lethargus cæteri-

que

que affectus soporosi, vertigo, memoriæ imbecillitas &c. Præterea inter resolventia & anodyna non ultimum est, atque ideo sanguinem congrumatum resolvit in casu ab alto, menses & lochia promovet, pleuritidem sanat, epatisque ac lienis duritiem, item in arthritide, cephalalgia, dolore aurium & dentium probatissimum est. Denique & expellit non modo variolas, morbillos & quicquid in peste ipsa latet, sed & vermes cujuscunque generis.

JOANNES GOEDARTIUS DE INSECTIS IN methodum redactus, cum notularum additione, opera M. Listeri, e Regia Societate Londinensi.

Londini apud S. Smith 1685. in 8.

IOhannes Goedartius pictor Medioburgensis ad egregiam, qua pollebat in arte Miniculatoria peritiam exercendam, insecta sibi elegit. Quæ ut accuratius depingeret & describeret, erucas, vermes, aliaque talia vitris inclusit, convenienti alimento sustentavit, & antequam se ad transmutationes accingerent depinxit, etiam exacte annotavit tempus ac modum transmutationum, quæque ex iis prodierunt animalcula nova, suis coloribus delineavit. Nocte nonnunquam, accenso lumine, quæsivit insecta, quæ de die non apparent; aut terram fodiendo, ea quæ raro in conspectum veniunt, ad ædes suas contulit, omnesque observationes ipsemet typis æneis expressit, ac propriis coloribus conspiciendas proposuit. Descriptiones ab ipso factas Belgico sermone in Latinum traduxerunt & ediderunt anno 1662 & 1667, additis commentariis & notis nonnullis, Medioburgi *Johannes de Mey* & *Paulus Veezaerdt*. Dubitat autem *Listerus*, an *Goedartius* unquam propositum habuerit suas observationes publici juris facere, quod descriptiones universas fere ex toto neglexerit, ad quas probe perficiendas sufficiens occasio & tempus fuerit; quod relationes plurimas coloribus accommodaverit, quos typis æneis exprimere non potuit; quod ordo adeo sit tumultuarius, & profectus plus satis tenuis, post quotidianam ejus per annos 40 cum istis animalculis necessitudinem. Laudat autem accuratissimas observationes, quales ante

eum nemo habuit, easque dispersas in ordinem redactas exhibet, juxta variam insectorum in iis descriptorum indolem, ac omissis Interpretum commentariis ut alienis, notulas suas addit, quibus obscuriora illustrat, & animadvertit, quod experientiæ suæ minus consentaneum comperit. Quæ commentariola ad majorem saltem libri partem producta, ipse ex tædio senectutis nec perficere, nec edere se voluisse scribit, amico autem postulanti & in lucem aspectumque hominum se prolaturum promittenti, tandem concessisse. Iconismos quamplurimos summa opera studuit ab artifice peritissimo sculpi.

Appendix, in Historia Animalium Angliæ, quam anno 1678 edidit Listerus, partim emendanda partim addenda complectitur.

In fine conspiciuntur scarabæorum Anglicanorum mutæ quædam Tabulæ.

ACTES DE L' ASSEMBLE'E GENERALE DU Clergê de France de 1685.

i. e.

Acta Congregationis Generalis Cleri Gallicani in causa religionis anno 1685, cum considerationibus M. D. S. B.

A. 1685, in 12.

AD stupendam Reformatarum Ecclesiarum in Gallia ruinam proximo anno peractam, ultimum impulsum vel dedisse vel promovisse videtur, hæc ipsa Congregationis Cleri Gallicani, adversus calumnias, injurias & falsitates, quas a Reformatis in libris & concionibus suis quotidie adversus doctrinam Ecclesiæ spargi dicebant, querela & actio, Regi exhibita d. 14 Jul. 1685.

Hanc ex editione Parisiensi recusam publicat Autor reflexionum, cujus nomen literis M. D. S. B. designatur. Clerus in supplici libello Regi porrecto questus, ut diximus, de ministrorum Reformatorum calumniis, quibus fiat, ut populus religionem Romano-Catholicam tanquam impiam & falsam abominetur; refert postea,

postea, effectu quidem non caruisse Epistolam Pastoralem anno 1682 a Clero ad Reformatos datam; infinitum enim numerum conversionum secutum esse, sed majorem fuisse futurum, nisi Ministri impedivissent, quo minus Epistola ad manus auditorum veniret, aut non nisi malignis interpretamentis corrupta. Petunt itaque non tam revocationem Edictorum; quamvis illa, ut ajunt, per modum tantum provisionis & pro tempore data sint, & cum florentissimo præsentis regni statu non subsistant; quam ut Rex, siquidem ei placeat religionis exercitium Reformatis non adimere, prohibere eos velit ab injuriarum & calumniarum adversus religionem Romano-Catholicam divulgatione. Ad demonstranda vero, de quibus queruntur, indicem sive parallelismum exhibent *septem capitum*, in quibus doctrinam Romano-Catholicam ex fidei professione Concilio Tridentino annexa (quam integram præmittunt) & ex ipsius concilii decretis, divisa in tres areolas pagina proponunt, quarum una Latinum Concilii textum habet, altera versionem Gallicam, tertia imputationes Reformatorum, quas pro falsis & calumniosis censet Clerus; deinde loca ex Reformatorum libris, quibus istæ imputationes confirmari videntur, subjiciuntur. Subscriptus est libellus ab Archiepiscopis & Episcopis triginta, pluribus etiam Prælatis aut Theologis. Primum caput est *de libris canonicis*. II de *sacramentis*. III de *justificatione & merito operum*. IV. de *adoratione* J. C. *in eucharistia & de missa*. V. de *satisfactione*, *purgatorio*, *& indulgentiis*. VI. de *cultu sanctorum & imaginum*. VII. de *potestate ecclesiæ* & *Pontificis*.

Autor *considerationum* sive *reflexionum*, in epistola ad amicum, colloquium cum duobus aliis recenset, in quo de consilio & machinationibus Cleri quædam præmittit; quomodo scilicet, (postquam epistola pastorali, absque Regiorum mandatorum severitate, & militari vexatione, nihil aut parum se effecisse deprehenderint) jam callidiores facti etiam de calumniis dicam scripserint Reformatis, tacentes quæ hi ad epistolam pastoralem responderunt; utque mutato stylo epistolæ pastoralis, in qua ut fratres & filios tractaverant Reformatos, nunc eosdem pro calumniatoribus & blasphemis, ab omni fide & honestate alienis traduxerint, ut Regis odium in illos jam satis afflictos incen-

derent, & ſine omni commiſeratione erga cives & populares procurarent, quæ ſecuta ſunt, exilia, mulctas, aliaque ipſa morte duriora. Poſt hæc indicatur, laboris majoris alteriusque temporis eſſe, ſi articuli ſupra relati, ſingulatim ad examen vocandi ſint: nunc aliquas ſaltem obſervationes generaliores afferri viſum eſſe. (1) Loca autorum, quibus Clerus calumniæ convincere Reformatos velit, magna ex parte, non ex Gallorum, ſed exterorum Theologorum libris excerpta eſſe. (2) Pro calumniis injuſtiſſime haberi omnia, quæ Reformati adverſus dogmata Romanæ Eccleſiæ opponunt: cum tamen aliud ſit, diſſentire & contradicere, (præſupponendo etiam quod per errorem fiat) aliud calumniari: additur, nova non eſſe, quæ ex confeſſione & cathecheticis Reformatorum libris pro calumniis & contumeliis venditare voluit Clerus, ſed ante edicta regum pacificatoria dudum & manifeſte nota & vulgata, neque unquam modeſtius quam ſub hoc Rege controverſias a Reformatis tractatas fuiſſe. (3) Non ſufficere, quod Clerus capita fidei ſaltem ex confeſſione & decretis concilii Tridentini congeſſerit, quaſi nihil aliud habeant Reformati, quod in religione Romana averſentur; ſupereſſe enim alia concilia, ſupereſſe libros rituales, denique praxin cultus publicam, quam idololatriæ Reformati incuſent. (4) Pro calumniis male culpari, quæ Reformati in libris Theologorum Romano-Catholicorum reprehendunt, etſi non extent in decretis Tridentinis. (5) Multo minus calumniæ notam mereri, quæ ipſorum decretorum verbis & ſententiis opponuntur. (6 Quædam Reformatorum loca maligna interpretatione corrumpi. (7) Quædam etiam impoſtura fingi, quæ illi nunquam ſcripſerint. Adducunt quædam de inquiſitione, etiam Hiſpanica ſeveriori, quæ adverſus libros Reformatorum inſtituta ſit in Gallia, ut jam nulla ſuperſit via ad apologiam, nec ad veritatem docendam, prohibitis etiam Bibliorum verſionibus. Cum vero in Reformatis non inveniantur, quæ tanta execratione & perſecutione digna ſint, (quod inductione quadam ex dogmatibus & moribus Reformatarum Eccleſiarum pathetice repræſentatur) unicam averſionis cauſam videri, quod Pontifici non obediant, & ob hanc Turcis & Judæis pejores haberi. Memorem eſſe Romam, quæ damna paſſa ſit a reformatoribus, jugum ejus ſuperiori ſeculo excutientibus; hunc vindictæ ſpiritum ex Pontifice ve-

veluti capite in Clerum, ut membra, diffundi; quanquam id a Clero Gallicano, moderatius de poteſtate Pontificia ſentiente exſpectari non debuiſſet, adverſus cives regibus obſequentiſſimos & fideliſſimos. Concluditur tamen, veritatem etiam per ſe ſatis odioſam eſſe, & quoniam Reformati defectus in doctrina & moribus Cleri arguant, hi vero tenebras luci præferant, fieri non poſſe, quin eo nomine ab hoſtibus veritatis peſſime tractentur. Cum vero ad duo potiſſimum reducantur, quæ Clerus Reformatis nunc objicit, (1) quod nulla ad ſeparationem olim factam & hucusque continuatam ſufficiens cauſa allegari poſſit. (2) quod edicta regia pro libertate religionis reformatæ conceſſa temporalia tantum fuerint, atque adeo revocabilia; dilato primæ quæſtionis examine in alium tractatum, de altero diſſertatione ſpeciali agitur, quæ conſiderationibus his per appendicis modum adjuncta eſt, habetque titulum *Defenſionis libertatum Eccleſiarum Reformatarum in Gallia*, & conſtat capitibus XII.

In horum tribus prioribus brevis fit enarratio de prima religionis reformatæ in Gallia origine, ejusque perſecutionibus: dein edicta pro ejus libertate a regibus Galliæ condita recenſentur, quorum primum *menſe Januario* anno 1561 (ut tunc a Paſchali feſto numerari ſolebat, alias 1562) a Carolo IX promulgatum eſt quod clauſulam habuit temporalem, ſive *proviſionis*, nec plus indulſit, quam ut extra muros civitatum exercitium religionis habere liceret. Sed ſecutis novis motibus eorumque compoſitione, menſe Martio 1562 aliud prodiit, permittens exercitium in plurimis regni civitatibus. Cum vero neque hoc ſervaretur, ſucceſſit tertium menſe Auguſto, quod *perpetuum & irrevocabile* vocabatur, & juramento præfectorum & judicum regiorum in provinciis & urbibus, & a magiſtratibus oppidanis confirmatum fuit. Iſto per lanienam Pariſienſem violato, & orto bello, ſecuta eſt conventio Rupellana, & edictum novum itidem *perpetuum & irrevocabile*, quo repetitum fuit prius, additumque, ut etiam honoratiores ex incolis civitatum jurejurando ad obſervationem illius adigerentur. Poſt hæc fœdus illud, *Ligæ* nomine famoſum, Galliam in deſperatum adduxit ſtatum. Conditum quidem eſt anno 1576 edictum, aliudque anno 1577, Regis ipſius, matrisque & fratris ejus, tum Regis *Navarræ* & *Principis Condæi* juramentis ſtabilitum, utrumque *perpetui & irrevocabilis*

cabilis titulo insignitum; sed post novas turbas & conventiones iteratas, ad alia ventum est, eodem tenore eademque solennitate anno 1579 & 1580 publicata. Ligæ nihilominus furores post Henrici III mortem, & Henrici IV ad regnum evectionem, eo usque continuati sunt, donec Rex deserta religionis Reformatæ professione, victisque hostibus & pace facta, per edictum Nannetense anno 1598, mense Aprili, statum religionis componeret, & Reformatis plenam quam desiderabant, libertatem concederet. Hoc edictum, ut priora, *perpetuum & irrevocabile* nominatum, & juramento omnium magistratuum, tam regiorum quam oppidanorum, præcipuorum etiam ex civibus, & denique curiarum supremarum, quas Parlamenta vocant, regisque promissione, quæ juramento æquipollet, firmatum fuit. His ita narratis Autor c. IV monet, Edicta ista conventionibus & pactis, & juramentorum fide niti, legesque esse perpetuas & irrevocabiles. Dein c. V. principia obligationis indagat, docetque Regibus non solum licere cum subditis paciſci, sed & pactis illis obligari, maxime juratis, iisque etiam, quæ antecessores iniverint. C. VI. exemplum Gabaonitarum proponitur, quibus etsi idololatris & qui pacem dolo impetrassent, servari tamen promissa debuerunt, & eorum violatores divinitus puniti sunt. Speciatim c. VII Edicti Nannetensis forma examinatur, eaque maxime solennis & obligatoria statuitur. Factum enim erat pacificato jam regno, & prævio cum Reformatis tractatu, accedente juramento, uti dictum est, & licet ipse Rex non juraverit, adstrictus tamen erat vi juramenti, quo ut Rex Navarræ sese obligaverat, & quo antessor ejus tenebatur. C. VIII pluribus id adstruitur rationibus, & novæ confirmationes Regum Ludovici XIII & XIV adducuntur. C. IX. ad objectiones quasdam ab anonymo Edictorum Regiorum editore propositas respondetur, asserendo, idem robur esse huic edicto, ac legi perpetuæ, qualis habetur Salica, nec tolerantiam solum religionis reformatæ Edictis datam, sed perpetuam permissionem stabilitam esse, quamvis a Catholicis eatenus tolerata dici possit, quia eam pro vera non agnoverint. C. X. aliæ objectiones refelluntur; monstrat enim Autor, non offici juri Regio, sed ejus supremam potestatem nihilominus consistere, etsi pacta & juramenta subditis servet, multo minus

nus jus infringendi edicta inde nasci, quod reformatæ religionis status debilitatus & imminutus sit, aut quod per Edictum Nannetense priora revocata fuerint: id enim ad tollendas disputationes, majoremque securitatem Reformatorum factum esse, ultimæ huic sanctioni satis tuto innitentium. C. XI opinionem Hug. Grotii, qui edicta ista pro fœderibus non habenda, sed revocabilia esse, in aliquo tractatu, Autori non viso, statuisse dicitur, nullius autoritatis aut valoris esse ostenditur. C. XII occurritur exceptionibus, quod hæreticis non sit servanda fides, & quod bona intentio ad convertendos Reformatos directa, violentiam quæ in edictorum abolitionibus usurpatur, corrigat.

IN VARIA SACRA NOTÆ ET OBSERVATIONES Stephani le Moyne Theologi Leydensis.

Tomus Secundus.

Lugduni Batavor. apud Danielem a Gaesbeck 1685. in 4.

STamus promissis superiori mense factis, & tomum alterum Variorum Sacrorum Moynii in manus sumimus, præcipua ejus argumenta recensituri. Etenim omnia notatu digna, quæ clarissimus Auctor in prolixissimis *Notis ad Polycarpi & Barnabæ Epistolas*, & *Hippolyti Sermonem* hoc volumine comprehendit, exponere instituti nostri ratio non patitur, nec nimia illorum multitudo tam brevi spatio includi potest. Quare nonnulla saltem notabimus, quæ vel apud alios non sunt obvia, vel ad componendas eruditorum controversias ex multiplicis eruditionis penu ab Auctore depromta. *Initio* statim observat, titulum epistolæ Polycarpi non esse auctoris, nec tali honorifica strue, sicut nunc, ornatas olim litteras, sed a Persis inanes istos titulos fluxisse videri. *Pag. 6.* Apostolos ad scribendas epistolas præcipue motos fuisse arbitratur Judæorum perfidis conatibus, quos in omnes terras ad traducendam Christi doctrinam litteras misisse ex Justino Martyre & Eusebio probat. *Pag. 7.* Epistolas *formatas* veterum non a forma sigilli Episcopalis, ut nonnulli eruditorum opinantur, sed a forma vocum dictas adserit, &

quia verbis conceptis exarabantur. *Pag. 17. & seq.* adversus Salmasium aliosque contendit, inscriptionem Epistolæ Constantini ad Miltiadem Episcopum Romanum & Marcum, apud Eusebium Lib. X. cap. V. non esse sollicitandam. *Pag. 22. & seq.* egregiis exemplis probat, multa ex usu apud Synagogas recepto, nec vero ex moribus in templo Hierosolymitano usurpatis, in Ecclesias Christianorum Apostolos derivasse: indeque elicit, sæculo primo & secundo *Pontificis* & *Sacerdotis* nomen apud probos illarum ætatum auctores Christianorum Doctoribus non attribui; sed quum sibi objici posse Lucianum animadverteret, qui Peregrinum cum τοῖς ἱερεῦσι καὶ γραμματεῦσι Christianorum conversatum scribit, duplici ratione telum istud avertere conatur, sive, ut Lucianus Christianos cum Judæis confuderit, sive ut verba illius in gravissimo eubent mendo, eaque non de Peregrino, sed de Christo accipiantur, & pro ξυγγενόμενον substituatur ξυγγενομένῳ. *Pag. 71.* de Judæorum proseuchis disputare incipit, ac quoniam eæ ad littus sæpe constituebantur, difficili Martialis loco de verporum juramento per *Anchialum* inde quærit intellectum, ut legendum sit *Aigialum*, quasi *Deum littoralem* notans: adjungens aliam conjecturam, qua legatur *Hecalia, templum Dei.* Porro *pag. 128. & seq.* in nummis Cleopatræ nec ΘΚΑΝΣΩΤΗΡΑ cum Tristano, nec Θεανσωτείρᾳ cum Scaligero, sed ΘΕΑΝ ΣΩΤΗΡΑ legendum observat. *Pag. 137.* fidem Patrum Ante-Nicænorum vindicare aggreditur contra Arianos & Socinianos, sed præsertim Sandium, cujus causa hanc operam susceptam ait *pag. 273.* ejusdemque, in Prolegomenis primi tomi mentionem fecerat, addens, exemplo clarissimi Wittichii se esse incitatum, qui causam Spiritus Sancti adversus eundem Sandium defenderat. Inde nos plurima notare possemus ab aliis non animadversa, sed unico exemplo erimus contenti ad celebrem περὶ γνησιότητος Epistolarum Ignatii controversiam faciente. Etenim *pag. 162.* profert vexatum ex epistola Ignatii ad Magnesios locum, ubi Christus dicitur λόγος ἀΐδιος, οὐκ ἀπὸ σιγῆς προελθών, & postquam breviter commemorasset, quemadmodum ex illis verbis suppositionis notam desumserint Salmasius, Blondellus, Dallæus, & ex adverso ad defendendam isthanc epistolam Usserius, Hamundus, Vossius, Parsonus, Æonum Valentinianorum hic series & συζυγίας texerint; brevi-

viori via solvit scrupulum Moynius, quam verbis ejus *pag. 164.* describere operæ pretium: *Ignatius ergo more Apostolico, & more gentis locutus, Christum verbum vocavit, sed æternum, non natum in tempore, & quod præcipue incœpisset temporibus Herodis, & quod Mariæ matri originem suam deberet, ut volebant Ebionitæ, contra quos hic disputare videtur Ignatius, & addit illud esse ante sæcula, ante mundum illud fuisse apud Patrem, & non a Silentio fluxisse ut verba prolativa, quasi Silentium illud antecesserit, & fuerit aliquando, cum esset silentium, nondum vero esset verbum, sed verbum esse æternum, quod omne silentium præcesserit, & quod nunquam non fuit, sed jam erat, cum primo Patris os æternum in verba solutum fuit.* Porro *pag. 282.* per ἐπιφάνειαν *gloriæ magni Dei* &c. quam Paulus Tit. 2. expectare jubet, ad ritus τῶν καθείρων eum allusisse nullus dubitat, & in eorum sacris describendis admodum prolixus est. *Pag. 323. & seq.* ex Elidrisio aliisque Arabicis scriptoribus disserit de Nilometrio Ægyptiaco, idq; jussu Constantini Magni ab Alexandro, Episcopo Alexandrino, exemplo Serapidis in Ecclesiam Christianorum translatum fuisse ex Socrate & Sozomeno docet: inde Valesii opinionem rejicit ac si idola quædam gentiliumque simulacra simul transportata fuissent, quum potius apud Sozomenum per σύμβολα contractus, leges & privilegia urbis innuantur. Addit acutam conjecturam, quod ex nomine illius Nilometrii Arabico, *micail*, orta sit lepidissima fabula apud Eutychium Patricidem in originibus Alexandrinis & alios, de templo a Cleopatra Alexandriæ idolo *Micail* exstructo, sed ab Alexandro, Episcopo Alexandrino, in honorem *Michaelis* consecrato, festoque idololatrico quotannis habito in Christianum conversо. Equidem Abrahamum Ecchellensem se consuluisse scribit Moynius, quoniam talis idoli apud Ægyptios nulla sibi occurrisset mentio. Recitat quoque responsum Abrahami, sed votis suis neutiquam satisfaciens, quippe quod præter nudam historiolæ Eutychianæ repetitionem nihil continet, quam *id esse Ægyptiorum notissimum idolum.* Frustratus igitur spe sua Moynius arbitratur, *apud Ægyptios nunquam tale extitisse idolum, nec talem idoli mutationem factam in honorem Archangeli Michaelis, sed cum Nilometrium maxima cum pompa & festivitate ad Serapeum transferretur singulis annis, & vocaretur micail, quod mensuram significat: hinc esse, quod*

idolum finxerint, mutatamque festivitatem in festum aliquod Archangelo Michaeli dicatum propter affinitatem nominis &c. Pag. 332 & seq. disquirit, an ex Josephi Antiq. lib. X. cap. VI. probari possit, duos Ezechielis Prophetæ libros olim exstitisse, numque ex altero desumta sint, quæ ut Ezechielis verba citant Tertullianus & alii Patres? censetque, eo non pertinere Ezechielem Tragœdum, a Clemente Alexandrino Eusebioque citatum, & ab Henrico Stephano editum, qui Josepho posterior sit: sed longissimum Ezechielis librum in duos fuisse divisum, quorum prior usque ad caput XL, posterior inde usque ad finem pertigerit. Testimonium autem a Tertulliano & aliis citatum ex Judæorum פרקי אבות sive *Capitulis Patrum* fuisse depromtum, unde & alia antiquos Christianos petiisse credit præclara Patrum & Prophetarum dicta, quæ in istis capitulis conservata fuerint. *Pag. 341. 342.* post Usserium de tertia Pauli ad Corinthios epistola disserit, quæ adhuc apud Armenos servari fingitur. *Pag. 422. & seq.* longissimum sermonem instituit de templo Hierosolymis in memoriam resurrectionis & mortis Christi erecto, quod alii *Martyrium*, alii *Anastasin* vocant, & virorum doctorum controversias componere studet, nummumque Paschalini, super quo omnes istæ lites exortæ fuerant, ita explicat, ut per ΑΝΑΣΤΑΣΙΝ non resurrectionem Domini nostri, sed templum istud intelligat, a quo postea consuetudinem ortam existimat, omnia Christianorum templa *martyria* vocandi. *Pag. 488.* ad locum apud veteres celebrem, *Dominus regnavit a ligno*, dilabitur, & de ejus origine singularem proponit conjecturam, quam ipsis Auctoris verbis Lectoris judicio exhibebimus: *Si conjecturæ locus aliquis dandus foret, crederem sæculo secundo multos codices scriptos fuisse Hebraice; sed characteribus Græcis, & præcipue Librum Psalmorum, qui ab omnibus vulgo terebatur. Cum vero in Psalmis legeretur Hebraice* יהוה מלך מאו *Græca ista scripta legebantur* Κύριος μαλαχ μεές. *Quæ cum Græce interpres vellet redderet, ea hunc sensum fundere existimavit,* Κύριος ἐβασίλευσεν ἀπὸ ξύλου. *Nam cum characteres Græcos tantum legeret, credidit* μεές *esse a* מעץ, *a ligno non vero a* מאו *quod durationem infinitam, æternam, & interminabilem significat.* &c. *Pag. 564.* de אבן שתיה *lapide fundamenti* apud Judæos superstitioso cultu primus post templi excidium sæculis

lis venerato multa adfert, *indeque existimat fluxisse lapides & columnas Sethi, tanquam ex lapide Sethia sive fundationis, lapide isto qui fuerat in Bethel* &c. *Pag 598.* lepida narratione redarguit nimium Hammondi studium, quod is impenderat ad probandum, Gnosticorum hæresin a Paulo sæpe in epistolis notari; *unde olim Usserio & aliis doctis debebat ludibrium, qui illo accedente se vereri ludentes significabant, ne illis aures obtunderet frequenti & importuna Gnosticorum memoria.* Posthac *pag. 607.* patriam Porphyrii, quæ viros eruditos torsit, *Basan* seu *Bataneam* esse definit, nec sollicitandam lectionem vulgarem *Bataneotes*, quæ apud Hieronymum & Chrysostomum reperitur. *Pag. 609. & seq.* ansam suppeditante R. Salom. Jarchio, qui mel a Jonathane gustatum 2. Samuel. XVII, de saccharo interpretatus fuerit, prolixum de saccharo excursum subjungit, contenditque, temporibus Jonathanis saccharum nostrum prorsus ignotum fuisse, & morem illud condiendi tum non obtinuisse. Notas quidem fuisse quasdam arundines, unde succus exprimebatur potu jucundissimus: morem vero istum succum coquendi & condensandi, ut illo tandem concreto, candidus & durus evaderet, fuisse adhuc ignotum, ævique recentioris esse. Et quanquam apud Herodotum mentio fiat arundinis, e qua exprimeretur succus palato gratissimus, eum tamen a saccharo nostro longe differre: saccharum quoque concretum apud veteres commemoratum non aliud fuisse, quam saccharum Mambu & Tabaxir, quo tantum in medicamentis uti solebant myropolæ. Quæ porro a *pag. 635. usque ad 775.* ad illustrandam Barnabæ epistolam de Hirco emissario, Vacca Rufa, cinerumque ejus adspersione & Hyssopo, item de Circumcisione, Pygmæis & Epispasmo larga manu congessit, Lectoris curiositati relinquimus, breviter recensentes, quæ Barnabæ aliorumque veterum Christianorum in trecentorum decem & octo servorum Abrahami numero mysteria quærentium ductu *pag. 786. & seq.* profert de modo numerandi per siphras, quem Isaacus Vossius (quum Moynius in Anglia eum inviseret) apud Græcos & Latinos olim in usu fuisse, indeque ad nos pervenisse existimaverat, adstipulante Huetio cum in litteris ad Moynium, tum in Demonstratione Evangelica Propos. IV, p. 252. Sed Moynius multis argumentis firmat vulgarem sententiam, notas istas numericas

mericas hodie receptas ab Orientalibus nos accepisse. Jucunda lectu est ista Moynii disceptatio, & *ad paginam usque 805.* pertingit, ubi ad illustrandum difficilem Epiphanii locum Hær. XLII. alia additur de veterum modo per digitos numerandi. Inde rursus Barnabam sequutus multa de sabbato, die dominica, duabus viis ad vitam instituendam, similibusque argumentis ex omni antiquitate convehit, donec *pag. 930. Notas & Observationes ad Hippolyti sermonem* orditur, de cujus auctore primum sollicitus est, eumque nec Josephum (cujus de Christo testimonium non plane quidem suppositititium, sed a Christianis tamen interpolatum censet) nec Justinum Martyrem, nec Irenæum (ut veterum nonnulli opinati sunt) nec in quem Photius propendit, Gaium Romanum Presbyterum (de cujus simul orthodoxia cæterisque scriptis disquirit) sed Hippolytum esse judicat, quod ex stylo & disputandi methodo, ac præcipue Canone Hippolyti Paschali marmori inciso pag. 945. probare vult, utpote in cujus altero latercul o, inter Hippolyti scripta numeretur etiam quoddam πρὸς Πλατῶνα ἢ καὶ περὶ τοῦ παντός. Indè relicto Hippolyti sermone ad latercul os istos illustrandos progreditur, & Lectiones Paschales in priori designatas exponens de Lectoribus etiam veteris Ecclesiæ nonnulla subjungit, ac contra Scaligerum & Casaubonum de vero significatu vocis νηστεύειν, disputat, eamque non *jejunium transferre*, sed *terminare & dejejunare* notare contendit. Posthæc *pag. 969. & seq.* usque ad finem secundi Tomi latercul um posteriorem explicandum suscipit, variosque Hippolyti libros ibi indicatos eruit ac vindicat longissimis discursibus, quos non sine voluptate curiosi Lectores perlegent.

JACOBI GAILLARDI MELCHISEDECUS, Christus unus Rex Justitiæ, Rex Pacis.

Lugduni Batavorum, apud Felicem Lopez 1686, in 8.

QUam post *Ambrosium* lib. de iis, qui initiantur mysteriis, *cap. 78*, & veteres multos hoc nomine ab *Epiphanio Hæres. 55.* notatos, *Clementem Alexand.* ad A. C. 192. Stromat. lib. 2. *Cyrillum Hiero-*

Hierosol. ad A. C. 354. cat. 16. *Carolum Drelincourtium* Ecclesiæ Parisiensis Ministrum in Examine Replicæ Dn. de Bellay Sect. XI. §. 24. pag. 194. *Petrum Cunæum* de Republ. Hebræorum, & ex Hebræis post *R. Saadiam Gaon* Com. in Dan. VII. 13. *Mosen Haddarscham* in Bereschit Rabba & in Genes. *XIIX. 1. Medrasch Tehillim* in Psalm. II. & in Psalm. CX, 4. propugnaverat de Melchisedeco sententiam Tractatu peculiari Decadi ultimæ sivæ X. Sermonum Gallice concinnatorum annexo, *Petrus Molinæus*, eandem prolixiori commentatione ac defensione dignam reputavit Cl. Autor, qui ex *Tractatu de Filio hominis* orbi literario non ita pridem innotuit. Operæ videlicet pretium facturum se esse credidit, si Exercitationibus quibusdam tum opiniones discrepantes examinaret & confutaret, tum unam hanc præ aliis probaret. Exercitationes in universum sunt duodecim. *Exercit. 1.* necessaria Melchisedeci notitia pluribus rationibus confirmata ὡς ἐν συνόψει circa hoc argumentum dissentientes in classes duas tribuit, quarum una hominem merum, altera personam spiritualem humana specie indutam credat, ita tamen, ut nec dum constet utrisque, quis veniat intelligendus. Explodit imprimis conjecturas eorum, qui putarunt per Melchisedecum intelligi debere vel Angelum finitum, vel Spiritum sanctum, vel virtutem cœlestem Christo excellentiorem, ad cujus imaginem formatus fuerit Christus DEi Filius; suffragatus ex adverso iis, qui credunt, *Melchisedecum fuisse ipsum Christum DEi Filium incarnationi proludentem, qui cœlo delapsus, redeunti de strage Abrahamo derepente apparuerit, fesso panem & vinum immensa virtute protulerit, quia Rex pacis, abundantiæ & munificentiæ Patriarchæ se obtulit, eiq; benedixit Sacerdos altissimi DEi.* Hanc sententiam reliquis præferendam esse aliquot argumentis instat, & momentosa quædam bona inde provenientia recenset, totumque negotium sic ordinat, ut hypotheses convellendas percenseat, rationum momenta ad lancem sanctuarii ponderet & judicio locorum Scripturæ *Genes. XIV. Ps. CX.* ac. *Hebr. VII.* cuncta dijudicet. *Exercit. II.* hanc hypothesin: *Melchisedek est nomen proprium meri hominis, Regis & Sacerdotis, qui munus regale & sacerdotale obivit in urbe Salem*, propinat & rationes, quibus nititur, enatratas diluit, Docet præsertim, quamvis hic strictius, nullam fuisse urbem *Salem* Abrahami tempore;

solum

ſolum in hiſtoria Moſis Abrahamo legi occurriſſe Melchiſedecum, & quidem nullo ſtipatum ſatellitio, præter morem Regum terrenorum. Porro productionem panis & vini immediatam fuiſſe eductionem arbitratur, & rationibus evincit, Melchiſedecum non fuiſſe ſacerdotem terrenum & mortalem, quia Abrahamo major erat; cum tamen hunc quovis Rege & Sacerdote terreno longe majorem fuiſſe non uno nomine adſtrui queat. *Exercit. III.* hypotheſin aliam: *Melchiſedeck, qui Abrahamo obviam occurrit, typus & imago fuit Chriſti, Regis juſtitiæ & pacis, DEique Sacerdotis æterni*, et quæ ipſi favere videntur, eruit ac alia inter edicit, phraſin illam *ſecundum ordinem*, tum in Scripturis, tum apud Autores probatos *ſecundum rem & dignitatem* ſignificare. *Exercit. IV.* argumentum primarium pro Melchiſedeco typico ex verbis Apoſtoli: *aſſimilatus Filio DEi.* petitum diſcutit, & uti eundem ſibimetipſi aſſimilari poſſe tum canon Scripturæ, tum ſcripta profana clare ſatis innuant, ita quoque Melchiſedecum Moſis Filio DEi, & hunc illi, nec alium alii aſſimilatum fuiſſe fuſe ediſſerit, ac ex typi natura curioſius indagata aſſertionem hanc firmat. *Exercit. V.* hypotheſin tertiam: *æternitatem Melchiſedeci Salemenſis Sacerdotis, alto ſuo ſilentio de patre & matre & genealogia ejus, de ortu & interitu, Scriptura repræſentavit, ut illo ſilentio fuerit ſine patre, ſine matre, ſine genealogia, neque initium dierum, neque finem vitæ habens, ſicuti Filius Dei Chriſtus, Hebr. VII. 3.* ſub examen vocat, & rationem, qua ſuffulcitur, confutat, rationibus & autoritatibus ex Antiquitate imprimis Rabbinica prolatis ad hypotheſin hanc convellendam. *Exercit. VI.* ex *Epiphanio* lib. II. Heræſi LV. *Jacobo Capello* Obſervat. in cap. VII. ad Hebr. *Andrea Riveto* Comment. in Cap. XIV. Gen. *Moſe Amyraldo* Homil. I. in Cap. VII ad Hebr. aliisque rationes plures, quibus efficere non dubitant, Melchiſedecum qui Abrahamo obvius factus eſt, non fuiſſe Meſſiam, producit ac diluit. *Exercit. VII.* ſententiam de Melchiſedeco typico ulterius confutat ex *Gen. XIV. 18. 19. & 20.* Inſuper hæc tria prolixius dilucidanda ſumit, utpote ſententiam ejus quam maxime corroborantia: *I.* Melchiſedek non fuiſſe nomen proprium Sacerdotis, cum Paulus, qui reliqua Regum nomina Græca interpretatione non donavit, diſerte dixerit, ſignificare Regem juſtitiæ, quamvis Targumiſtæ, Interpretes & Judæi fere omnes contra-

contrarium aſſerant. (2) *Salem* non eſſe nomen proprium urbis; id quod ex ejusdem Pauli ceu interpretis infallibilis translatione, dum pacis Regem vocari dixit, evinci certiſſime autumat. (3) modum, quo Melchiſedek panem & vinum Abrahamo eduxit, non fuiſſe mediatum ſed immediatum & miraculoſum, id quod ex parallelismo Scripturæ V. T. probare ſatagit, cum nuspiam mediata productio hoc vocabulo indigitetur, niſi ſtatim ſequatur עַל יַד ſive per manum, hoc eſt, miniſterio & opera alterius. *Exercit. IIX.* ſententia de Melchiſedeco typico convellitur ex *Pſ. CX*, ita ut primum Pſalmum hunc de Meſſia conſcriptum eſſe, teſtimoniis Phariſæorum & Judæorum omnium, Jeſu in terris verſante viventium, ex hiſtoria Evangelica allatis demonſtret, ac conſentientes Rabbinos quamplurimos (quorum ſuffragia multis abhinc annis ſtudioſe congeſſit, partemque eorum aliquam publicæ luci expoſuit clariſſimus noſtri ævi philologus *Esdras Edzardus*) citat. Deinde ſigillatim oſtendit, omnia illa Pſalmo hoc enarrata nonniſi in unum Chriſtum collimare, & Chriſtum, quem Melchiſedeci Salemenſis prototypum perhibent, non potuiſſe ſecundum dignitatem ſui typi conſtitui, quia tota Scriptura reclamet, plurimæque rationes contrarium urgeant. *Exercit. IX.* ſententia de Melchiſedeco typico falſitatis arguitur ex *cap. VII. Epiſtolæ ad Hebr.* cum Apoſtoli ſcopus toto capite eo tendat, ut Melchiſedeci ſacerdotium ſacerdotio Levitico opponat, ac illud ſupra hoc evehat. Argumenta hanc in rem non pauca adducit, & quæ videntur obſtare, ſedulo removere ſtudet. *Exercit. X.* ad ſtabilienda ea, quæ Exercitatione præcedente affirmaverat, ſcopum Pauli in tota Epiſtola ad Hebræos propoſitum attingit, hocque nomine analyſin ejus usque ad cap. XI inſtituit, eaque præmiſſa evidenter declarare laborat, nonniſi de uno Chriſto Melchiſedeco, omnium Prophetarum, Regum & Sacerdotum longe excellentiſſimo, Paulum diſſerere, ita ut ad evincendum hoc opus non fuerit Melchiſedecum Salemenſem typicum commendare. *Exercitationi XI.* rationes pro Melchiſedeco Salemenſi typico *J. Henr. Heideggeri* reſervavit expendendas pariter ac diſcutiendas: et tandem *Exercit. ultima* hiſtoriam quaſi Eccleſiaſticam opinionis de Melchiſedeco typico texit, originemque ejus & propagationem ſcrutatur, ac omnibus modis

excellentem illius opinionis perverſitatem, ut ipſe loquitur, ſubruere autoritatibus partim, partim rationibus diligenter annititur, ac ſimul abſurda & incommoda inde enata in medium profert.

JOH. EISENHARD, IN ACADEMIA JULIA Prof. Publ. Proceſſus Inſtantiæ Reſtitutionis in integrum.

Helmſtadii, apud Georg. VVolffgang Hammium, 1685, in 8.

INter remedia, quibus per ſententiam judicis læſi jus ſuum ulterius vindicare queunt litigantes, haud poſtremum locum obtinere beneficium reſtitutionis in integrum, cuilibet notum eſt. Naturam hujus ac proceſſus ordinem poſtquam ante hos undecim annos diſputatione inaugurali Helmſtadii habita expoſuiſſet Autor, ac ſequenti tempore complura obſervaſſet, quæ labori iſti utiliter ſuperaddi poſſent, ad eum denuo recenſendum ac ſecundis hiſce curis adaugendum ſemet applicuit; atque hinc præſens ipſi tractatio enata eſt. In qua non tantum eleganti ordine ea exhibuit, quæ apud optimos quosque ſcriptores hac de materia reperiuntur, ſed & quam plurimis in locis communia decreta Spirenſis Cameræ, ac res ibidem tam olim quam nuper judicatas interſperſit. Illuſtris enim hujus curiæ ſtylum ac praxin in concinnando hoc opuſculo cumprimis ante oculos habuit Autor, cujus etiam Aſſeſſoribus ampliſſimis laborem hunc voluit dedicatum, in quorum numero & ipſe, uti narrat, ſuum veneratur ſocerum. Cæterum de ipſius libri contentis, cum non adeo prolixus ſit, nil addimus; quin tamen ejus perveſtigatio abunde lectorem & inſtruere & delectare queat, nulli dubitamus.

TRAITEZ NOUVEAUX ET CURIEUX DU Cafe, du The, & du Chocolate: par Philippe Sylveſtre Du Four.

a la

a la Haye 1685, in 12.

Tractatus novi de potu Cafée, de Chinenſium The, & de Chocolata.

Pariſiis apud Petrum Muguet. 1685, in 12.

ETſi cujuslibet terræ, quæ ex ea naſcuntur, ſufficere poſſunt remedia incolis, ac domi natis indigenisque herbis, etiam viliſſimis, vis ineſt longe copioſiſſima, quod præſtantiſſimi medici jampridem oſtenderunt; tamen, ut in cibis, ita quoque in remediis optima creduntur ea quæ accerſenda ſunt, & poſtquam peregrina veſtimenta, alimenta, condimenta placuerunt, etiam remedia foris quæſita ſunt, & a remotiſſimis oris medicamenta allata, faſtiditis quæ domi naſcuntur. Talia cenſentur, quæ ab exoticis herbis fruticibusque petita in hoc libello deſcribuntur. Cujus Autor mercaturam faciens in Gallia Lugdunenſi, ea uſus eſt ad conſequendam exactiorem notitiam peregrinarum mercium, cumprimis aromaticarum, ex crebro quod ipſi intercedebat cum exteris commercio. Cumque potus *Cafe*, *The* & *Chocolatæ* ſuperioribus annis ex oriente advectus apud Europæos recipi cœpiſſet, herbarum, ex quibus iſti coquuntur, accuratam notitiam tradere præſenti opuſculo, quod ex Gallica non in Latinam tantum, ſed & Germanicam linguam Budiſſinæ hoc anno translatum eſt, inſtituit.

Café deſcriptionem decem abhinc annis ſe adornaſſe profitetur, ſed quam magis exactam nunc tradit. Arabiæ felicis e frutice eam largiſſimo proventu naſci, vimque ejus a Priore quodam caſu fuiſſe repertam, occaſione caprarum iſthac herba paſtarum, inſomnes noctes agentium & aſſidue ſubſultantium, narrat. Uſum ejus in Oriente inter Turcas longe ampliſſimum inter plebejos æque ac magnates eſſe affirmat: rationemque ſiccandæ & coquendæ ejus oſtendit, omnem efficaciam in vero ſiccandi, aterendi, & coquendi modo eſſe ſitam affirmans, quem ſi quis ignoret, nil eximii ab uſu ejus ſibi promittere poſſit. Poteſtates hujus leguminis capite 7 & 8 late explicat, ejusque qualitates chymiæ beneficio, opera Jacobi Sponii & Caſſarii junioris indagatas, indicat. Effectus porro ejusdem in eo conſiſtentes, ut ſtoma-

cho conducat, coctionem juvet, humores superfluos & noxios exsiccet, obstructiones dissolvat, vapores in cerebrum ascendentes retundat, somnum cohibeat, sanguinem purget, dentium nitorem conservet, ebrietatem diluat, fermenti in ventriculo nimium acorem obtundat eruditatesque absorbeat, hypochondriacis inde & scorbuticis morbis medeatur, colicam, calculum, podagram, & hydropem arceat, fœminarum menstrua promoveat, uteri obstructiones tollat, tussim, asthma, omnemque respirandi difficultatem levet, febrim sanet, capitis dolores dissipet, & alia mala tollat, capitibus 9. 10. 11 & 12 recensetur; capite autem 13 docet, quibus usus *Cafe* minus conducat, nempe his qui temperamento bilioso sunt, ventriculo facile digerente & nimis calido gaudent, sanguine item subtili & incitatius in circulum se agente præditi, ob idque macilenti sunt, ostendit: Simonis Pauli vero sententiam, qui generationi minus idoneos reddi Cafe potores ex Oleario tradiderat, confutat.

Theam Sinensium Japonensiumque herbam eodem tempore, quo Cafe Europæis innotuisse, effectibus etiam ferme iisdem gaudere ait, & ex Nieuhofii, Rhodesii, Tulpii aliorumque libris eam describit, Simonis Pauli sententia, qua chamæleagnum, aut myrtum Brabanticam Europæorum, eandem cum Sinensium thea herbam esse contendit, rejecta. Quo recentior sit & viridior, eo meliorem censendam affirmat, modumque præparandi ex ea potus ostendit, tempus item quo salubris maxime ejus sit usus, & quam varia ratione is instituatur, quomodo vasa ad eum idonea componantur, & alia apparentur, capite 1 & 2 docet. Capite 3. 4. & 5. facultates ejus somnum pellendi, viresque longis vigiliis dissipatas reparandi, capitis doloribus medendi, ebrietatem abigendi, stomachum digestionemque juvandi, nephritidem, calculum, podagram, arthritidem prohibendi, & virtutes alias commendat; de lactis etiam hac herba saturatæ usu quædam commemorat.

Sed cum Thea Europæis jam satis innotuerit, quod maxima ejus copia quotannis e Sinarum regno afferatur, unde familiaris & velut domestica nobis reddita est, plura de ea commemorare nil attinet. Originem istius, virtutes, utendi modos, & alia circa eam notatu digna quæ occurrunt, venustissimo poemate Latino, quod

quod illustri viro Petro Danieli Huetio inscripsit, superiori anno Parisiis expressit doctissimus *Petrus Petitus*, omnis philosophiæ & veterum auctorum exacta cognitione, medicæque artis peritia æque ac carminis gloria celeberrimus. Græcis quoque suavissimis anacreonticis odis virtutes hujus herbæ decantarunt *Petrus Francius* in Amstelodamensi gymnasio, & *Johannes Gothofredus Herrichen* in Lipsiensi nostro ludo literario, doctores summe meriti. Horum carmina qui perleget, & istis clarissimi Pechlini de Thea dialogum, *Theophili Bibaculi* nomine insignitum, quem in Actis anni præterlapsi mense Januar. pag. 45. recensuimus, jungat; amore in herbam incitatus, si minus valetudinis ob rationes, curiositatis tamen exsaturandæ gratia, potum decoctæ ex ea aquæ exoptabit.

Chocolatam ex Cacao nuce & aliis aromaticis compositam pastam, notam satis, & prius apud Europæos, quam Thea innotuit, receptam esse ait, palato, si aqua, vino, aut lacte diluatur gratam, & sanitati perutilem: de qua in Hispania *Bartholomæus Marradonus* & *Antonius Colmenerus*, in Gallia *Renatus Moreau*, in Anglia *Thomas Gageus* prolixe jam commentati sint, & omnia attulerint ad hanc rem pertinentia. Ex iis igitur quæ optima visa fuerint se collegisse, & in tractatum hunc congessisse, ingenue profitetur. Materiam ex qua componatur variam recensetur & eam enumerat: cacao nucem, quam arbor profert Americanis *Cacahuaguahuitl* aut *Cacaotal* dicta, sacharum, cinnamomum, chille seu piper Mexicanum, cariophylla, vanillas, achiotam succum, amygdala, avellanas, mays sive frumentum Indicum & milium, oreievalam florem, alium item resinosæ arboris florem, & siliquam *Tlixochitl* dictam; de quarum singulis cap. 1. seorsim disserit, & ex iis quasdam species detrahi aut immutari pro lubitu & ingenio conficientium chocolatam monet; addens, in his regionibus compositam nimis insipidam haberi Americanis, apud illos vero confectam nobis minus gratam esse, quod palatum nimium pungat; aptissimam nostro gustui censendam quæ Gadibus conficitur. Rationem ejus componendæ, & quomodo ingredientia misceantur, potus item præparetur, modosque quibus bibatur, capite 2 tradit;

dit; in reliquis virtutes ejus exponens, & quibus medeatur morbis, indicans.


Gallica libri editio peculiarem tractatum *de compositione chocolatæ* annexum habet, quem omisit Latinus æque ac Germanicus interpres: quod pleraque in eo allata jam dicta fuerint. Haud tamen neglexerunt iidem subjungere *dialogum de chocolata*, jam olim ex Hispanico Barthol. Marradoni anno 1618 Seviliæ evulgato, in Gallicam linguam, nunc in Latinam quoque & Germanicam conversum.


ANTONII NUCK DE DUCTU SALIVALI novo, saliva, ductibus aquosis & humore aqueo oculorum.

Lugd. Bat. apud Petrum van der Aa. 1686, in 12.

PAtere naturam cuivis inquirenti, hactenus abunde monstrarunt inventa nova Anatomicorum, & nunc idem testatur Auctor in præsenti tractatu. Postquam enim ille intra octennium sexaginta & plura humana cadavera, præter innumerum brutorum animantium cœtum, dissecuit, varia ipsi innotuerunt antehac nondum observata. Bigam tamen ipsorum solummodo, ductum nimirum salivalem novum, novaque vasa humorem aqueum oculum versus ducentia, hocce tractatu, duas in partes divisо, exponere voluit. Parte igitur prima cap. I. de ductu salivali novo agens, veterum opinionem circa originem salivæ prius recensет, commemorans deinde Warthoniana, Stenoniana, ac nuperrime a Bartholino depicta vasa; postmodum novi ductus salivalis occasionem inveniendi, ejusque originem, progressum ac terminum subjungit. *Oritur autem iste ductus*, (utimur Auctoris verbis) *a glandula intra orbitam cranii (ubi pro oculis locum facit,) sita, musculum intra oculum abducentem & ossis jugalis partem supremam, ubi ex hoc glanduloso corpore plurimis surculis in unum truncum coit, & recta linea prope os maxillare externe deorsum tendit, osculoque suo quamproxime circa secundum dentem molarem (a posterioribus numerando) superioris scilicet maxillæ, in suprema gingivæ parte, prope ostiolum ductus Stenoniani*

TAB. VI. *ad a. 1686. pag. 159.*





noniani

noniani, *se manifestat.* Clarius cuncta patescent ex adjecta I. & TAB. V. II. figura. Tandem in hoc capite plura etiam de magnitudine, figura, pondere ac vasis glandulæ ex qua ductus hic novus exurgit, habentur, quæ brevitati studentes, prolixe haud recensebimus. Cap. II. tractat de salivæ secretionis modo, utilitate & tempore, ac ex his deinde aliquot quæstiones elicit, cur scilicet sal salivæ non impediat secretionem? cur copiosa in febribus quibusdam, melancholia, sanguinis sputo, & post mercurialia usurpata, vel oscitationem deprehendatur salivatio? cur saliva in certis affectibus cutaneis conducat? cur omnibus alimentis tanquam universale quoddam menstruum conveniat? &c.

Cap. III. ubi de ductibus salivalibus male affectis disserit, ipsorum cognitionem Medicis ac Chirugis admodum esse necessariam, variis exemplis, tam ex propria observatione, quam ex Galeno, Aquapendente, Hildano, Van der Wiel, Roenhuysio aliisque congestis evincit.

Hæc de prima parte; sequitur nunc altera, cujus caput I. *de ductibus oculorum aquosis* inscriptum, liquoris oculorum aquei originem & restitutionem quotidianam proponit. Tuetur vero Auctor adversus omnes hactenus receptas opiniones, fluere hunc liquorem ad oculi inferiora per ductus duos huic negotio speciatim dicatos, quorum alter sub musculo oculum abducente, alter autem in opposito latere sub adducente latitat. Penetrat tamen uterque tunicam sclerotidem, & in corneam non longe a pupilla inseritur. videatur Fig. III. Equidem recto tramite ductus hi ut plurimum feruntur, usque ad terminum insertionis (conferatur Fig. IV.) nihilominus nonnunquam prope sclerotidis extremum, ubi nervum opticum attingunt, intorquentur & ductulos laterales de se dimittunt, prout in Fig. V. videre est. Originem quod spectat horum ductuum, fatetur Auctor ultra insertionem nervi optici in oculum, nunquam ipsos se præparasse, adeoque principium illorum adhuc esse incognitum.

Capite II. historias ductuum aquosorum male affectorum, erosiones puta, ampliationes, ac vulnera, annexis observationibus & cautelis diversis, circa restitutionem spontaneam humoris aquei oculorum in brutis æque ac homine recenset.

Capi-

Capite III. et ultimo, inveſtigaturus naturam humoris aquei oculorum, diverſa adornat experimenta, admiſcendo huic humori non aquas ſolum deſtillatas, ſed ſuccos etiam plantarum, lac vaccinum, vinum album, ſpiritum ſalis armoniani, aquam Reginæ Hungariæ, tincturam croci ac opii, oleum camphoræ, pulverem aloes, oleum tartari per deliquium, ſacharum Saturni, & plura alia: omnibus autem his commixtionibus ac deſtillationibus inſtitutis, id unice elicuit, conſtare dictum humorem ex aqueis, viſcidis, ſalinis, terreſtribus & ſpirituoſis particulis.

Sequitur denique appendix, vias hactenus ignotas ſanguinis arterioſi in venas capillares indicans, ipſarum tamen accuratam deſcriptionem non ſuppeditat, cum commodiori occaſione Inventor illam reſervatam velit.

Cæterum & hoc ex tractatu præſenti annotandum eſt, p. 8. & ſeq. memorari, quod ductus ſalivales a *Caſpare Bartholino* anno 1684 deſcripti a multis vindicentur ſympatriotæ noſtro D. *Auguſto Quirino Rivino*, qui ipſos jam anno 1670 d. 3. Octobr. in corollario primo Diſputationis de Dyſpepſia, accuratiſſime delineavit; quod binis ſaltim verbis, ne injurii in ipſum videamur, Lectori Benevolo indicare placuit.

Figurarum explicatio.

Fig. I.

Glandulæ ductúsque novi ſitum naturalem exhibet.
A. glandula nova.
B. ductus novus.
C. oculus ſiniſter.
D. Ductus Stenonianus.
E. Glandulæ parotis.

Fig. II. labium utrumque abſciſſum, quo melius oſtium ducti novi conſpici poſſit, notat.
A. Oſtium ductus novi.
B. Stylus in oſtium immiſſus.
C. Dens molaris ſecundus.

Fig. III.

ductum novum oculi aquoſum ea Galeo piſce monſtrat.
A. oculus galei piſcis.
B. Nervus opticus.
C. C. ductus novus aquoſus.
D. Locus ubi corneam perforat.
E. Stylus ibidem immiſſus.
F. Styli exitus per læſam pupillam.

Fig. IV.

Fig. IV.

ductus oculi aquoſos in Cane delineat.
A. A. oculus ſiniſter.
B. Pupilla
C. Nervus opticus.
D. D. Ductus novi aquoſi.
ee e. e. arteriolæ a carotidibus ortæ

Fig. V.

ductus aquoſos ramos do ſe mit tentes oſtendit.
A. oculus.
B. Ductus aquoſi.
C. ramificatio ductuum aquoſorum.

G. G. L. BREVIS DEMONSTRATIO ERRORIS memorabilis Carteſii & aliorum circa legem naturæ, ſecundum quam volunt a Deo eandem ſemper quantitatem motus conſervari; qua & in re mechanica abutuntur.

Communicata in litteris d. 6. Jan. 1686. datis.

COmplures Mathematici cum videant in quinque machinis vulgaribus celeritatem & molem inter ſe compenſari, generaliter vim motricem æſtimant a quantitate motus, ſive producto ex multiplicatione corporis in celeritatem ſuam. Vel ut magis geometrice loquar, vires duorum corporum (ejusdem ſpeciei) in motum concitatorum, ac ſua mole pariter ac motu agentium, eſſe dicunt in ratione compoſita corporum ſeu molium, & earum quas habent velocitatum. Itaque cum rationi conſentaneum ſit, eandem motricis potentiæ ſummam in natura conſervari: & neque imminui, quoniam videmus nullam vim ab uno corpore amitti, quin in aliud transferatur; neque augeri, quia vel ideo motus perpetuus mechanicus nuspiam ſuccedit, quod nulla machina, ac proinde ne integer quidem mundus ſuam vim intendere poteſt ſine novo externo impulſu; inde factum eſt ut Carteſius, qui *vim motricem, & quantitatem motus* pro re æquivalente habebat, pronunciaverit eandem quantitatem motus a Deo in mundo conſervari.

Ego vero, ut oſtendam quantum inter hæc duo interſit, ſuppono, *primo* corpus cadens ex certa altitudine acquirere vim eous-

que rursus assurgendi, si directio ejus ita ferat, nec quicquam externorum impediat: exempli causa, pendulum ad altitudinem ex qua dimissum est præcise rediturum esse, nisi aeris resistentia similiaque impedimenta exigua alia nonnihil de vi ejus absorberent, a quibus nos quidem nunc animum abstrahimus. Suppono item *secundo*, tanta vi opus esse ad elevandum corpus A unius libræ usque ad altitudinem CD quatuor ulnarum, quanta opus est ad elevandum corpus B quatuor librarum, usque ad altitudinem EF unius ulnæ. Omnia hæc a Cartesianis pariter ac cæteris Philosophis & Mathematicis nostri temporis conceduntur. Hinc sequitur corpus A delapsum ex altitudine CD, præcise tantum acquisivisse virium, quantum corpus B lapsum ex altitudine EF. Nam corpus (A) postquam lapsu ex C pervenit ad D, ibi habet vim reassurgendi usque ad C, per *suppos. 1*, hoc est vim elevandi corpus unius libræ (corpus scilicet proprium) ad altitudinem quatuor ulnarum. Et similiter corpus (B) postquam lapsu ex E pervenit ad F, ibi habet vim reassurgendi usque ad E, *per suppos 1*, hoc est vim elevandi corpus quatuor librarum (corpus scilicet proprium) ad altitudinem unius ulnæ. Ergo per *suppos. 2*, vis corporis (A) existentis in D, & vis corporis (B) existentis in F, sunt æquales.

TAB. VI. Fig. 6 & 7.

Videamus jam an & quantitas motus utrobique eadem sit. Verum ibi præter spem discrimen maximum reperietur. Quod ita ostendo. Demonstratum est a Galilæo, celeritatem acquisitam lapsu CD, esse duplum celeritatis acquisitæ lapsu EF. Multiplicemus ergo corpus A quod est ut 1, per celeritatem suam quæ est ut 2, productum seu quantitas motus erit ut 2, rursus multiplicemus corpus B quod est ut 4, per suam celeritatem quæ est ut 1, productum seu quantitas motus erit ut 4. Ergo quantitas motus quæ est corporis (A) existentis in D, est dimidia quantitatis motus quæ est corporis (B) existentis in F, & tamen paulo ante vires utrobique inventæ sunt æquales. Itaque magnum est discrimen inter vim motricem & quantitatem motus, ita ut unum per alterum æstimari non possit, quod ostendendum suscepimus. Ex his apparet, quomodo vis æstimanda sit a quantitate effectus, quem producere potest, exempli gratia ab altitudine ad quam ipsa corpus grave datæ magnitudinis & speciei potest elevare, non vero a celeritate quam corpori potest imprimere. Non enim

enim dupla sed majore vi opus est ad duplam eidem corpori dandam celeritatem. Nemo vero miretur in vulgaribus machinis, vecte, axe in peritrochio, trochlea, cuneo, cochlea & similibus æquilibrium esse, cum magnitudo unius corporis celeritate alterius, quæ ex dispositione machinæ oritura esset, compensatur; seu cum magnitudines (posita eadem corporum specie) sunt reciproce ut celeritates; seu cum eadem alterutro modo prodiret quantitas motus. Ibi enim evenit etiam eandem utrobique futuram esse quantitatem effectus, seu altitudinem descensus aut ascensus, in quodcunque æquilibrii latus motum fieri velis. Itaque per accidens ibi contingit, ut vis a motus quantitate possit æstimari. Alii vero casus dantur, qualis is est quem supra attulimus, ubi non coincidunt.

Cæterum cum nihil sit probatione nostra simplicius, mirum est vel Cartesio vel Cartesianis, viris doctissimis, in mentem non venisse. Sed illum quidem nimia fiducia sui ingenii in transversum egit, hos alieni. Nam Cartesius, solito magnis viris vitio, postremo factus est paulo præfidentior. Cartesiani autem non pauci vereor ne paulatim Peripateticos complures imitari incipiant, quos irridemus, hoc est ne pro recta ratione & natura rerum, consulendis magistri libris assuefiant.

Dicendum est ergo vires esse in composita ratione corporum (ejusdem gravitatis specificæ seu soliditatis) & altitudinum celeritatis productricium, ex quibus scilicet labendo tales celeritates acquiri potuissent; vel generalius (quia interdum nulla adhuc celeritas producta est) altitudinum proditurarum: non vero generaliter ipsarum celeritatum, utcunque id plausibile prima specie videatur, & plerisque sit visum; ex quo complures errores nati sunt, qui in scriptis mathematico-mechanicis *RR. PP. Honorati Fabry* & *Claudii des Chales*, itemque *Joh. Alph. Borelli* & aliorum virorum, cæteroqui in his studiis præstantium, deprehenduntur. Quin & hinc factum puto, quod nuper Regula *Hugeniana* circa centrum oscillationis pendulorum, quæ verissima est, a nonnullis viris doctis in dubium fuit vocata.

PRIMITIVE CHRISTIANITY: OR, THE RELIgion of the Ancient Christians in the first Ages of the Gospel, by VVilliam Cave, D. D.

sive,

VVilhelmi Cave, Th. D. Christianismus Primitivus, seu de Religione priscorum Christianorum in primis Evangelii seculis.

Londini, apud Rich. Chiſvvel, 1682, in 8.

QUarta hæc libri, quem ſiſtimus, editio eſt, ante hos tredecim annos jamjam in lucem emiſſi: unde ſi ſola nobis temporis ratio habenda fuiſſet, facile eo commemorando in totum ſupersedere potuiſſemus. Verum cum toties recuſus parum tamen noſtris quidem oris innotuerit hactenus (quemadmodum necad nos niſi doctiſſimi Auctoris dono pervenit) & nihilominus lectu longe digniſſimus ſit, nonnulla de eo verba feciſſe haud pigebit. Ac primo quidem ut de Autoris ſcopo quædam dicamus, animadvertens ille quantum hodierni Chriſtiani in vita & moribus a recto tramite paſſim deflexerint, ad hos quadantenus corrigendos ſecum ſtatuit, ſemitam a primævis Chriſti aſſeclis tritam penitius ſcrutari; rectiorem eam dubio procul tum fuiſſe judicans, quando, ut Hieronymus ait, Domini noſtri adhuc calebat cruor, & fervebat recens in credentibus fides. Hinc ſedulo ſemet inveſtigationi antiquorum eccleſiæ monumentorum, Patrumque lectioni impendit, & ex floſculis inde delibatis huncce poſtmodum tractatum concinnavit. Laborem vero ſuum intra tria quatuorve prima Eccleſiæ ſecula compeſcuit, eo quod in ſequentibus nimis altas mox radices egiſſe corruptionem deprehenderet. Fatetur Autor ſe non primum eſſe, qui hac de materia ſcribere adgreſſus fuerit: allegat enim non tantum *Edw. VVaterhouſii* Diſcurſum de pietate, charitate & politia antiquorum temporum & Chriſtianorum, Anglico idiomate conſcriptum & Londini anno 1655 editum; ſed & *Paganin. Gaudentium* de Vita Chriſtianorum ante tempora Conſtantini, Florentiæ anno 1639 excuſum: neutrum tamen horum ipſi ſatisfeciſſe apparet; teſtatur enim, ſe in priori quidem multa parum ad rem facientia, & pauca mediam Eccle-

Eccleſiæ ætatem tranſcendentia reperiſſe; in poſteriori vero ſterilem plane meſſem, & vix quidquam præter exiguas gloſſas in loca quædam Tertulliani offendiſſe. *Frontonis* tamen, in Univerſitate Pariſienſi Cancellarii, Epiſtolam de vita & moribus Chriſtianorum Pariſiis an. 1660 emiſſam non improbat; licet exiſtimet eam, cum non niſi generales contineat indicationes, fundamenti ſaltem & prodromi loco ampliori cuidam operi fuiſſe deſtinatam, in quo tamen perficiendo ille poſt per mortem fuerit impeditus. Ordinem quod concernit in hoc libro obſervatum, diviſit eundem in tres partes, ſecundum tria illa ſumma capita, ex quibus officium veri Chriſtiani conſtat, quæ ſunt debitum erga Deum, erga ſe ipſum & erga proximum. In prima itaque parte poſtquam prioribus quatuor capitibus diſcuſſit criminationes, quibus tum temporis Chriſtiani ab ethnicis paſſim proſcindebantur, directas partim contra formam cultus, partim conditionem externam, partim vitam & mores ipſorum; de pietate eorundem erga Deum tractat, eoque nomine diſtinctis capitibus de locis cultui deſtinatis, de feſtis, de perſonis ſacrum cœtum conſtituentibus, de cultu ipſo tam publico quam privato, denique de adminiſtratione tum baptismi, tum cœnæ Dominicæ agit. In parte ſecunda deprædicat priſcorum Chriſtianorum humilitatem, contemtum rerum mundanarum, moderationem in habitu externo, abſtinentiam, caſtitatem, conſtantiam in profeſſione religionis, ac patientiam in afflictionibus demonſtratam. Ultima pars eorundem juſtitiam, charitatem, pacis ſtudium, obedientiam erga ſuperos, ac tandem pœnitentiam ac diſciplinam eccleſiaſticam vivis coloribus depingit. Tametſi autem, ut ex jam dictis liquet, primarius Autoris ſcopus ſaltem fuerit, vitam Chriſtianorum virtutesque ipſam commendantes deſcribere; plurima tamen paſſim data occaſione inſpergit ad hiſtoriam eccleſiaſticam facientia. Sic v. g. *pag. 46. ſeqq.* pluribus refutat vulgatam traditionem, quæ Imperatorem Philippum perhibet fuiſſe Chriſtianum, ac demonſtrat, ex quo fonte fabula hæc originem primum fuerit nacta: ſimiliter *pag. 119. ſeq.* eleganter oſtendit, unde occaſio nata ſit ethnicis comminiſcendi, quod Chriſtiani ſoleant aſini caput adorare. Speciatim vero hinc inde occupatus eſt in exponendis ritibus ac conſuetudinibus Eccleſiæ antiquis, ſuccincte tamen & habita ubi-

vis instituti ratione. Sic *P. 1. c. 7.* ubi de festis Christianorum agit, pluribus perhibet, quanta cura in celebranda die Dominica fuerit adhibita, & quomodo ad demonstrandam melius ejusdem lætitiam, interdictum fuerit tunc inter orandum in genua procumbere, aut jejunare: quod quidem tam stricte observatum fuisse probat, ut Ignatius alicubi scribere non fuerit veritus, eum qui die solis jejunaret, pro occisore Christi reputandum esse. Sabbathi tamen diem juxta non multum inferiori in honore primitus habitum ostendit, in gratiam maxime Judæorum magno tum numero conversorum, ne durum nimis videretur, si Mosaicam legem mox in totum posthabere juberentur: hinc plerasque cultus divini partes etiam hac die peractas fuisse ait, & eucharistiam celebratam; jejunium quoque pariter prohibitum, unico Saturni die per annum excepto, eo nempe, qui Pascha immediate antecedit. De orientali tamen Ecclesia hæc tantum intellecta vult: in occidentali enim agnoscit, diem sabbathi fere pro perpetuo jejunii die habitum, nec eo Eucharistiam administratam fuisse: sed nec hic tamen uniformem hac de re observantiam obtinuisse fatetur, cum constet Mediolani adeoque in ipsa Italia adhuc Ambrosii tempore istum diem pro festo habitum fuisse. Progreditur inde ad jejunia exponenda, tam hebdomadaria, quam annua: hebdomadaria quarta & sexta feria, seu die Mercurii & Veneris peracta probat, in memoriam nempe tum proditionis, tum mortis nostri Salvatoris; non tamen nisi ad tertiam usque pomeridianam tum jejunatum fuisse edocet. Annuum quadragesimale jejunium primitus non tot diebus, sed horis constitisse autumat, incipiens nempe circa horam duodecimam diei Veneris ac durans usque ad mane diei Paschatis, ad signandum videlicet spatium, quo Dominus noster vinculis mortis detentus fuerit. Pergit hinc ad alia festa, quorum tum non nisi tria viguisse ostendit, Paschatis nempe, Pentecostes & Ephiphaniæ: sub hac tamen solennitatem nativitatis dominicæ una comprehensam fuisse, ejusque celebrationem non in Decembrem, sed in Januarium incidisse, ac Chrysostomi demum ævo in diem 25. Decembris translatam. Præterea quotannis memoriam Martyrum, die qua mortem fuissent perpessi, quemque tum natalem ipsorum vocare soliti sint, celebratam suo modo fuisse, sepulcra eorum visitando, cantatis ibidem hymnis ac erogatis elemosynis: narrat iusuper eodem

dem tempore collatis cibis symposia charitativa fuisse habita; ad quæ commodius instruenda cum obsonia hinc inde comportarentur, factum inde credit, quod nundinæ primum certis Martyrum diebus haberi cœperint. In *cap. 8. P. I.* ubi de personis cœtum constituentibus tractat, diligenter exponit statum catechumenorum illius temporis triennio plerumque definitum, & quænam Christianæ religionis dogmata eos primum celata fuerint, donec in numerum competentium, seu candidatorum baptismi adoptarentur; inprimis vero eo refert doctrinam de Trinitate, Unione hypostatica, ut & utroque Sacramento. Porro pœnitentium conditionem explicat, ac quinque distinctas eorundem classes enarrat. Hinc Cleri istorum temporum ordinem describit, gradusque quibus alii ab aliis discernebantur, commemorat: inter alia etiam diaconissarum mentionem facit, earumque officium in eo maxime constitisse dicit, ut mulierum ad baptismi actum accedentium nuditatem obvelarent, rudiores etiam fœminas in Christianismo instruerent, ac ægrotas curarent. In *cap. 10* ejusdem partis, ubi de baptismo agitur, probat quam frequenter tum a laicis baptismus collatus fuerit; item quod martyres baptismo ad salutem indigere non fuerint crediti, ob baptismum nempe sanguinis, quem perpetiendum habuissent. Porro quomodo baptismi tempus primitus indefinitum, postmodum ad certas anni partes restringi cœperit, tempus nempe Paschatis ac Pentecostes, aut potius 50 illos dies inter utrumque hoc festum interjectos. Clinicorum baptismum per aspersionem factum saltem pro minus perfecto aut solenni quadantenus habitum memorat, unde & hi, qui talem accepissent, pro incapacibus ad sustinendum bresbyterium fuerint reputati. Baptisteriorum quoque formam describit, ut & capacitatem eorundem ac parietem intergerinum, ad separandos nempe viros ad baptismum capessendum accedentes a fœminis. Nec omittit mentionem facere abusus, tum perquam frequentis, quo sacramenti hujus perceptio ad mortem usque, ex principio, ut putat, Novatiano differri solita fuerit. Ceremonias etiam in collatione baptismi adhibitas ordine recenset, v. g. quod baptizandi facie occidentem versus spectare, manum deinde exserere, quasi principem tenebrarum ad pugnam provocaturi, fuerint jussi: ne quid de solennibus interrogationibus, exorcismo, insufflatione, signo

crucis

crucis in fronte facto, aliisque dicamus. Peracto baptismo adultos quidem brevi post tempore, infantes vero cum adoleviſſent, ad Epiſcopum reduci ſolitos ait, ut pactum baptiſmi denuo ratificarent ac confirmarent (quo in actu unctionem etiam additam memorat,) id enim ſi omiſſum, tales nondum plene pro Chriſtianis habitos, nec ad ſacram communionem admiſſos fuiſſe. *Caput. 11.* quoque, ubi de cœnæ Dominicæ adminiſtratione agitur, plurima habet de ritibus in prima Eccleſia hac in re receptis: quorſum ſpectat, quod primitus quotidie, aut certe, quoties ad ſacrum cultum congregarentur, ſacramento hoc uſi fuerint; quod panis vulgatus, non habito reſpectu, an azymus foret, an fermentatus, adhibitus; quod generali conſuetudine ſacer calix aqua dilui ſolitus fuerit; quod nonnullis ob gravitatem criminis admiſſi euchariſtia denegata ſit, donec morti vicini eſſent; quodque, cum inde multos fato præveniri contingeret, panis benedictus quandoque mortuis datus fuerit, ad ſignificandum eos deceſſiſſe in communione fidelium; quod accipere euchariſtiam communicantes ſoliti ſint utraque manu, dextræ ſcilicet decuſſatim ſuppoſita ſiniſtra, ad efformandum quadantenus crucis ſignum: item quod, pro clinicis maxime & infantibus, qui ſcilicet nec ipſi tum arcebantur, panis calici benedicto intingi aliquando ſueverit; unde Autor credit anſam primum captam fuiſſe, ad introducendam communionem ſub una. Narrat quoque tum conſuetudinem obtinuiſſe, fruſta panis benedicti domum ſecum abſportandi, atque in loco decenti aſſervandi, ac poſt, cum amicos aut peregrinos haberent hoſpites, eadem ante reliqua fercula ipſis proponendi, quaſi certiſſimam teſſeram & vinculum genuinæ & infucatæ amicitiæ. Præterea perhibet alia panis fruſta præter euchariſtiam benedici ſolita, pro catechumenis aliisque, quibus jus communicandi non eſſet, ut loco ſacramenti ipſis inſervirent, atque hæc, Eulogias vulgo dictas, paſſim per vicos & pagos transmiſſa etiam fuiſſe, ad teſtificandam unionem & ſocietatem mutuam. Plura hujus generis afferre merito ſuperſedemus, veriti, ne forte recenſionis tarditatem prolixitate compenſare voluiſſe cuiquam videamur. Subnectitur libro index chronologicus ſcriptorum ab Autore adhibitorum, commemorata ubivis editione qua ipſe fuit uſus, quo ſic ſcriptorum evolutio facilior redderetur ei, qui ipſa autorum verba, quam Anglicam translationem ubivis hic adhibitam, cognoſcere mallet.

JO-

JOANNIS CRAIGE METHODUS FIGURARUM LINEIS rectis & curvis comprehenſarum quadraturas determinandi.

Londini apud Moſem Pitt, 1685, in 4.

TRactatum hunc, ſimul ac ad manus noſtras pervenit, Clariſſimis Viris, ad quos tum præfatio, tum ſubnexa tractatui animadverſio ſpectat, quorumq; intereſſe exiſtimavimus, ut quamprimum copiam ejus nanciſcerentur transmiſimus. Unde nihil jam de eo referre poſſumus, niſi quod ex fugitiva inſpectione animadvertimus, Auctorem præmiſſis tribus propoſitionibus, quadraturam circuli, parabolæ, hyperbolæ, ellipſeos, aliarumque quarundam figurarum; inventionem quadraturæ cujusvis figuræ; rectificationes linearum curvarum; curvarum aliquarum ſuperficierum dimenſiones, cum aliis quibusdam cognati argumenti tradere: quæ ſingula lector facili negotio pervolvet, cum libellus ſit paucorum foliorum. Quæ interea ad animadverſionem Auctoris ſcriptis huc literis nobiliſſimus Vir per eandem petitus regeſſerit, de voluntate illius publico impertiri voluimus.

EXCERPTUM EX LITTERIS DOMINI D.T.

Lipſiam miſſis, d. 20 Febr. anno 1686.

TRactatum Anglicum, cujus copiam mihi cum aliis quibusdam feciſti, adverſus me deſtinato conſcriptum eſſe, ut innuebas, comperi: & licet ſtudiis ab hoc argumento plane diverſis, nunc distinear, imperare mihi tamen non potui, quin perlecto libello judicium meum e veſtigio reponerem. Hoc ut tanto dexterius intelligatur, notandum,

I Methodum, (*datæ figuræ &c. aut quadraturam, aut impoſſibilitatem ejusdem demonſtrandi*) quam menſe Oct. anni 1683 Acta Eruditorum Lipſiæ edita exhibent, non integram illam eſſe, ſed ejus ſolum Tractatus aliquod ſpecimen, quem peculiarem invento huic meo deſtinavi; ut aperte ſatis ibidem jam art. 6 p. 437 monui: hæc duo vero admodum ab Auctore hoc confundi, mox oſtendam.

II Ipſum etiam hoc ſpecimen non niſi peritis hujus artis me expoſuiſſe: adeoque tam de eo, quam methodo ipſa intelligendum fuiſſe citati loci monitum: *Verum hæc alii tempori reſervantur, ubi ad ſufficientiam (quam prævideo hic quoque a perſpicacioribus*

ingeniis desiderari posse) explicata erunt. Atque id etiam ab Auctore prædicto insuper habitum.

III Ad publicatum hoc specimen meum, anno 1684 mense Majo in iisdem Actis Lipsiensibus, omnigenæ eruditionis virum Dn. G.G.L. quædam reposuisse: quibus tum dubia sua de methodi universalitate explicuit; tum etiam tale quid sibi dudum innotuisse contendit. Respondi ad hoc (1) dubium mihi non esse, quin pro singulari ingenii sui sagacitate hæc talia ipsi perspecta esse potuerint; quod tamen de eo mihi non constaret, pro jure quod in mea habeo, licuisse mihi propria inventa publici juris facere. 2 specimen a me editum hoc solum præstare, ut figuræ alicujus vel indefinitam quadraturam exhibeat, vel eandem non nisi ope curvæ mechanicæ quadrari posse clare ostendat: & quia vulgo quadraturam quæ sola curva mechanica exhiberi potest, pro absolute impossibili judicent, me eadem hæc tum temporis distinguere voluisse; ut tamen sciret Lector, me aliquid adhuc desiderare, verba modo citata articulo 6to inseruisse. 3. Absolutam hujus rei methodum, prout titulus promittit, mihi notam esse, ob prolixitatem vero explicari tum non potuisse; adeoque specimen tantum ejus aliquod ibidem exhiberi. Hæc privatim laudato Viro scripsi; quorum ipse deinceps, Actorum ejusdem anni mense Decembri pag. 865, literis nominis sui initialibus schediasmati præmissis, brevem mentionem lectori facere non dubitavit.

Præmittenda hæc necessario fuere, ut tanto magis incuriam Auctoris mireris, me, qui nomen meum in Actis constanter literis D T expressi, cum Domino G. G. L. toties in tractatulo hoc confundentis. Opinor autem, styli in utriusque schediasmatibus diversitatem, distinctas utrinque præfixas nominum D T & G G L notas, objectiones alteri ab altero factas, laudes denique, quas nemo sanus sibi ipsi tribuit, in methodi hujus editorem congestas, ne simplicissimo quidem permittere posse, ut unius ejusdemque Auctoris eadem esse sibi persuadeat. Relinquitur ergo, Auctorem tractatus sponte sibi aliisque imponere voluisse, tanquam ab uno eodemque Auctore diversis sub larvis hæc conficta sint: in quo uti plurimum simplicitatis (ne gravius quid dicam) mihi tribuit, sic longe maxime seipsum decepit.

Ad

Ad ipsam Animadversionem in Methodum meam, sub finem tractatus adjectam, hæc Auctori repono.

I Ad verba *methodum meam — esse concluserat*: me adhuc quoad methodum in ea esse sententia; nullibi vero de specimine edito, ita absolute, ut Auctor refert, locutum esse: expresse enim, ut supra dictum est, monui, a perspicacioribus hic quædam adhuc posse desiderari.

II Ad verba *postea vero — sine generali*: hæc me prorsus non attinere; sunt enim juxta annot. 3 verba alterius Auctoris, quo cum Auctor me confundit.

III Ad verba *in hoc tamen — compendium adjungere*: Auctorem in hoc loco nihil probare: quantum vero hic hallucinatus fuerit, & quam clare ostenderit, se specimen meum, satis perspicue a me expositum, non intellexisse, mox videbitur. Post hæc

IV methodum meam se recensere putat: sed refert tantum specimen ejus sæpius memoratum: quod autem in principio dicit, *adhibet æquationes — exprimere existimat*; id ego quidem non solum existimo, sed vel tyroni in Algebraicis obvium est, rem ita se habere.

V Ad verba, *in eo tamen — generalem requisitam*: in his & sequentibus omnibus tot fere esse errores, quot sunt periodi. Hoc antequam dilucidius ob oculos ponam, scias me, quæ in hoc specimine facilia sunt, explicare neglexisse (uti nec ipsam demonstrationem theorematis universalis, quod Auctoris verba p. 26, *sed quomodo faciendum sit nequaquam ostendit*, perstringere videntur, attexui) quod ejus eruditionis viris, quibus hæc solum scripsi, ea tradere noluerim, quæ vel tyroni in algebraicis hodie plana sunt & obvia: eandemque ob causam non innuisse, qua ratione comparatio æquationum sit instituenda, cum ea tantopere jam a Cartesio commendata sit & inculcata. Quantum vero Autor in hoc negotio versatus sit, ex errore ab ipso hic commisso, & a quo tanquam fonte complures alii promanant, facile deprehendes. Dixeram in specimine: quando ordinatim applicata Z ad duas dimensiones ascendit, secundum theorema generale esse eligendum; si ad tres, tertium, atque sic porro: hoc Autor hic adeo absolute intellexit, ac si nullus juxta me respectus habendus esset ad regulas comparationum,

quas tamen expresse dixi esse adhibendas. Ut si exempli gratia sit $ZZ = \frac{x^{10}}{a^8}$, cum præceperim, si ZZ sit duarum dimensionum, secundum meum theorema esse adhibendum (intellige, si regulæ comparationum hoc patiantur) & vero, quia hic habetur X^{10}, quod in dicto theoremate non adest, clare pateat, comparationem cum memorato theoremate institui non posse; neutiquam exinde ullibi intuli (quod falso mihi affingit) rem ideo impossibilem esse: hoc enim in casu tertium theorema assumi debere concluderem, in quo necessario aliqui termini erunt, qui æquales dimensiones cum quantitatibus Z & X obtineant, ut comparatione porro inter convenientes terminos instituta, si possibile quid proveniat, quadratura habeatur ope curvæ geometricæ; si impossibile, quadratura impetretur nonnisi mediante curva mechanica, id quod vulgo idem cum impossibili habetur. Hoc vero inventum, cui simile a nemine adhuc publicatum est, refellat Autor, si potest. Sequitur autem hinc

VI falsa esse verba, *in eo tamen latet — dimensiones ascendit.* Non enim meum est hoc factum, sed error Autoris; quippe qui non attendit leges comparationum ipsarum æquationum, quas adhibendas esse supposui, quibusque post Cartesium jam nihil notius.

VII integram pag. 41 vel aperte falsa, & nunquam a me (juxta annot. 5) asserta; vel me nihil attinentia, exhibere: toto vero contextu clare ostendere, me Autori non intellectum esse. Consequentia porro ejus, *ita ut casu non arte incidimus in quadrandam generalem requisitam*, falsissima est. Si enim in tertio theoremate habetur quantitas Z duarum dimensionum & X decem, prout necesse est: comparatio institui poterit inter hanc $ZZ = \frac{x^{10}}{a^8}$, & generale tertium theorema, ex qua sive possibile quid proveniat, sive impossibile, conclusio universaliter vera est, nec opus ascensu ad quartum aut quintum theorema; quo quidem idem semper inveniretur, at majori, uti clarum est, labore: atque adeo hæc res non casu sed arte certo determinatur. Unde constare potest Autori, nihil opus esse, ut viam mihi monstret (quod sub finem paginæ prætendit) quam ipse scilicet non callet.

VIII ejusdem farinæ sunt, quæ pag. 42 ingerit: ubi verba sub finem, *non una tantum sed infinitæ possunt inveniri figuræ indefinite quadrabiles* &c. falso concludunt, ex falso applicato meo specimine.

IX tota

IX tota pag. 43 qua specialiter explicantur, quæ p. 41 generaliter enunciaverat, paris fidei est & roboris. Erroneum autem ejus effatum, *unde abunde constat, hanc methodum omnes figuras indefinite quadrabiles non comprehendere*, si unquam mihi demonstraverit, mihi magnus erit Apollo; hactenus enim non nisi meros paralogismos contexuit: quod enim subaddit, *infinitas posse inveniri, quarum areæ hoc modo non sunt quadrabiles*, verum quidem est juxta falsam ipsius comparandi methodum, quæ nullibi publice prostat; longe vero secus se res habet secundum methodum Cartesii satis notam, prout annotatione V satis evidenter ostendi.

X Quam contemtim autem me habeat falsa illa sua sub finem invitatione, qua scilicet profitetur, *quod voluerit me errores meos ostendendo exstimulare, ad publicanda illa, quibus Geometriam in immensum ultra terminos a Vieta & Cartesio positos me promovere posse asseruerim*, nemo est qui non intelligat. Sane ab eo, qui tam turpibus, ac mihi (sed falso) affinxit, erroribus se involvit, ejusmodi exspectanda non sunt. Poterat vero Autor, nisi nescio qua libidine insultare mihi voluisset, scire, non me cui frustra hoc exprobrat, sed Dominum G.G.L, in schediasmate Actorum anni 1684 Decembri mense exhibito, de suis id professum esse; cujus Viri singulare acumen & eruditio si Autori perspecta essent; aut si minimum ex præclaris ab ipso jam editis speciminibus tanquam ex ungue leonem agnoscere voluisset; causam dubitandi is non haberet, quin, ubi sua id aliquando permittent negotia, promissa sua, cum applausu totius orbis mathematici, ex asse sit adimpleturus.

Doleo vero Autorem, de cujus studiis alias publico non contemnenda inposterum expectanda præsumo, in hoc negotio adeo præcipitanter egisse. Si enim dubia sua circa methodum meam vel paucis verbis per literas significasset Actorum editoribus, & ipse plenius de eadem edoceri, simulque tot errorum ipsius editio caveri potuisset. At cum ipsi visum sit via hac incedere, nec solum errores, ut putat, meos publice ostendere, sed & sua inventa cum meo specimine conferre placuerit; mihi vicissim liberum erit de traditis ab Autore in hoc tractatu judicium, quod Tibi publicandum transmitto.

I Methodus Autoris, duobus primis problematibus explicata, quamque se ex D. Slusii methodo Tangentium derivasse fatetur, ad-

 modum

modum particularis est; ut facile ostenditur. Si enim linea PM supponatur hac ratione composita esse,

$$\frac{X^3yy + xy^4 + a^4x + b^4y + c^3xy}{a^3x + b^3y + abxyy + abyxx}$$

hoc est, ut x & y simul ejus compositionem ingrediantur; aut nullo modo res procedit, aut Autor saltem id non explicat, nec ejus ullum exemplum profert; quippe in omnibus ejus exemplis PM ex sola y componitur. Fallitur ergo maxime, quando pag. 26 ait: *nec quicquam jam deest — nisi ut duas difficultates amoveam*; certe enim, præter duas quas ipse recenset, tertiam extricandam hic invenit. Circumspectius egit p. 7, quando, *quod horum ope figurarum quadraturas se determinaturum*, professus de omnibus universaliter figuris loqui non sustinuit: nec enim, cum methodus ejus particulare tantum compendium sit, præstare hoc potuisset.

Despeciminis vero a me editi methodo vere asseverare possum, universalissimam eandem esse, & aut figurarum curvarum, curva geometrica terminatarū, quadraturas omnes exhibere ope curvæ geometricę; aut ostendere, id nisi curvæ mechanicæ ope fieri non posse; nec ejus simile quid, unde eandem haurire potuissem, ullibi explicatum esse. Compendia autem speciminis mei tradere tum consulto omisi: potuissem vero, si destinatum mihi fuisset paria cum Autore facere, ex methodo mea Tangentium, (quæ longe facilior & universalior est Slusiana Autori usurpata) Lipsiæ inter Acta mensis Decemb. anni 1682 edita, multo præstantiora, quam Autoris sunt, huc derivare: erit autem aliquando, ut methodi hujus non particularia, sed absolute universalia compendia referam; ejus insuper facilitatis, ut Autor causam non sit habiturus, cur prolixitatem speciminis mei accuset, meisque sua præferat.

II Quadratura circuli Domini G. G. L. dudum jam publico exhibita, longe antecellit eam, quam Autor hic nobis explicavit.

III De cætero nonnisi aliorum inventa recenset Autor, suæque methodo applicat, explicatis quandoque iis, quæ vulgo etiam hujus eruditi seculi trita sunt & obvia. Ad pag. 72 vero facile ipsi largior, methodum meam generalem, æquationum radices analytice determinandi, ad hoc quod desiderat non sufficere: ibidem enim tantum ostendere suscepi, tale quid nondum publicatum esse, & specimen ejus tamen aliquod simul exhibere, cætera vero ipsius methodi ge-

neralis publicationi, quæ Autoris oculis inexpectata multa objiciet, reservare. Insuperabilis porro calculi molestia non est a methodo, sed rei ipsius difficultate, qua difficilius fere in tota analysi aliud non est. Mihi tamen in promtu sunt compendia, quæ credo paucis in mentem venisse; quorum ope, quod alii vix multo tempore, ego paucas intra horas absolvo, iisque talia perficio, quæ nullus unquam per ordinariam analysin consequetur; quod suo tempore tam evidenter comprobabo, ut nullus dubitationi superesit locus.

IV quod effatum Autoris pag 23 attinet: *adeoque non parum geometriam promoveret, qui methodum daret* &c. illi significare possum, mihi jam ab aliquot annis ejusmodi methodum innotuisse. Equidem clarissimi Neutonii methodum, curvæ quadraturam ad infinitam seriem reducendi, ingeniū & acumen sapere fatendum est; genuinam tamen non esse suo loco clare ostendam: meam vero tam universalem dabo, ut non solum curvæ alicujus prodita natura infinitas series rationales exhibeat pro eadem quadranda, easque omnes Neutonianis seriebus simpliciores: eadem etiam omnium quæ dari possunt simplicissimas determinet.

V Inventa Domini *Barrovii* pag. 3 nimium quantum extollit: ad quæ sequentia noto. *Primo*, generalia mea theoremata, quæ in specimine publicavi, quorumque progressum in infinitum scio, multo illis prævalere: dant enim non quorundam tantum, sed absolute omnium figurarum, curva geometrica terminatarum quadraturam, aut eam ostendunt nonnisi ope curvæ mechanicæ exhiberi posse; quod nec Barrovviana, nec ulla hactenus publicata præstant. *Secundo* methodum talia theoremata, qualia Barrovviana, formandi omnium primum Dominum *Heurat* nobis aperuisse: unde non semel dixi, methodum qua hic Vir curvas rectificare nos docuit (utut perquam singulare inventum) me non tanti æstimare, quam methodum similia generalia theoremata absque numero inveniendi; quam tam clare in demonstratione theorematis, rectificandi curvas, aperuit, ut tyroni aditus ad similia formanda omnino pateat: sufficit enim ad hoc scire, triangula similia esse proportionalia, & curvas esse polygona indefinitorum laterum. Atque hoc ipsum postea Dominus Barrovv quoque perfecit; *Heuratii* tamen mentionem nullibi fecit, quod miror: uti non semel etiam miratus sum, *Jacobum Gregorium* in sua Geometria universali lectorem adeo prolixis demonstrationibus detinere, quæ methodo Heuratiana tribus lineis possunt explicari, & ex qua idem dubio procul theoremata illa primo deduxit. *Tertio* hæc quoque theoremata tanti non esse momenti, nisi quis duo probe sciat, 1. Tangentium methodum universalem; qualem nemo adhuc publicavit: nam & a me olim publicata specimen tantum est alterius, longe universalioris, de qua alibi. 2. necesse est, ut omnes curvas conceptī-

ceptibiles formare doceat, quæ in Geometriam recipiendæ sunt; quod nec a Carteſio, nec ullo alio publicatum. Quanti autem interſit hoc poſtremum ſcire, exemplo declarabo. Sit in Fig 8 curva A C I, & F G H quadrans circuli; fiat jam ut F G H ad arcum G H, ſic A H ad H B; porro demiſſa perpendicu-
Tab. VI. lari G D fiat continue quadrans E D æqualis rectæ B C: patebitque curvam
Fig. 8. A C I eſſe mechanicam. Jam ſane per nullum theorema Barrovvianum ſpatii hujus A B C quadratura exhibebitur, niſi ſciatur quod modo n. 2 deſideravi; hoc vero cognito, ſtatim erit manifeſtum, tam totum ſpatium A H S, quam omnes ſuas partes abſolute eſſe quadrabiles: talis vero curva mechanica a nullo, quod ſciam, hactenus exhibita eſt; dantur autem infinitæ tales. *Quarto*, non obſcurum eſſe, Dominum Barrovv præcipue intendiſſe ſolutionem Problematis, *curvam exhibere, cujus tangens datam conditionem habeat.* At potuiſſet hic multo univerſaliora proferre: ut ex. gr. ſi ſit in Fig. 9 E D F curva quæcunque, A D ejus tangens, D C vero & D B perpendiculares ad A D & A C; proponaturque curva talis invenienda, ut lineæ A D, D B, D C, A B, B C quamcunque propoſitam compoſitionem inter ſe habeant; quod problema fa-
Tab. VI. cillime ſolvo: quemadmodum & aliquando deſideranti, ut curvam determi-
Fig. IX. narem, ubi quadratum B C in lineam B D ſemper æquale ſit cubo datæ lineæ, extemplo absque calculo problematis ſolutionem dedi; imo hujus univerſalis, *curvam invenire, ubi quæcunque poteſtates linearum B L & B D inter ſe multiplicatæ, æquales ſint convenienti poteſtati lineæ datæ*; & hujus, *curvam invenire, ut productum extribus lineis A D, D B, B C ſemper æquale ſit cubo*, calculum tribus lineis abſolvi. *Quinto*, ſi Domino Barrovv hæc methodus probe introſpecta fuiſſet, non opus habiturum fuiſſe tanto theorematum numero, ac nobis exhibuit; idem enim tria quatuorve præſtare potuiſſent, quod ejus omnia. *Sexto*, omnibus his propoſitionibus illuſtriorem eſſe, *data aliqua curva geometrica aliam curvam geometricam exhibere, quæ poſſit rectificari*; id quod nobiliſſimus *Hugenius* præſtitit in pererudito tractatu, de Horologio Oſcillatorio: hoc enim non adeo facilis erat determinationis, ac illa theoremata; nec ejus generis vel a Domino Barrovv vel ab ullo alio tum temporis publicatum. Non abſimile Hugeniano Problemati eſt, anno 1682 Actis apud Vos editis publice a me expoſitum, in quo oſtendi, *Solis radios in curvam incidentes indeque reflexos, ſuis interſectionibus curvas efficere, rectis lineis æquales.* Hæc vero omnia a me non eo referri exiſtimabis, tanquam celeberrimi viri Dominі Barrovv inventa parvi faciam; noſtri enim magno in pretio mihi eadem ſemper habita, aliisque qui ad hæc ſtudia animum applicant, idem commendata: ſed ut intelligas, quam Autor hic, qui eadem ita extollit, ac ſi ab aliis tradita aut effecta longe poſt ſe relinquant, decipiatur.

Pag. 159 in margine. pro *Tab. V.* lege *Tab. VI.* Pag. 133. lin. 20. poſt verba, *inter præſtantiſſimos*, in parentheſi lege: *Hiſtoricos puta; libri enim ejus*, de veritate, de cauſis errorum, *aliique argumenti Theologici, quam parum probati Orthodoxis fuerint, gravisſimi noſtratium Theologorum paris*, Joh. Muſæi & Chriſtiani Kordholdi *ſcripta* Herberto *oppoſita docent.*

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Aprilis Anno M DC LXXXVI.

GUILIELMI CAVE S. S. TH. PR. CANONICI VVindeſorienſis Chartophylax Eccleſiaſticus.

Londini apud R. Chiſvvel, 1685, in 8.

TRia jam clariſſimi hujus & in antiquitate Eccleſiaſtica illuſtranda indefeſſi Theologi Angli ſcripta in Actis noſtris recenſuimus; & vaſtum quidem ejus *de Vitis Patrum primitivæ Eccleſiæ* opus ſuperioris anni menſe Februario, pag. 85; Diſſertationem *de Regimine Veteris Eccleſiæ*, ejusdem anni menſe Martio p. 117. nuperrime vero, menſe nempe Martio præſentis anni pag. 165 librum *de Chriſtianiſmo primitivo*, ſeu *de Religione priſcorum Chriſtianorum in primis Evangelii ſeculis.* Verum ea omnia nonniſi vernaculo ſermone compoſita ab eo fuere, popularium quidem Anglorum magno commodo, aſt non ſine plurimorum exterorum, quibus ob linguæ Anglicæ imperitiam doctiſſimis illis lucubrationibus frui non licet, diſpendio. Eo magis vero acceptum litterato orbi futurum eſt, quod nunc ſiſtimus, recentiſſimum Auctoris opus (cujus tamen qualiscunque idea ſub Tabularum Eccleſiaſticarum titulo, Londini anno 1675 lucem jam aſpexerat, Hamburgi anno 1676 in uſum gymnaſii recuſa) quia familiari doctis & veluti proprio, i.e. Latino idiomate conſcriptum, publico omnium eruditorum uſui patebit. Et mole quidem illud exiguum eſt, ſed utilitate, quam eccleſiaſticarum antiquitatum & ſtudioſis & doctoribus præbebit, plane eximium; ut veriſſime Auctor in præfatione ad Lectorem dixerit, *non pauca in hoc libello reperiri, quæ fruſtra alibi quæras; multa compendio & tribus quaſi verbis dicta, quæ alii per aliquot paginas diducere ſolent.* Scriptorum enim Eccleſiaſticorum

prope mille & quingentorum, qui a nato Christo ad annum usque 1517 claruere, minorum & majorum, hæreticorum & orthodoxorum, notitia ita in eo panditur, ut singulorum nomen & cognomen, patria, secta, munera, ætas & obitus recenseantur; nec præstantiores tantum justorum quæ reliquerunt operum editiones, sed opuscula etiam ac fragmenta indicentur; scriptores dubii a certis, suppositii a genuinis, non extantes a superstitibus distinguantur; ac prioribus etiam seculis gentiles subjungantur scriptores, qui Christianam olim religionem oppugnaverunt. Exhibentur vero Auctores juxta seriem seculorum, in quibus floruerunt, suis epithetis juvandæ memoriæ causa distinctorum; ita ut primum *Apostolicum*, alterum *Gnosticum*, tertium *Novatianum*, quartum *Arianum*, quintum *Nestorianum*, sextum *Eutychianum*, septimum *Monotheleticum*, octavum *Iconoclasticum*, nonum *Photianum*, decimum *Obscurum*, undecimum *Hildebrandinum*, duodecimum *VValdense*, decimum tertium *Scholasticum*, decimum quartum *VViclevianum*, decimum quintum *Synodale* pluribus nempe synodis illustre, decimum sextum denique *Reformatum* vocetur. Unicuique seculo conspectus, seu summa rerum in eo notabilium, præmittitur; universo autem operi, (post dedicatoriam ad Reverendissimum Angliæ Clerum epistolam, qua Anglicanam Ecclesiam ob antiquitatum sacrarum studium felicemque æmulationem eximie commendat, & præfationem ad lectorem de instituti ratione) elenchus Auctorum & scriptorum, selectissimorum sane nec ubivis obviorum, quibus in condendo eo usum se Auctor profitetur. Sub calcem vero operis scriptorum Ecclesiasticorum, qui in eo recensiti sunt, index alphabetico-chronologicus subjungitur. Cæterum cum doctissimus Auctor fateatur, se uberiorem Scriptorum Ecclesiasticorum Historiam litterariam molitum, inque ea concinnanda per aliquot jam secula progressum fuisse; specimen etiam majoris illius operis in præsenti opusculo pag. 31. seqq. ubi de Eusebio Cæsareensi ejusque scriptis prolixe & accurate disseritur, nemini non probandum exhibuerit: id reliquum est, ut & publico quasi nomine rogemus eum, ne a tam utili labore se retrahat, & ad continuandum eum feliciterque absolvendum animi corporisque vires eidem apprecemur.

Ré-

REPONSE A UNE DISSERTATION DE MR. Arnauld, contre un Eclaircissement du Traité de la Nature & de la Grace;

Par le P. Malebranche Prêtre de l'Oratoire.

i. e.

P. Malebranchii Presbyteri Oratorii ad Dissertationem Antonii Arnaldi, explicationi sive additamento cuidam tractatus de Natura & Gratia oppositam, Responsio, in qua principia ad intelligendum dictum tractatum necessaria stabiliuntur.

Roterodami apud R. Leers, 1685, in 12.

POst tot explicationes sententiæ suæ in libris *de Inquirenda veritate* & *de Natura & Gratia*, nondum tamen sibi tam felici esse licuisse queritur Malebranchius, ut ab iis, quibus ea refutanda visa est, recte intelligatur. Expectasse se id vel maxime ab Arnaldo, imo doceri ab illo lubentissime voluisse, sed deprehendere & dolere, quod non solum non capere velit aut possit dicta sua, sed & se, auctorem, modo ut ridiculum, modo ut impium depingat & exagitet. Sperare tamen se, eos ipsos Doctores, quorum approbatione dissertationem suam Arnaldus muniverit, veritatis vi convictos aliter de se esse pronunciaturos. Hæc & alia, quæ ad utriusque auctoris mores, ingenium & stylum, objectasque hinc *Molinismi*, illinc *Jansenismi* sectam pertinent, in præfatione, & capitibus hujus Responsionis *quinque* prioribus, tum alibi deprehensa, prætermittimus. Caput controversiæ consistit in tribus principiis, quæ Malebranchius se in libris suis probasse arbitratur, & denuo probanda c. VII. ad X hujus tractatus suscipit; nempe primo: *Deum omnia efficacia propria agere.* Secundo: *Deum potestatem suam cum creaturis non communicare, nisi constituendo eas causas occasionales, vi legum generalium.* Tertio: *Deum non sæpe agere debere voluntate particulari, nisi ordo sive lex generalis id exigat aut permittat.* Hanc postremam limitationem quia neglexerit Arnaldus, & tradita a Malebranchio in additamento libri de Natura & Gra-

tia, contra mentem & verba Autoris calumnioſe propoſuerit, ac ſi Deum nunquam particulari voluntate agere concederet, fruſtra eum tota diſſertatione ſua in oppugnando illo additamento laboraſſe, & imputationes eliciendo autori injuriam feciſſe. Applicat inde *capite X* tria illa principia ad actiones angelorum Vet. Teſt. adducitque adverſus Arnaldum, qui literam Scripturæ Sacræ urget, loca ex Auguſtino, ubi ſcribit: *Deum Scripturas ad infantium & lactantium capacitatem inclinaſſe*; item *vix inveniri aliquid, quod digne de Deo dici poſſit; quia plurima & pene omnia de Deo dicantur, loquendi neceſſitate, quæ magis homines ex hominibus metiantur, & a paucis ſpiritualibus ita intelligantur, ut intelligi debeant.* Injuſte igitur ſe reprehendi ab Arnaldo, tanquam contra Patrum doctrinam aliquid ſtatuentem; neminem enim ex Patribus rejeciſſe ſententiam Malebranchii, qua cauſis ſecundis efficaciam deneget, ſed locutos eſſe populariter, quemadmodum & Carteſiani non aliter loquantur, v. g. *de anima brutorum, de quiete terræ*, &c. niſi cum iis agant, quibuscum ex fundamento quæſtiones illæ tractari poſſunt. Sed quo rariores ſint Scripturæ phraſes, rerum naturam non populariter exprimentes, eo veriores eſſe, & ex his populares & anthropologicas explicari debere. Confirmat id aliquibus exemplis. Ex tribus igitur ſcholarum ſententiis, ſcilicet (1) *quod creaturæ agere poſſint ſine Deo*; (2) *quod agant per concurſum divinum*; (3) *quod non poſſint agere propria efficacia*; primam ait rejici etiam ab Arnaldo; alteram magis Chriſtianam, ſed nec intelligibilem, nec Scripturæ conformem eſſe, niſi ſecundum literam abſurde intellectæ. Aut igitur primam, aut tertiam amplectendam eſſe, cum doctrina de concurſu actionum nihil valeat, niſi ex præſuppoſitis philoſophiæ Ariſtotelicæ, & ut natura & lex naturæ ab efficacia voluntatis divinæ diſtinguatur. *Cap. XI.* applicat eadem principia ad theſin *tractatus de Natura & Gratia*, qua aſſerit: *Chriſtum eſſe cauſam occaſionalem omnis gratiæ*; nec terminum *occaſionalem* alio mutari poſſe ait, qui non æquivocus ſit. Objicienti vero Arnaldo, quod hac opinione providentia Dei tollatur, reſpondet, ſe nullam tollere, quam quæ ad humanum morem effingatur; agnoſcere vero illam, quæ divinis attributis conveniat, & quæ abſolvat Deum, tum a Pelagianiſmo, reſpectu meritorum, tum ab injuſta innocentium

tium rejectione. *Cap. XII* ſecundum caput diſſertationis refutat, in quo affingi ſibi ſententiam illam oſtendit, ac ſi neget, unquam Deum aliquid particulariter velle aut determinare, aut quaſi unionem Chriſti perſonalem in dubium vocet. Ut tamen opinionem ſuam de voluntate Chriſti particulari aſſerat, humanitatem Chriſti, ſtante licet unione perſonali, limitatam eſſe ſtatuit p. 175. *Caput XIII* oppoſitum eſt diſſertationis *capiti III*, & reſponſio nititur eadem exceptione, quam non ſemel jam propoſuit, & quæ denuo ſtabilitur, regula de voluntate & lege generali, & nihil obeſſe dicitur ſapientiæ, potentiæ & juſtitiæ divinæ, licet homines lege illa ſeu efficacia Dei generali ad peccata abutantur. *Capite XV.* refutat diſſertationis caput IV, & quæ de miniſterio angelorum & dæmonum actionibus ſtatuerat, ab imputationibus liberare, & ſecundum principia ſua explicare laborat. Dicit autem, licet Scriptura Deum deſcribat, ut angelis mandata particularia dantem, fieri id tamen per anthropopathiam ad morem regum accommodatam, qui cum ſcrutatores cordium non ſint, neque cogitata ſua aliter manifeſtare poſſint, ſpecialibus juſſis miniſtros inſtruunt. At angelos ordinem Dei immutabilem clare videre, & pro norma ſuæ voluntatis inviolabili habere, adeoque ſemper juſte agere. Concedit tamen, Gabrielem particulari Dei juſſu ad Mariam legatum veniſſe, idemque admittit in omnibus, quæ Chriſtum ſpectant, quippe qui angelorum voluntati non fuerit ſubditus. Cæterum in eo perſiſtit, ut providentiam divinam adverſus objectiones Atheorum defendi poſſe neget, ſi mala quæ in orbe fiunt, particulari voluntati Dei attribuantur. Negat tamen ſequi, quod Deus otioſus ſit, aut nihil agat; agere enim ſecundum ſuam legem generalem & per filium. *Capite XVI* adverſus *caput diſſertationis* V. de eadem elenchi confuſione queritur: ſe enim ſolum ſtatuiſſe, *quod ex miraculis Vet. Teſt. probari non poſſit, Deum ſæpe voluntate particulari* egiſſe. Hanc propoſitionem impugnandam fuiſſe ab Arnaldo, non vero fictam illam, ac ſi Autor ſtatuiſſet, Deum nunquam egiſſe in V. T. voluntate particulari. Admittit enim (v. g.) decalogum, quia dicitur digito Dei ſcriptus, particulari voluntate datum eſſe. Urget iterum angelorum ſingularem qualitatem in cognoſcenda, ut & particulariter applicanda & exequenda lege Dei generali, ſtabilitque præſuppoſitum ſuum generale, quod

Deus agat via ſimpliciſſima; unde ſequatur, non agere particulari voluntate, quæ agere poſſit, vi legis generalis, per miniſteria angelorum. Concedit Chriſtum in N.T. mutaſſe, quæ angeli in V. T. ordinaverint, & ob hanc ipſam rationem novum Teſt. præferri veteri, ſicut Chriſtum angelis, Hebr. I. & præcepta legis *non bona* vocari ab Ezech. XX, 25. legem *infirmam* dici & *humilem*, Hebr. VII. 18. & *jugum inſupportabile*, Act. XV. 10. Intelligit tamen (ut plerique Rom. Eccleſiæ Doctores) hæc omnia de lege ceremoniali; ſanctam vero dicit perpetuo & proprie eſſe illam, quam Deus ipſe dedit, nempe decalogum, Rom. VII, 12. Ceremonialem bonam fuiſſe non negat, ſed in genere, & ad certum tempus & ſcopum, nec contra Dei voluntatem, quanquam nec juſſu particulari, ab angelis ſub lege Dei generali liberrime agentibus promulgatam. Hoc melius convenire ſupremi Entis perfectæ gubernationi, quam id, quod hominum more vulgo fieri creditur, & Arnaldo probatur. *Cap. XVII* ad duo poſteriora Arnaldi capita quædam regerit, quæ ex prioribus dependent & imputationem elevant, ac ſi Deus a gubernatione populi Judaici & Eccleſiæ excluderetur, ſi ex autoris ſententia angelorum miniſterio per legem generalem uſus eſſet. Salvam enim nihilominus eſſe majeſtatem & auctoritatem Dei; & ideo pro divinis habenda, quæ Angeli dixerint & ſtatuerint. Concludit, ſe poſthac nemini reſponſurum eſſe, a quo non intelligatur; audire ſe tria volumina ab Arnaldo adverſus Tractatum de Natura & Gratia parata eſſe; at cum diſſertatio ejus poſterior ſit illis voluminibus, neque tamen appareat, mentem ſuam ab Arnaldo intellectam fuiſſe, nihil forte opus eſſe, ut ad magnum illud opus reſpondeat: ſe enim principia ſua paucis paginis demonſtraſſe, nec pluribus opus eſſe ad illa refutanda, ſi quis ſolidas rationes regerendas habeat. Sibi propoſitum eſſe, non ut ſua defendat, ſed ut veritatem erudat. Si lectores judicent, non probata eſſe, quæ in Tractatu de Natura & Gratia. c. 7. 8. 9. 10. 11. probanda ſumſerit, & Arnaldo victoriam adjudicent, ſe facile conſenſurum & quieturum eſſe: ab errore tamen, ſi quem habeat, cupere liberari, idque publice profeſſurum eſſe, majori cum voluptate & gloria, quam ſi ſua defenderit. Optare Arnaldum eodem modo animatum eſſe, utque agnoſcat ſententiam ſuam *de gratia* ſuſtineri non poſſe, aut demonſtret, non recte illam a Malebranchio perceptam eſſe; imo ſi hoc ſal-

ſaltem dicat, etſi non probet, tamen litem finitam fore: ſe enim eum pro fratre & patre in Chriſto habere, & maxime dolere, quod ab eo ſibi imputentur, quæ non ſentiat, & Pelagianiſmi ſuſpecti habeantur, qui erroribus ejus adſtipulari non poſſint.

REFLEXIONS PHILOSOPHIQUES & THEOlogiques ſur le nouveau Syſteme de la Nature & de la Grace.

id eſt,

Reflexiones Philoſophicæ & Theologicæ ad novum Syſtema de Natura & Gratia.

Liber Primus

de ordine naturæ tractans.

Coloniæ apud Nicolaum Schouten 1685, in 12.

PRodit tandem aliqua ex parte, diu expectata *Ant. Arnaldi in Malebranchianum Syſtema de Natura & Gratia* Animadverſionum machina; *liber* nempe *primus*, cui *ſecundus* mox ſucceſſurus promittitur; non æque *tertius*, ob cauſas in præloquio adductas. Inter has eſt, quod Autor ex editis, & Actis noſtris anno 1685, menſe Septembr. pag. 416. inſertis tribus Malebranchii epiſtolis, cognoviſſe ſe dicat, quomodo ille accepturus ſit ſcripta ſua. Adſcribit judicium amici, Malebranchio admodum adverſum, de reſponſione ejus ad *diſſertationem Arnaldi de miraculis Vet. Teſt.* jam a nobis recenſita. Deum deinde, exemplo Auguſtini, teſtem advocat, ſe nequaquam odio aut indignatione moveri, neque etiam metuiſſe, ut ſuæ de gratia ſententiæ per *Tractatum de Natura & Gratia* noceatur; minime omnium ſubdole & verſute, ſed eo ſaltem intuitu ſcripſiſſe, quod terribiles, ut ait, conſequentias, & errores omni doctrinæ catholicæ contrarios, ex novi illius ſyſtematis publicatione orituros eſſe crederet. Veritatis itaque amore diſputaſſe, & ſibi præterea ſemper curæ fuiſſe affirmat, ut mentem Malebranchii non minus quam aliorum autorum, adverſus quos ſcriberet, ſatis perceptam haberet; tum ab omni artificio falſarum imputationum abſti-

abstinuisse; Malebranchium denique pro eo viro æstimasse, qui ecclesiæ utilem operam navare posset, si sanctorum Patrum discipulus esse, quam scientiam rerum divinarum ex meditationibus Philosophicis petere maluisset. Tandem excusationem ejus acceptat, qua serio & Deum testans, in epistola sua priori professus sit, se illum pro impio habere, qui in Deo *extensionem* formalem statuat: licet Arnaldo visum sit, asserta quam vocat *extensione intelligibili & infinita*, etiam formalem sequi. Aequum igitur esse, ut istam explicationem admittentis asseverationi ac sinceritatis professioni credat, & posthac omissis affectuum imputationibus res ipsas meliori ordine & perspicuitate tractet. His ita præmonitis, in alia præfatione regulas Philosophicas Malebranchii considerat, de non admittenda verisimilitudine, sed ut soli cedatur evidentiæ, consulto interiore veritatis magistro, i. e. Deo, qui nunquam non veritatem desiderantes doceat. Notat tamen inter alia Arnaldus, male factum esse, quod in *Tractatu Meditationum Christianarum*, quo sententias *Libri de Natura & Gratia* uberius explicavit, semper inducat ipsum Christum Philosophice & ea respondentem, quæ non omnes pro veris & evidentibus possint agnoscere. Majori reverentia & pietate *Thomam a Kempis*, prosopopœiam hanc usurpasse, cum Christo loquenti ea saltem tribuat, quæ Evangelicæ veritatis axiomata esse clare apparet.

Liber ipse habet *capita XXVI. In primo* Arnaldus Malebranchii argumentationem de operatione Dei in natura, ex qua ad operationem in gratia concludit, hoc modo concipit: *Cum ordo naturæ & ordo gratiæ ab uno Deo dependeat, credendum est, Deum eodem modo in utroque ordine agere. Atqui certum est*, (ita putat Malebranchius) *quod sapientiæ Divinæ non conveniat alius agendi modus in ordine naturæ, quam ut operetur tanquam causa universalis, cujus voluntates generales determinantur ad particulares effectus per causas occasionales. Ergo credendum est, eodem illum modo agere in ordine gratiæ.* Negat autem Arnaldus utramque propositionem; *majorem* scilicet, quia ordo gratiæ diversissimus sit ab ordine naturæ, nec ulla ratione Deus teneatur, ut illum in ordine gratiæ sequatur, de quo tractaturum se esse dicit *Libro secundo*: negat etiam *minorem*, & cur id faciat, hoc *libro primo* ostendendum sumit. Indicat & evolvit ante

omnia

omnia quæ ambigua sibi videntur in terminis sive formulis Malebranchii, v.g. an recte opponantur, *Deum agere secundum leges generales, & agere voluntate particulari*; posse enim utrumque simul fieri: differre etiam *legem* & *voluntatem* generalem: obscurum esse terminum *causæ occasionalis*, nec sufficienter explicatum: æquivocam etiam esse thesin, quod *causa universalis seu generalis non agat voluntate particulari*: nihil certi statui posse de via simplicissima, quam Deus teneat, respectu (ut explicat ipse Malebranchius) sui finis; quia finis ipse seu destinatio Dei lateat. Improbat problema Autoris, quod præstet defectus in operationibus divinis admittere, quam dicere, quod via minus simplici utatur, licet meliores effectus sequi possent ex via particulari & composita. Inde ad quatuor puncta seu capita reducit, quæ hoc libro traditurus est. (1) Regulam illam Malebranchii maximam, quod Deus agat in ordine naturæ, ut causa universalis, sine voluntate particulari, negat pro principio posse agnosci; quia nec in Scriptura, nec in traditione fundamentum habeat, nec in idea entis perfecti comprehendatur. (2) Negat, quod Deus in creatione mundi usus sit via simplicissima, cum innumera fecerit voluntate particulari. (3) Negat, quod Deus in conservatione mundi temporalis & sensitivi quicquam faciat voluntate generali, quin semper idem faciat voluntate particulari. (4) Asserit contra hypothesin Malebranchii, quod Deus etiam in ordine naturæ agat particulari voluntate, circa eventus humanos, non dependentes a gratia, sed a causis liberis: si enim statuatur, Dei voluntatem generalem, determinari ad effectus particulares, per liberas hominum voluntates, contradici Scripturæ, & notioni de providentia divina, atque sic in eadem inconvenientia præcipitari, quæ Malebranchius evitare voluit, auferendo omnem efficaciam causarum secundarum.

Quod igitur *primum illud punctum* attinet, etsi Arnaldus negativam tenens, probationes ab affirmante adversario ex Scriptura & traditione postulare & expectare solum posset: progreditur tamen ad examen rationum quarundam specialium, quibus thema suum Malebranchius fulcire solet. Ostendit infirmitatem comparationis Dei cum homine artifice; quamquam neque hunc semper via simplicissima uti, vel ex Salomonis templum ædificantis exemplo pateat. Negat ex destructione aut mutatione

rerum creatarum vel constitutarum, semper argui creantis aut constituentis imprudentiam, aut defectum, sed sæpe deliberatum & sapiens consilium; & optime ait responderi ab *Augustino* & *Thoma*, Deum principaliter intendentem bonum universale, sive ut provisorem generalem, particularia, etsi nobis imperfecta aut incongrua videantur, ad finem tamen suum sapienter dirigere. Distinguit voluntatem, quam Thomistæ vocant *antecedentem*, sive *velleitatem*, a voluntate absoluta, & objectionem toties repetitam, ab inutilitate quarundam operationum Dei, v.g. pluviæ in arenas aut mare cadentis, oriri dicit ab ignoratione omnium utilitatum, quas talia Dei opera habent. Hæc & alia *secundo capite* habentur. *Tertio* ad explicationem tertiam, tractatui de N. & G. adjectam, respondet, & methodum Geometricam, qua ad probationes utitur Malebranchius, rejicit.

Capite IV, V, VI occupatur in demonstrando *puncto secundo*, quod nempe opera creationis ex particulari voluntate Dei processerint; quod cum de quibusdam, & in specie de corporibus omnibus, quæ organizata vocat, id est de animatis, concedat adversarius, eum sibi monstrat contradicere, & argumentationes suas infirmare, easque pietati & reverentiæ, quam Deo debemus, minime convenire. Ad *tertium punctum* pertinet cap. VII & VIII, quibus refellit determinationem voluntatis divinæ generalis, per causas occasionales in rebus pure corporeis. Miratur autem, quod adversarius, qui se a Philosophia illa, quæ statuit Deum creaturis conservationis & actionis facultatem simpliciter tribuisse, & post creationem veluti otiosum esse, alienissimum profiteatur, nihilominus novam hanc opinionem de determinatione per causas occasionales invenerit, & tantopere defendat. Contradictionem enim manifestam his propositionibus inesse, *Deum agere omnia, etiam minutissima, in creaturis, & agere saltem ordinarie ut causam universalem.* Maxime vero improbat responsiones ejus, quibus loca Scripturæ clarissima, pro causis secundis, & voluntate Dei particulari, ad anthropologias trahit, & suam sententiam ex clarioribus Scripturæ locis stabiliri posse tradit, quæ tamen allegare non potuerit. Notat porro veras anthropologias, v.g. cum Deo oculi, manus, pedes tribuuntur, ab omnibus, qui sacras literas legunt, pro talibus haberi, at neminem huc

huc usque repertum esse, qui pro anthropologiis & quasi pro mendaciis officiosis habeat, quæ de voluntate Dei particulari in Scripturis traduntur. Paradoxum esse, quod Malebranchius Deum ἀνθρωποπαθῶς in Scriptura loqui statuat, ut amabiliorem se hominibus reddat, majoremque suæ bonitatis ideam præbeat; ipse tamen eodem fine, sed contrario prorsus modo, amabiliorem Deum reddere velit, docendo, eum non nisi universaliter de hominibus cogitare. In errorem autem incidisse putat, quia vias Dei, quibus voluntatem suam exequitur, pro causis occasionalibus habuerit, voluntatem ejus generalem determinantibus; cum hæ ipsæ causæ occasionales voluntate Dei particulari dirigantur, adeo ut e. g. motus & concursus corporum naturalium non fiat, nisi ex ipsius Dei determinatione. Si autem corpora illa, ut ipse agnoscit Malebranchius, mere passive sese habent, non esse ut innumeræ causarum occasionalium myriades excogitentur, per quas corpora agant, & voluntatem Dei determinent, cum sufficiat ad voluntatem Dei omnia referre, nec ratio patiatur, nec Scriptura, ut unica illa cura generalis Deo assignetur *de motu corporum ad lineam rectam, & de communicatione motus secundum proportionem corporum concurrentium*, quæ problemata toties inculcat Malebranchius. Nihil enim minus verisimile esse, quam Deum curare & digna se habere, quæ vult generaliter; & non curare, sed indigna sua cura æstimare effecta specialia, propter quæ vult, quicquid vult generaliter, & quorum efficiendorum causa motum illum & concursum corporum ordinavit: ita scilicet media prælaturum esse fini, quo nihil possit Deo indignius statui. Respondet inde ad objectionem, quod Deus plus amet sapientiam suam, quam opera sua. Verum enim id esse, si sapientia intelligatur ea, quæ in Deo est, aut potius Deus ipse; sed si sumatur pro sapientia, quam effudit super omnia opera sua, *Eccl. I.10*, Deo etiam hanc placere, nec solum in modo agendi, sive causa & lege illa generali, quam unice extollit Malebranchius, sed & in effectis ipsis particularibus; id quod de creatis in opere hexaemero Malebranchius admittere cogatur, quia dictum est: *Vidit Deus cuncta, quæ fuerant, & erant valde bona.* Concludit itaque, & demonstratum esse existimat, Deum non solum probare & directe velle viam simplicem & generalem, sed omnia opera sua, quocunque modo producta.

Reliqua, & quidem maxima pars libri, ad *punctum quartum* pertinet, a *capite* nempe *IX ad XVI* sive *ultimum*. Agitur nempe de asserta a Malebranchio determinatione voluntatis divinæ generalis ad effectus particulares, per voluntates hominum liberas, & quidem in ordine naturæ; & statuitur, stante ista sententia (1) non posse sensum commodum attribui plurimis Scripturæ locis, quæ modum describunt, quo Deus erga homines utitur in ordine naturæ. (2) neque vera fore, quæ fides & ratio de providentia Dei docent. (3) potissima Malebranchii argumenta contra efficaciam causarum secundarum, & elicita inde inconvenientia, retorqueri adversus ipsum posse. Ante omnia (cap. IX) autoris doctrinam de voluntate Dei generali sincere proponendam sumit, & hac similitudine explicat, ut voluntatem Dei generalem comparet (secundum Malebranchii dogma) vento organi musici fistulis in universum per folles immisso; at causam occasionalem effectus determinantem, manui organistæ, (quem vocant,) in hanc vel illam fistulam ventum applicantis. Antequam vero hanc refutet, *cap. X* sententiam doctorum Ecclesiæ, & inprimis Augustini adducit, statuentis, hominum mentes per angelos, aut per dæmones, aut inspiratione divina moveri, quorum nihil sine voluntate aut permissione Dei particulari fieri possit: ea quidem miraculosa satis esse, sed miraculosa non solere nominari, quia secreto fiunt & frequentissime; miracula autem dici, quæ publice & raro fiant. Sic corruere putat, quæ Malebranchius *in prima Elucidatione Tr. de N. & G. n. 6* a pluviæ, & lapidis casu argumentatus est. Combinari nempe dicit voluntatem Dei particularem, cum lege quadam naturæ generali, v. g. gravitatem lapidis cadentis, cum causa, quæ voluntate Dei particulari lapidem impellit. Jam *cap. XI* ad alterum quod sibi proposuit accedens, ostensum it, quomodo opinio Malebranchii traditioni Patriarchali, qualem ex libro Jobi, ante legem Mosaicam (ut præsupponit) scripto exhibet, itemque Genesi & consonantibus veterum poetarum & historicorum dictis, repugnet, in quibus omnes eventus divinæ voluntati particulari attribuantur. *Cap. XII* testimonia Scripturæ post legem Mosaicam in eandem sententiam affert, Augustinum secutus; inter alia dictum Pauli *Rom. I, 28* de *traditione in sensum reprobum*, & alia *de indurationе* applicans & explicans. *Cap. XIII* de providentia Dei tractat, qualem fide

fide & ratione comprehendimus, illique adversari systema Malebranchii docet; multa ex Rabbino Maimonide allegat, ab Aristotele dissentiente; respondet etiam ad exceptionem, qua dicitur fidem de divina providentia satis conservari, statuendo, Deum esse causam universalem omnium eventuum; neque enim sic evitari posse dogma Epicureum, licet ita temperatum, ut cum causa generali, quæ Deo adscribitur, simul admittatur fortuitus eventus particularis. Persequitur hæc pressius *cap. XIV*, & consolationis Christianæ argumentum præcipuum, quod a Dei voluntate sumitur, interverti existimat per ea, quæ Malebranchius docet. Addit & explicat adversus ejus interpretamenta, exempla ex sacris literis, ubi particularis providentia Dei (etiam non accedente miraculo evidenti) negari non possit, v. g. in venditione Josephi, in naufragio S. Pauli, & maxime in destructione Hierosolymæ. *Cap. XV* urget summam difficultatem ab omnibus, etiam a Cartesio, & ipso Malebranchio observatam, quomodo nempe providentia Dei cum libertate hominum possit conciliari. At hanc totam auferri, si systema Malebranchii de causa & voluntate generali locum haberet. Præfert itaque Augustini dictum lib. III confess. c. 11: *Sic Deus curat unumquemque nostrum, tamquam solum curet, & sic omnes, tanquam singulos*, & alia eodem tendentia, Scripturæ sententiis firmata. Respondet ad *cap. VII Medit. Christian.* á Malebranchio editarum, & rejicit explicationem providentiæ, qua paradoxo suo remedium quærere voluerit. Laudat *Episcopi Meldensis* piam doctrinam ex *dissertatione Historiæ universali annexa*. *Cap. XVI* prolixe examinat & refutat, quæ Malebranchius commentatus est de providentia Dei circa religiones populorum, & speciatim de populi Judaici electione, quasi ex consequentia legum generalium facta esset, aut respectu ad merita quædam, cum Scriptura omnem divinationem sustulerit, electionem Abrahami & posteritatis ejus, gratuitæ Dei voluntati manifeste assignans. *Cap. XVII* pergit argumentari ex Scripturis, a promissionibus nempe temporalis felicitatis & comminationibus pœnarum: has enim stare non posse, si bona & mala secundum legem Dei generalem eveniant. Explicat non solum promissiones Veteris Testamenti, sed & Novi, ex Matth. VI, v. 28. 29. 30. & c. X, 28. allatis Augustini commentationibus. Restat tertium, ut monstret, ex systemate novo eadem

& majora ineonvenientia ſequi, quam quæ ex doctrina recepta de cauſis ſecundis deducuntur. Itaque *cap. XVIII* primum illius incommodi a Malebranchio propoſiti membrum examinat, quo putavit, homines, pro naturali ſua notione, ſi cauſis ſecundis efficacia benefaciendi attribuatur, ad harum amorem ferri: monſtrat enim Arnaldus idem fieri, ſi doceatur, per cauſas occaſionales (quæ nihil aliud ſunt, quam ſecundæ) determinari generalem voluntatem Dei, imo fore, ut eo magis amentur, cum majorem aut propiorem utilitatem ſecum ferant. Ita pluris putat æſtimatum iri beneficium regis, a quo tanquam cauſa occaſionali aliquis ad epiſcopatum nominetur, quam Papam, qui ut cauſa generalis ſive realis nominato illum confert. Denique affectari nimium rigorem dicit a Malebranchio, dum omnem amorem & gratitudinem erga cauſas ſecundas, intelligentes ſcilicet & voluntate agentes improbat, cum lege divina poſt Deum, & per modum ſubordinationis, hæ quoque amari (v.g. parentes & proximus) non permittantur ſaltem, ſed & jubeantur. Idem oſtendit *cap. XIX* de altera objectionis parte, cum dicitur, Deum ſolum timeri non poſſe, ſi credamus a cauſis ſecundis malo aliquo nos affici. Reſpondet enim, Deum non prohibere, ne cauſas has ſecundas, v.g. peſtem, famem, hoſtes aut ſicarios metuamus, ſed ne ſolas, aut plus quam Deum, Luc. XII, 4: dein majorem cauſarum occaſionalium metum ex ſyſtemate novo oriri, quia Dei providentia, exceptis raris miraculorum caſibus, curſui legis generalis veluti ſubjicitur, & particularis ejus cura nobis aufertur. Addit alia adverſus ea, quæ de non metuendis malis, ad Stoicæ inſolentiæ imitationem a Malebranchio dicta videntur: urget etiam dictum Pauli metum magiſtratuum præcipientis, *ſi male feceris, time*; & quod adverſus malum a cauſis ſecundis metuendum, majori fiducia auxilium a Dei particulari directione ſperari poſſit, quam ex illa generalis legis fictione. *Capite XX* tertium illud eodem modo ſubruit, quod Malebranchius idololatriam ex recepta de cauſis ſecundis opinione defendi poſſe exiſtimavit. Poſt hæc alias quasdam ejus ſententias ſub examen vocat, illam imprimis ſæpiſime repetitam, quod ex voluptate ſenſuum actualis (licet non ſolida) felicitas ſequatur, & tamen fugienda ſit; nec amari debeant corpora, quæ voluptatem efficiunt, quia non ſint reales, ſed tantum occaſionales voluptatis cauſæ, &

ſæ, & quod delectationis ſenſus ideo animæ impreſſus ſit, ut eam ad amorem Dei elevet, qui vera & realis delectationis cauſa eſt. Iſta omnia in quinque propoſitiones diſtributa, animadverſionibus non levibus perſequitur, a *cap. XXI usque ad finem cap. XXIV.* ita tamen, ut phraſes incommodas Autoris declaratione corrigi poſſe non abnuat. Conſiderari imprimis merentur, quæ dicto *cap. XXIV* ad dogma illud, quod voluptas ſive delectatio præſentiam Dei oſtendat, & ad amorem ejus moveat, commentatur, ut periculum hujus aſſerti, quo nec Scripturam, nec Patres uſos eſſe dicit, in apricum producat. Tandem *cap. XXV & XXVI* aggreditur nova argumenta, quæ Malebranchius in Reſponſione ad *librum Arnaldi de veris & falſis Ideis*, contra voluntatem Dei particularem, per deductionem ad abſurdum propoſuit, & ad ea diſſolvenda Arnaldum confidenter provocavit. Reſpondet autem eum in modum (dilatis quæ ad ordinem gratiæ pertinent) ut abſurdas ſequelas in adverſarium retorqueat, qui negando Dei voluntates particulares, providentiam ejus ſimul aperte tollat. Defendit contrarium ex Scripturæ & Patrum atque Theologorum omnium ſententiis. Notat ejus jactantiam, qui opiniones ſuas novas licet faſſus, ſolidas tamen & Chriſtianas, imo ſolas Dei ſapientia & bonitate dignas ſua aſſeveratione deprædicet, cum ipſe Lib. 3 *de inquir. verit. p. II. c. 8.* agnoſcat, *novitatem in materia Theologica characterem erroris habere, & opiniones ob hoc ſolum contemni poſſe. ſi novæ ſint, & traditionis fundamento careant.* Exhibuimus bona fide, & qua in materia diffuſa & gravi licuit, perſpicuitate, libri hujus contenta; luculentius ob terminorum facilitatem id præſtituri, ſi ſermone Latino viris eruditiſſimis uti libuiſſet. In quam partem inclinet victoria, judicabit haud difficulter orbis eruditus; facilius tamen poſt intellectam, quæ absque dubio ſequetur, Malebranchii replicationem. Interim *par hoc bene compoſitum*, ingenii, doctrinæ & eloquentiæ laudem multis modis meretur; modeſtiæ etiam gloriam augebit, ſi ſtylus poſthac magis magisque ab inſectationibus, quæ ad cauſam non pertinent, purgetur.

LES COMPARAISONS DES GRANDS Hommes de l' Antiquité. Tome premier.

hoc

hoc est:

Comparationes Magnorum Virorum ex Antiquitate. Tomus primus.

Parisiis, apud Franc. Muguet, 1684 in 4.

NItidissimi operis Autor RENATUS RAPINUS, S. J. in Gallia Presbyter, postquam varia sparsim edidit, quæ ob insignia raræ eruditionis documenta applausum seculi meruerunt & consecuta sunt, duobus ea collecta tomis denuo exhibere orbi literato non ita pridem voluit; fine non alio, quam ut politioris literaturæ laudem sectantibus, adeundæ antiquitatis ostenderetur necessitas. Ac adeo viam ipse exemplis & regulis, autoritate & ratione præiturus, tantum abest, ut vulgarem Grammaticorum morem secutus sit, ut potius ipsum eruditæ vetustatis nucleum quæsiverit. Ut enim quatuor prioris tomi voluminibus sistit totidem veterum exemplorum paria, Ciceronem contendens cum Demosthene, cum Homero Virgilium, cum Thucydide Livium, Platonem denique cum Aristotele: ita in posteriore tomo *Considerationes* totidem super Eloquentiæ studio, Poesi, Historia, & Philosophia, susceptis ante magnorum virorum *Comparationibus* jucundo juxta & accurato ordine respondent. Et ex his quidem nunc; ex Considerationibus proximo mense quædam juvabit delibare.

Nobile itaque par Oratorum inter se committit secundum tria illa, quæ ad persuadendi artem requiruntur ab Aristotele: dicentis puta meritum in probitate, apparatu, ac dicendi facultate positum; conditionem audientium; ipsamque tandem dicendi rationem. Oportebat enim utrumque probitatis opinione commendari maxime, qua præter cætera in patriam merita, uterque legitur, sed aliquo cum discrimine, non parum profeciisse. Demosthenem ergo observat tum naturali morum severitate, liberisque adversus Philippum declamationibus, tum crebra deorum mentione, apud Athenienses sibi conciliasse fidem: Ciceronem vero constantiore integritatis gloria & existimatione eminuisse, quod nunquam auro corruptus perhibeatur, nunquam in corruptionis suspicionem cum quadam recti specie vocatus. Nec dubium existimat, quin hic a majore apparatu lau-

laudandus sit, qui benigniore usus ingenii & educationis sorte, omnibus philosophiæ & humanitatis partibus auditis, adhibitisque Aristotelis Rhetoricis, mentem suam pluribus, cum Gallo ut loquamur, imaginibus justo tempore repleverat. Quo quidem teneræ ætatis cultu alterum privarit tum suæ ipsius indolis asperior conditio, tum tutorum matrisque negligentia: qua etiam effectum credit, ut arctioribus ille spatiis cursum suum definiret. Porro æquali laude in causa quavis versatum esse Ciceronem; in Demonstrativo autem dicendi genere minus præstitisse Demosthenem, ei facile constare posse, qui vel hujus contra Leptinum, cum illius oratione pro L. Manilia contulerit. Videtur tamen Rapino Latinum vicisse Græcus conatu & labore, quo superatis omnibus eloquentiæ obstaculis, eo profecerit, ut non demum circa annum ætatis vigesimum septimum, quod illum Romæ legimus feciisse, sed decimum octavum Athenis loqueretur publice. Sane populo Romano dicere res plena sæpe fuit & laboris & periculi: ast circumspectius multo judicium requirebat Athenienſium concionum licentia & desultoria levitas. Præterea integrum Tullio erat quibusvis uti oratorum artificiis: sed Demostheni epilogos, procemia, aliaque movendarum mentium instrumenta Areopagus abstulit, nec alia reddi potest ratio, cur idem poscente sic more civitatis, parcior amplificationum digressionumve extiterit. Quantum vero a se invicem in ipsa dicendi ratione abeant, ad utriusque naturam Rapinus persequitur. Fuisse ait Demosthenem severum, biliosum, vehementem, vivido impetu; ac adeo dicendi charactere conciso, presso, sublimi, enthymematibus concitataque actione valido: inde in accusatoriis & invectivis orationibus (nam nulla fere defensoria ejusdem extat) præcelluisse. Ciceronem e diverso, tametsi soliditate, vigore, & gravitate ab eo nil distaret, mitiore natura, fœcundioreque & amœniore ingenio præditum, pro re nata stylum & affectus vertere cujuscunque generis oratione valuisse. Longinus, per quem non minus ac per Plutarchum & Fabium se profeciisse fatetur Autor, Demosthenis eloquentiam a Tulliana non aliter differre dixit, quam fulmen ictu unico discutiens omnia ab igne lentius paulo universa consumente. Cæterum uter præferendus sit alteri, Lectoris arbitrio definiendum reliquit Autoris modestia, sic tamen ut unumquemque in suo genere

consummatissimum, si temporis, loci, aliarumve περιστάσεων æqua habeatur ratio, aperte satis agnoscat. Quintiliano, qui Ciceron in eo nomine cedere Demostheni contendit, quod hic illo prior, illum quantus est, exemplo suo magna ex parte fecerit; respondet, longe difficilius judicari, utri major persuasionis gloria conveniat. Si qui magis persuadet, eloquentior putandus sit, in Romanum forte consensuros esse plurimos. Verum duplicem persuasionem facit, mentis unam, alteram voluntatis. Illam ipsi gignit argumentorum robur; hanc peritia gratiæ & voluptatis: illa Demosthenem inquit, hac Ciceronem enituisse. Denuo expendendum igitur, utrum persuadendi genus magis accedat ad eloquentiæ gloriam, aut statuendum pro eo erit, qui valet in utroque. Hæc cum Rapinus sedulo excussisset, ut quid ipse sentiat, divinare propemodum liceat, causam dicit, cur sententiam hac de re, excerptis ex utroque oratore locis & exemplis juvari posse dubitaverit. Nempe non retinere vim suam locos extra compagem suam; difficilem esse selectum versionemque. Si quis tamen voluntati suæ omnino cupiat satisfieri, huic vel conferendas esse utriusque Philippicas, vel adeundum Lipsium, Causinumve, a quibus id fuerit præstitum.

Sequitur *Homeri & Virgilii Comparatio*, quam laudari denuo, non referri opus erit, postquam idipsum jam in Actis nostris anno 1684. p. 559. seq. factum esse meminimus. Et optime profecto de re literaria merebitur, qui jam tum (cujus indicium habemus aliunde) dissertationem hanc Rapinianam seorsim latinitate donavit, Cl. Henricus Christianus Henninius, si & reliquis Galli voluminibus suam interpretis manum admoverit.

Tertium in ordine locum habet *Comparatio Thucydidis & Livii*, tanto studio judicioque suscepta, ut in noscendo vere & capiendo Livio plus se præstitisse J. F. Gronovio in editione Livii Operum, Amstelodami adornata anno 1665, Rapinus ipse perhibeat. Ac initio quidem utriusque historici examinata dexteritate, Græco palmam tribuit, qui Athenis relegatus, in historia Æginæ scribi cœpta, honestissime suorum hostium meminerit. Esse notat, qui Livium multis in locis æquius habiturum fuisse putent Annibalem, si sumtus, quos in Laconum rebus per noscendis fecit Thucydides, hic impendisset Carthagini. Verum triumphat, Rapino judice, Patavinus argumenti amplitudine, quo memoriæ principis terrarum populi consuluerit, non solius belli Peloponnesiaci. Potuisse insuper Thucydidem prolixiore particularis suæ historiæ ingressu abstinere, constare ex utriusque Rapiniana epitome potest, qua sine comparationis difficultas superata haud fuisset. Plutarchus etiam in vita Periclis paulo plenius exposuisse creditur veram belli ejus causam. Præterea pluribus e censuris, quibus Dionysius Halicarnassensis Herodoti civis sui gloriæ velificaturus, adortus est Thucydidem, non postrema est, quod is legationem primam Athenienſium pacem offerentium nimis tenuiter descripserit. Etsi vero in tam gravem e veteribus Criticum non incidit Livius: quosdam tamen alios Autor nominat, ratos, rerum quandoque circumstantias ab eo neglectas, male contra toties memorata legi prodigia. Fatendum quoque, firmius isto pressiusque argumentari Thucydidem, quippe cujus e lectione vim suam enthymematicam hausit Demosthenes. Ita fit, ut eos quibuscum nec Herodotum, Xenophontem, aut Polybium ab una parte, nec ab altera Salustium, Cæsarem, Paterculum, Tacitum, aut Q. Curtium Rapini sententia comparare licet, vincere vincive invicem advertas. Stylum Græci quod attinet, vivus is nostro est, vehemens, & majestate plenus; poeticæ fere sublimitatis ex Homero, Æschylo, Pindaro, præter Gorgiam Leontinum, & Prodicum Coum formatæ; sed citra figurarum luxum, concisus, ut verborum prope numerum sententiarum multitudine consequatur, adeoque nonnunquam obscurus & sine transitionum vinculo. Latinus contra ut parcior sublimitatum est, sic juncta gravitati venustate, perpetuoque nexu, ac ordine præstare censetur; adeo quidem, ut ipsi exuberantiam culpabilem frustra objecerint Caligula, Benius, & Bodinus. De interpositis Orationibus Thucydidis quid Trogus & Cicero: de Livii vero quid Scaliger, & Benius judicaverint, prolixius in *Consideratione* seu Animadversionum Tomo commemorat.

Quarto tandem eoq; volumine quadripartito *Platonis & Aristotelis Comparatio* instituitur. Ac prima quidem parte exposita Philosophiæ origine & utriusque vita, Platonem fatetur majori fuisse morum innocentia, pudore, & modestia; negat tamen vivente illo Lyceum ab Aristotele conditum. Nascendi conditione & educatione prærogativam illi quandam fuisse datam; quod hic primo ætatis flore utro-

que orbatus parente, & dissipata parte patrimonii miles factus, consulto quidem oraculo Athenas concesserit, Philosophiæ futurus auditor; ibidem tamen aliquamdiu medicina empyrica reque ododraria vitam servare sit coactus: Platonis ingenium politius fœcundiusque fuisse; Aristotelis profundius & perspicacius: illum scripsisse suavius ad legendum; hunc potentius ad persuadendum: Illum optimis quibusq; oratoribus ac poetis; hunc Philosophis conciliasse altitudinem. Diffusiorem illum, hunc breviorem esse, ut obscura dictione fatigare lectorem nonnunquam voluisse videatur. Idem tamen non immerito de Platonis mysteriis Pythagoricis dixeris. Uter alterum diligentia præcesserit, Autor non definit. Secunda parte methodum utriusque persequitur, Platonem docuisse tradens quatuor rationibus potissimum, dialogis, definitionibus & divisionibus, humanis per divina, sensibilibus per intelligibilia, particularibus per universales ideas illustratis, methodoq; tandem symbolica: Aristotelem e contrario a cognitione particularium & sensibilium, ad immaterialia & universalia adscendisse, & in organo sic dicto certæ demonstrationis viam aperuisse. Tertia Logicam utriusque, Ethicam, Physicam, & Metaphysicam committit. Omnium vero jucundissimam partem putes ultimam, quæ utriusque sectæ varia ante & post natum Christum fata recenset. Platonem floruisse Romæ docet etiam ante Athenas a Sylla captas, cum Aristotelis nomen vix dum Augusto imperante noscí cœpisset. Neque tamen ab eo tempore caput eum efferre valuisse præ Philosophia Academica, quæ sola fere ipsorum Imperatorum nutu, si interregnum a Domitiano ad Trajani usq; tempora excipias, Romæ & Alexandriæ duobus seculis prioribus fuerit dominata. Ipsos Ecclesiæ Patres eam fidei Christianæ commodissimam, minus certe noxiam credidisse, quod Justinus Martyr nulla se disciplina alia quam Platonica ad veritatis agnitionem præparatum esse fateatur. Idem accidisse Tatiano Justini discipulo; ut alios ejusdem fautores Quadratum Episcopum Athenienſem, Apollinarium Hierapolitanum, Melitonem, Aristidem, Apollonium, Athenagoram, Pantænum, Methodium, Bardesanem, & Origenem solis memoremus nominibus. Alia vero primum sensisse Tertullianum, sequentibus eum Hippolyto, Arnobio, Lactantio, Cyrillo, Epiphanio, Nazianzeno, Ambrosio, Chrysostomo, Hieronymo, Augustino cum ætate esset provectior, & aliis tertii, quartive seculi Doctoribus. Prodiisse quippe ex hac schola credebant Justini, Tatiani, Athenagoræ, Bardesanis & Origenis errores; quin & Marcionitas, Manichæos, Encratitas, Sabellianos, Gnosticos, & Valentinianos. Sub finem seculi V, Mamercum Viennensem in Gallia Episcopum Platonem reducere conatum esse, sed frustra. Perstitisse hanc ejus fortunam ad octavum usque seculum, accedente incursione Gothorum in Italiam, Saracenorum bellis in Asia, expugnatione Alexandriæ, Leonis Isaurici in Philosophos odio, Græcæque linguæ miserabili interitu. At longe serius in orbe Christiano admissum fuisse Aristotelem, quod is nimium sensui rationique videretur tribuere. Anatolium siquidem Episcopum Laodicenum primum Alexandriæ eum, finiente seculo tertio, docuisse magno cum Ægypti & Italiæ applausu: quem secuti sint præcipui Victorinus Afer Hieronymi præceptor, Isagogesque Porphyrianæ metaphrastes, Didymus Alexandrinus Theodoreto hoc nomine laudatissimus, Prætextatus, qui Analytica latine reddidit, Boetius, qui omnia Aristotelis opera in linguam traduxit suam, & primus integram eorum notitiam occidentali dedit Ecclesiæ. Ab hoc usque ad octavi exitum seculi, neminem inclaruisse præter solum Johannem Damascenum Syrum. Benigniora octo fuisse posteriora secula. Tametsi enim & in his præter nonnulla Aristotelicæ celebritatis intervalla, triumviri illi Bessarion, Gemistus Plethon, & Marsilius Ficinus multos effecere Platonicos, Johannem Cavalcantium, Politianum, Cardinalem Cusanum, Picum Mirandulanum, Pomponatium, Fracastorem, Cardanum, Aretinum, & innumeros alios: ostenso tamen a viris doctissimis, quin & eventu ipso comprobato ejus rei periculo, tutior per omnia judicata fuit ex Aristotele sobrie philosophandi ratio. In quo evincendo tam copiosus est Rapinus, ut ipsius tituli ambitum labor videatur excessisse. Præcipuum in hac historia est, quod quæ Parisiis fata, quibusve de causis sustinuerit Philosophus, exponat, castigatis simul ejus contemtoribus. Quod vero Lutherum, Melanchthonem, aliosque reformatorum iniquos fuisse censet Aristoteli, cujus contra hæreses usum roburque advertissent, Auctoris professioni putamus tribuendum.

GERARDI DE VRIES PROFESSORIS PHILOsophi Ultrajectini Exercitationes Rationales de Deo divinisque Perfectionibus &c.

Trajecti ad Rhenum apud Joan vande VVäter 1685, in 4.

CUm primum Academicæ juventutis exercendæ gratia has Exercitationes haberet, nihil minus cogitavit Præses, quam de iis edendis. Postquam vero nonnulli, qui impetrare editionem ab eo non poterant, agitarent animo in unum collectas inscio Autore typis excudere, statuit is secum, antequam se volente prodirent in publicum, tumultuaria opera in chartam quondam conjectas recensere, ac emendare disparem nonnihil conceptuum, modo diffusorum, modo magis contractorum seriem, atque non ubique similem orationis & verborum texturam. Ast dum prælum festinaret, temporis penuria non permisit ipsi curis secundis opus perficere. Quare succinctæ admodum sunt cogitationes de Deo ejusque perfectionibus, ex Theologia Naturali depromptæ & repetitæ. Prolixiores leguntur subnexæ Dissertationes Miscellæ, de Infinito, Nullibitate spirituum, Homine Automatico, Contradictoriis Deo possibilibus, Sensuum in philosophando usu, Cogitatione ipsa mente, Operationibus brutorum. Tam in prioribus vero, quam posterioribus Disputationibus, Cartesii philosophia impugnatur.

CHRISTOPHORI VVITTICHII METAΛΛΕΙΑ *sive Investigatio Epistolæ Pauli ad Romanos.*

Lugdun. B. apud Cornelium Boutensteyn, 1685. in 4.

QUa ratione factum sit, ut post tot in hanc Epistolam commentarios, suum quoque ederet, in prolixa ad Lectorem præfatione ejus Auctor partim edisserit; partim de iniquis, quas passus sit criminationib9 ob dogmata quædam Theologica sua, ex Cocceji scilicet scholis hausta, fundamento fidei, ut dicit, innocua, & liberam philosophiam suam, conquestus, D. Johannis Adami Osiandri *Considerationes in dogma-*

dogmata Theologica Cartesianorum anno 1684 edita, in quibus creberrime se perstringi legerat, strictim refellere conatur.

Methodo liber ista constat. Præmittitur singulis capitibus Epistolæ paraphrasis, sensum perspicuis quidem verbis, sed in locis maxime controversis eum, quem alias Calviniani tenent, proferens; quam suadet a Lectore quoque prælegi, tanquam si propositionem aliquam Euclidis præmitteret ejus demonstrationi. Paraphrasi Commentarium subjungit, tanquam istius propositionis demonstrationem; ubi brevior est, ad magistrum Coccejum nos remittens.

LE MONDE NAISSANT, OU LA CREATION du monde demonstrée par des principes tres simples & tres conformes a l' historie de Moyse.

h. e.

Mundus nascens sive Creatio Mundi demonstrata ex principiis simplicissimis & maxime conformibus historiæ Mosaicæ Genes. I. & II.

Ultrajecti, 1686. in 8.

RErum, quæ existunt, universitatem non equidem difficulter humana ratio ab infinito aliquo numine productam esse invenit; mundi tamen nascentis primam faciem & ordinem divinæ creationis, nisi lumine revelationis illustrata percipere nullo pacto potest. Ea proinde cognitio e sacrorum oraculorum penu unice petenda nobis est, maxime ex historia Mosis, quam ille a primo temporis natiq; orbis momento inchoavit, atque ita laudem meretur memorati jam tractatus Autor, quod in evolvendis mundi originibus sacri scriptoris ductum sequitur, & ex ipsius verbis rem omnem exponere allaborat. Quandoquidem vero Moses pro instituti ratione succincte admodum scripsit, atque adeo, ut videtur, Philosophis reliquit, in quo se ingenii vis exerceat: hinc mirum non est, quod eum tam varie viri docti, ultra quam ille ducit, progredi conati, interpretentur, dum quisque annititur, verba divina suis cogitatis accommodare, & isto-

iſtorum teſtimonio irrefragabili ea, quæ gratis plerumque aſſumunt, adſtruere. Quod ipſum tamen monere nos debet, ut veritatis cœleſtis celſitudinem ab humanarum opinionum lubricitate probe diſtinguamus, præeunte ipſo Autore noſtro, qui diſerte pronunciat, nolle ſe, ut quæ ad ſingulos verſus textus Moſaici in re hiſtorica annotavit, (hac enim methodo libellum diſpoſuit) pro omnimode certis & indubitatis habeantur. Elegit autem Carteſianæ philoſophiæ principia, & ita illico ad primum verſiculum capitis primi ſcribit, immenſum illud Chaos diviſum a Deo in particulas varii motus capaces fuiſſe, unde tria poſtmodum enata ſint elementa, quæ orbem noſtrum ad nutum divinum compoſuerint. Firmamenti vocem de vorticibus novis circa vorticem terræ factis exponit, per quos ſeparatæ fuerint duplices aquæ, hoc eſt, redacta in ordinem materia ſubtilis, cui immerſus erat orbis, quæque & abyſſi & aquarum nomen merebatur, quod infinitis particulis diverſo motu agitatis conſtaret. Cæterum nonnunquam a Magiſtri ſui ſententia recedit, veluti cum orbem univerſum ille indefinitum dixit, quod Noſter falſum & erroneum eſſe oſtendit. Secunda operis pars (in tres autem ſectum eſt univerſum,) animalium generationem perſequitur, ubi de anima brutorum monet Autor, nihil quidem abſurdi ſtatui, ſi quis eam cognitionis capacem dicat; alteram tamen ſententiam negantem veri magis ſimilem eſſe; quod explicari nequeat, quale ſit illud principium cognoſcens, tum, quod actuum, quos bruta edunt, varietas ad accuratam proportionem, qua organa ipſorum cum objectis ſenſuum conveniunt, ad temperamentorum fibrarumque cerebri diverſitatem, & ſpirituum animalium naturam commode ſatis referatur. E parte tertia, quæ hominis creationem ſiſtit, illud ſolum memorare lubet, quod cum Carteſio ſentiat quidem Autor, in cogitatione ponendam eſſe animæ rationalis eſſentiam, per cogitationem vero illam intelligat ſenſum intimum, quem anima habet de ſe ipſa, & reliquas ejusdem operationes dicat nihil eſſe aliud, quam modos hujus cogitationis generales. Quæ ipſa ſententia perſuadet, ut Mallebranchii cuidam diſcipulo, qui nomine tecto latere voluit, hunc librum nos debere credamus.

Obſer-

OBSERVATIONS SUR LA NOUVELLE Defenſe de la Verſion Françoiſe du Nouveau Teſtament imprimée a Mons,

hoc eſt:

Obſervationes in novellam defenſionem verſionis Gallicæ Novi Teſtamenti Montibus impreſſæ.

Rhotomagi apud Rich. Lallemand. 1684 in 8.

PEr duas annorum decades, & quod excurrit, *C. Janſenii* Iprenſis Epiſcopi doctrina de auxiliis gratiæ, Romanum orbem eccleſiaſticum, inque eo Gallias potiſſimum pervaſerat, cum ejus ſectatores verſionem Novi Teſtamenti Gallicam Montibus Hannoniæ edere auſi ſunt; impetrata utcunque *Caſparis Nemii* Archiepiſcopi & Ducis Cameracenſis approbatione, Regisque Hiſpaniæ *Caroli II* privilegio. At quod credebatur verſio ea Janſeniſmo quavis occaſione velificari, Vulgatæque fidem, labefacere, Præſulum indignationem non exiguam paulo poſt experta eſt. Et primus quidem ei ſe oppoſuit Pariſienſium eo tempore Archiepiſcopus, duabus promulgatis ſanctionibus; cujus zelum ſex alii ejusdem gentis epiſcopi mox ſecuti ſunt. Acceſſit anno 1667 autoritas *Regii*, ut vocant, *Status Conſilii*, ac ſequenti proxime anno *Clementis IX* P. R. Quin & cum primam illam editionem, quæ circa annum 1665 ſuſcepta eſt (ut nihil jam dicamus de Lugdunenſi,) Bruxellenſis excepiſſet; credentibus ut refertur, Janſeniſtis, hanc cum nec Montibus, nec Lugduni excuſa eſſet, Pontificium anathema mutato typorum hoſpitio poſſe effugere: ipſam pariter hodiernus P. R. *Innocentius XI* præter multorum ſpem opinionem quea. 1679 damnavit. Neq; defuere, qui variis opuſculis verſionem Montenſem ubiubi excuſam perſequerentur ſtrenue; quos inter *Malletus*, diœceſeos Rhotomagenſis per triginta fere annos vicarius, & *Ludovicus Maimburgius* fama clari ſunt. Viciſſim Janſeniſtæ temperare ſibi non potuere, quin & ad cenſuras publicas, & ad privata ſcripta reſponderent, editis Gallice *Nullitatibus ordinationis Pariſinæ*, *Monitis ad Breve Clementinum*, quod Cabalæ Jeſuiticæ opus appellitant, *Literis ad conſiliarium*, *duobus dialogis*, aliisque *defenſioni-*

bus, quibus in piissimum institutum durius fuisse consultum questi sunt. Etsi enim e XL locis a Malleto notatis, aliquot versionis locos in recentioribus editionibus mutare iis collibuit: a defendendo tamen opere integro nunquam abstinuere calamum.

Quem cum in Malletum *Antonius Arnaldus*, a quo plus quadraginta annos infinitis libris de quinque Jansenii propositionibus disputatum fuit, strinxisset acerrime *in Novella versionis Montensis defensione*: factum est, ut oppositæ huic observationes XXV, *Francisco Harlæo* Parisiensi hodie Archiepiscopo haud imprudenter inscriptæ, autore anonymo Rhotomagi prodirent in publicum. Eas vero non hoc fine prognatas videri vult Scriptor præsens, quasi Malletum vindicare velit; quippe qui editis quibusdam novæ responsionis speciminibus satis jam ostenderit, quantus sui ipse per omnia vindex futurus fuisset, si per fata vitam illi prorogare licuisset: sed eo consilio *observationes* se composuisse Gallus contendit, ut quam juste Pontifices, Episcopi, & Rex (si retinere licet personarum ordinem, qualem invenimus) in damnanda versione Montensi, eaque contra ecclesiæ canones excusa egerint, eluceseeret.

Unde Autor scopo huic intentus, Jansenistas læsæ obedientiæ erga sedem quam vocant Apostolicam, suffragiique erroribus Calvinianis præbiti passim incusat; quodque cum sciverint decretum Tridentinum, *nullo* plane *prætextu* Vulgatam deserendam esse, nihilominus ab ea & universali Patrum traditione multis in locis discesserint, suspectis vocabulis, ubi vetera retineri commode poterant, temere infausteque surrogatis. Nam spectat huc prolixa anonymi nostri tractatio de auctoritate Vulgatæ versionis Latinæ, quæ præ hodierno textu Græco ita sit *authentica*, ut nullo modo falsa, *neque data opera corrupta in quacunque parte, quantumvis minima & ad præcipuam rei sententiam non spectante: neque unquam plane ex inconsiderantia ab archetypo difformis in iis, quæ rem constituunt*, censeri debeat. His enim Pallavicini verbis Pallavicinum explicat, quem, cum scripsisset, nihil velle Synodum Tridentinam aliud, quam errore Vulgatam carere in rebus *fidem* spectantibus (sumpto cum Vega, Andradio, Salmerone, Cano, Morino, du Val aliisque *fidei* vocabulo laxius, pro quibuscunque rebus a Deo inspiratis & revelatis) in suam sententiam Arnoldus traxerat, res *fidei* proprie intelligens, quæ ad religionis salvaturæ pertinent substantiam.

Neque

Neque id prætereundum est, quod in cujusvis observationis hermeneuticæ frontispicio versiones Vulgata & Montensis contenduntur, quin & libro exeunte e solis epistolis Apostolicis CCXL loci numerantur, quibus hæc ab illa differat, ne quis *præfationi* credat, qua tralatores isti paucis quibusdam locis a Vulgata abiisse, se profiteantur. Eapropter commendatur Jansenistis facillima declinandæ via invidiæ, ut illa loca omnia, quæ quinque Jansenii propositionum aliquam eminus cominusve inferunt, pari corrigant candore, quo jam quibusdam in locis, ut Matth. XI, 23 (restituto *peut-estre* forsitan) Rom. VI, 16 (legentes, *soit de l' obeissance pour y trouver la justice*, non *soit de la foy qui justifie ceux qui luy obeissent*) Jac. V, 14 (deleto *pour*, & substituto ad Vulgatæ exemplum *sur*) recentiorum editionum curatores publico Malleti admonitu recte usi sint.

Cæterum quicquid sit de primario præsentis libri scopo, cui quæ hactenus retulimus universa respondent: ipse forsan Autor concesserit lubens, maximam libri partem in defendendo Malleto, castigandoq; Arnaldo ejusq; in laudanda versionis Montensis fide pervicacia, consumi. Quam usitatum vero Jansenistis sit, in vertendis Gallice scriptoribus indulgere affectibus, ex traductis eorum stylo Hymnis ecclesiasticis, Augustini operibq, Chrysostomi in epistolã ad Romanos homiliis, plurimisq; probari posse Auctor censet. Versionem vero Novi Testamenti quod attinet, tantum abest, ut D. Pontani Lovanienſis, viri Catholicis diu suspecti, testimonium editioni primæ præfixum quicquam valere patiatur, ut ne quidem causam ejus operis juvare putet Cameracensis Archiepiscopi permissionẽ, a decrepito præsule Gasp. Nemio, abbatis cujusdam arte, invito Jacobo Polmanno censore archiepiscopali, impetratam subreptitie, quam ab ejus morte generales illius sedis vacantis Vicarii anno 1668 d. 4. Jan. revocarint solenniter. Cum vero Arnaldus in asserenda versionum talium licentia ad Leonis X P. R. elogium, quo confectam ab Erasmo novi testamenti versionem salva Vulgatæ dignitate ornare sustinuit, provocasset; respondet Auctor, quod & Paul9 IVe cathedra postea definiverit aliud, & jam objici id non possit, quod Leo, ut privatus doctor, *piusque pater dulcibus encomiis nutantem ovem allicere conatus*, ut verba habent indicis expurgatorii a. 1612 editi, dissentiendi libertate nemini prærepta, sensisse visus est. Illud porro argumentum, quod ex aliis Gallorum versionibus vulgatæ non magis insi-

insistentibus, nec tamen unquam adeo exagitatis, nectere Arnaldo contra Malletum placuit, mole sua laborare censet, seu, ut scholæ loquuntur, plus probare, quam probare debet. Inde enim sequi, tum quod ab Arnaldo, obediente scilicet ecclesiæ filio, ad rationes reddendas vocetur mater ecclesia, tum quod Genevensis etiam interpretatio tolerari a Pontificibus debeat. Enimvero multo plura sunt, seu ipsarum observationum lectoribus merito relinquenda, seu novæ occasioni reservanda, si quando operis hujus supplementum, quod promitti aliquoties visum est, ad nos pervenerit. Nisi forte paucis adhuc attingenda sunt fata *Guilielmi Estii*, Duacensis Academiæ olim Professoris & Cancellarii, quem *Michaelis Baji* Doctoris Lovanienſis Jansenisticis ante Jansenium opinionibus, jam a Pio V & Gregorio XIII damnatis abreptum, multa statuit scripsisse anonymus, quibus Montenses illi, & in interpretatione novi testamenti, & in notis additis plurimum, ac post Augustinum unice fere usi sint. Unde vapulantis Estii afferre lubet exemplum, quo simul tanquam specimine observationis exegeticæ, (alicubi enim dogmatica, historica, aliaque mixti generis argumenta disceptantur) uti lectores poterunt. Legitur Apoc. III, 20. *ecce, STO ad ostium & PULSO* &c. Unde Catholicos tria concludere Anonymus affirmat. I. dari quandam Dei advenientis pulsantisque gratiam, cui ab homine porta cordis occluditur, quæque adeo eventu ipso inefficax est. II. nihilominus penes nos esse gratiæ portam aperire, quodque adeo gratia sit sufficiens, ad mentem concilii Tridentini Sess. 6. cap. 5 & can. 4. III. hanc gratiam pulsatricem a nemine, dum vivit, Christiano saltem, abscedere penitus; adductis in subsidium locis parallelis Cantic. V, 2. Prov. XXIII, 26. Joh. XIV, 23. Montenses contra conclusiones istas ad Pelagianismum & Molinismum pertinere rati, haud vertunt: *me voicy à la porte* &c. sed in futuro: *je seray bien-tost à la porte, & je frapperay*, h. e. *cito ad portam adero, & pulsabo.* Qua in re *Estii* magisterio usi fuisse dicuntur, utpote qui primus locum Apocalypticum in sequentem inflexerit sensum: *vigilate, brevi ad portam futurus, vos morte ad particulare judicium meum vocaturus sum*; constitutis locis parallelis Matth. XXV, 6. Marc. XIII, 34. Jac. V, 9. Arnaldus quidem hanc interpretationem ignoratæ Græcitatis (nam habetur in fontibus

bus ἰδὲ, ἔστηκα) aut novitatis liberaturus opprobrio, satis larga inductione locorum N. T. format regulam: ἰδὲ, ecce, *præsenti tempori* (aut, quod subaudiendum in hoc exemplo, præterito, quod præsenti æquivalet Græca loquendi consuetudine) *junctum, paulo-post-futuri significationem inferre*; advocato in auxilium textu Syro, *ecce, steti ad ostium & pulsabo.* At respondetur, tria requiri ad rite sequendam regulam, si qua illa sit. I. ut certum sit ex inspectione substratæ materiæ, præsens, vel præteritum præsenti tempori æquivalens transferri posse per futurum. II. ut futurum illud excludat tempus præsens. III. ut eadem exclusio Apoc. III, 20 obtineat. Deinde ad Syrum interpretem ab Arnaldo in Estii aut Montensium gratiam provocari non posse, tum quod ille τὸ ἔστηκα accurate expresserit, *steti*, tum quod in ea lingua non minus atque Arabica præsens & futurum eodem incedant habitu, adeoque Latinus Syri metaphrastes, eodem hoc commate, *& pulsavi* rectissime substituere potuerit, imo & debuerit. De fatis nostræ Doctorum ecclesiæ, qui cum Calvini & Bezæ discipulis a Romanensibus scriptoribus non raro confundi solent, & a præsentis quoque scripti auctore confunduntur, dicere hoc loco supersedemus.

CONTRA HISTORIAM ARISTEÆ DE LXX Interpretibus Dissertatio &c. per Humfredum Hody, A. M. &c.

Oxonii apud Sam. Smith 1685, in 8.

PRimitias juventutis editurus Auctor, in præfatione post Aristeæ Historiam in compendium redactam commemorat, se *maturiore tyrocinio ad studia sacriora accinctum*, postquam versionis Græcæ auctoritatem fere totam in libro hoc Aristeæ niti comperisset, operæ pretium existimasse, ut de eo disquisitionem methodo critica institueret: tum se excusat, quod eruditis viris, illustri præsertim Isaaco Vossio contraiverit, optatque, ut is *olim ad merita sua pristinam versioni Græcæ puritatem restituendi atque redintegrandi gloriam adjiciat.* Præterea scribit Hodius, sæpe in hoc libello Lectorem se amandare ad *syntagma* quoddam *Historico-Chronologicum de Ptolemæis Ægypti*

Regibus, ac paratos sibi esse alios *tres de Græca versione libros*, quæ omnia alio tempore luci publicæ promittit. In ipso opusculo *cap. I* adversus Ludovicum Vivem, Leonem Castrium, Alphonsum Salmeronem, & Joannem Gregorium Anglum, disputat, vulgatos Aristeæ codices non esse spurios, aut ab antiquis, Josepho & Eusebio visis, diversos, nec ad elevandam fidem miraculi LXX cellularum confictos. Cæterum non diffitetur, Epiphanio alium Aristeæ codicem ad manus fuisse; quem tamen *νοθείας* accusat, nec modernos a mendis librariorum immunes esse censet; denique sententiam suam pag. 27 his verbis proponit: *Quantum vero ad ipsam Historiam spectat, quæ hodie recipitur, & a Josepho Eusebioque & cæteris celebratur; credo illam non conditam fuisse ab Ethnico aliquo Philadelphi Aulico, sed a Judæo quodam recentiore, ad augendam versionis Græcæ auctoritatem, mala fide confictam.* Hinc *cap. II.* post citatos varios judicii & eruditionis nomine celeberrimos viros, qui Historiam Aristeæ, Ægyptiaco Magnati mendaciter adfictam statuunt, VValtonum contrarium sentientem adgreditur; inde Judæum Alexandrinum in fabulas ex more gentis propensum Historiam istam scripsisse iterum adserit, nec obstare ait, quod ad Diaria regis provocet, siquidem id fecerit, ut mendaciis suis fidem quæreret fucumque obtegeret. *Cap. III.* breviter Judæorum in figmenta pronitatem perstringit, & Epiphanianum Aristeæ codicem a Judæo conscriptum fuisse aliquot argumentis demonstrare conatur, primumque ad impugnandam universam Aristeæ Historiam subjicit, *inde ductum, quod is tradit, Demetrium Phalereum S. Scripturæ vertendæ tempore Bibliothecæ Alexandrinæ præfuisse; quod fieri non potuisse Hermippi* apud Laertium in vita Demetrii *testimonio probat*, idque *cap. IV. V. VI. & VII* a Serarii, Gretseri, Usserii, Gerardi & Isaaci Vossiorum aliorumque exceptionibus pro virili defendere studet, ac subinde varios antichronismos in Aristea ostendit, & præsertim ex veterum testimoniis elicit, Ptolemæum Philadelphum extremis vitæ annis, adeoque post mortem Demetrii, (qui initio regni illius occubuerit) Bibliothecam condere cœpisse. Initio *capitis IIX* dubitat, an Eleazarus Pontifex Judæorum fuerit, quo tempore Bibliotheca Alexandrina a Ptol. Philadelpho instituta fuit, subnectitque aliud argumentum contra Historiam Aristeæ, *exinde petitum, quod, quamvis doceat interpretationem Scripturæ plurimis annis post initium regni Philadelphi ornatam fuisse; prodat tamen Menedemum Eretriensem translatæ Scripturæ tempore in Ægypto fuisse.* Quem Ptolemæo Lagi supervixisse non plus septennio, demonstrat, probabileque putat illum nunquam fuisse in Ægypto regnante Philadelpho. *Cap. IX* novum argumentum adversus Aristeam struens observat, Demetrium Phalereum fuisse principem & legislatorem omnium sui temporis sapientissimum, & summo in honore apud Ptolemæum Lagi habitum; proinde Bibliothecarii officium indignum eo fuisse, quod apud antiquos in usu fuerit, litteratos homines humilioris sortis præficere Bibliothecis: ex quo elicit, *non esse verisimile* (*quod scribit Aristeas*) *Demetrium Phalereum fuisse Ptolemæi Regis Bibliothecarium*, quando inprimis ex Suida constet, Zenodotum Bibliothecæ Alexandrinæ custodem fuisse sub Ptolemæo Lagi & sub Philadelpho. *Cap. X* quum animadverteret, argumentis hactenus adlatis nihil magis, quam Aristobuli auctoritatem, a Waltono præcipue & Stillingfleeto objici, variis modis conatur respondere, vel quod Aristobulus sequutus sit Aristeam, suosque commentarios non Ptolemæo Philadelpho aut Philometori, sed alicui ex postremis Ptolemæis inscripserit: vel quod Commentarii illi Aristobulo sint suppositi ab aliquo post Christum natum: vel quod Aristobuli testimonio, etiamsi verum esset, non possit defendi Aristeas, qui nihilominus mendacii & impostura reus foret. Denique contendit, non posse alium Demetrium Phalereum intelligi, sive quod Phalerei nomine alius præter laudatum Demetrium celebris non fuerit, sive quod cæteri Demetrii Phalerei, quos viri docti proferunt, Ptolemæo Philadelpho fuerint recentiores. Sed relicto tandem Demetrio *cap. XI* ad victoriam navalem pergit, quam Aristeas tradit de Antigono reportatam fuisse a Ptol. Philadelpho, eamque contendit *non fuisse eandem cum illa victoria, quam de Antigono Magno consecutus est Ptolemæus Lagi; vel si eadem fuerit, Aristeam de illa insigniter delirare*, dum commemoret navale prælium, quod (teste Diodoro Siculo) nullum erat, & Philadelpho adscribat, quæ a Patre ejus gesta sunt, ipso vix dum nato: nec posse cum Saliano aliud bellum Ptolemæi Philadelphi cum Antigono Gonata intelligi, quod in eo nihil præclari gesserint Ptolemæi copiæ; & Aristeam victo-

victoriam navalem Ptolemæi Cerauni ab Antigono Gonata reportatam fratri ejus Philadelpho adfinxisse. *Cap. XII* monstrat Aristeæ errorem, *Ptolemæum Lagi ducem fuisse illius expeditionis, qua centum millia Judæorum in Ægyptum sunt captiva abducta*, quem non potuisset scriptor ille committere, si in palatio Philadelphi regis floruisset. Nec veritati satis congruere, quæ Aristeas de captivitate Judæorum Ægyptiaca & manumissione tradat, *cap. XIII* animadvertit, & *cap. XIV* subjungit, *verisimile non esse, Demetrium Phalereum Ptolemæum Philadelphum Regem adiisse per epistolam, sicut scribit Aristeas*: quippe cui semper præsens adfuerit. Dehinc *cap. XV. XVI. XVII & XVIII* plurimas adnotat ineptias & consuetudines, quæ *Judæum*, non Ethnicum *scriptorem* referant. *Cap. XIX* Lectoris judicio proponit quædam contra Aristeam a Scaligero, Riveto, Chamiero, Valesio, & aliis objecta, sed sibi non probata, pariterque *cap. XX* Valesium & Gregorium refellit, qui ob *Heptastadii* (quod *isthmus* fuit *ex jactis molibus constructus & ad 7 stadia ab Ægypti continenti ad Pharum insulam pertensus*) mentionem ab Aristea factam, librum ipsius rejiciunt, contenditque, illud *Ptolemæo Philadelpho regnante jam tum extitisse*. Postremo *cap. XXI* suspicatur, glossema cujusdam Christiani esse, quæ apud Aristeam de benefaciendo inimicis leguntur, exacteque conveniunt cum modo loquendi a Christo eam in rem adhibito: ac tandem opinatur, librum Aristeæ ab auctore Judæo paullo ante natum Christum scriptum esse.

LES VERITABLES MOTIFS DE LA CONversion de L' Abbé de la Trappe,

id est:

Veræ causæ Conversionis, sive vitæ monasticæ Abbatis Trappensis.

sive

Dialogi Timocratis & Philandri de libro cui titulus, *de officiis vitæ monasticæ.*

Coloniæ 1685, in 12.

SI nihil in tractatu hoc reperiretur, quam satyrica illa de Abbatis vita, olim aulica & negotiosa, postea vero monastica seu religiosa, & qua

& qua sinceritate hanc colat, disquisitio, consultius fuisset, nihil ex eo in Acta nostra referre. Sed quoniam, quisquis est dialogorum autor, non vulgari judicio quædam monet, alia vero refert literatis nec inutilia nec ingrata, ut arbitramur, futura, ex his aliqua excerpendi non inglorius nobis labor visus est. Acris ab initio statim libelli censura legitur autorum, *quatuor dialogorum*, quos Actis anni 1685 p. 59 inseruimus, iique non Christi, sed *Carteſii* discipuli vocantur, & de providentia divina non alio fine philosophari, aut de religione infirmis argumentationibus agere dicuntur, quam ut Abbatias & pensiones sibi collatas narrent, & de se ipsis habeant quod dicant. Additur generalis querela, quod paucissimi gloriam Dei pro fine librorum, quos edunt habeant, plerique sibi ipsis & aliis, quantum ingenio & eloquio valeant, ostentatum eant. Applicantur hæc ab autore ad scriptores Jansenianos, & eorum quasi coryphæum *Antonium Arnaldum*, qui irritatus Petavii Jesuitæ refutatione libri sui (omnium quidem quos scripserit, optimi) de *frequenti communione*, Jesuitarum societatem eo usque florentissimam & validissimam innumeris fere scriptis, suis & amicorum, aggressus fuerit, nullo pietatis respectu, nullo fructu, magnoque potius, ut ait, cum scandalo; et nunc in eo versari refert Arnaldum, ut sex ingentia volumina (*in folio*) edat, in quæ omnes adversus Jesuitas libelli inseri debeant. Istud vero scribendi propositum adeo non ex zelo divinæ gloriæ proficisci, ut potius affectibus illicitis fœdisque attribui debeat. Transeunt inde collocutores ad ejusdem vitii reum *Abbatem Trappensem*, qui aliud non egerit, in prolixis tomis de officiis vitæ monasticæ (des *devoirs de la vie monastique*) Gallice editis, quam ut & Jesuitas, & omnes monachorum ordines diffamaret, se vero suosque monachos ita extolleret, ac si soli legibus religiosorum plene satisfaciant. Examinant inde quædam ex libris illis, v.g. cum vitam monasticam a Christo ipso institutam, sed occasione demum persecutionum cœptam esse statuitur: cum monachis contra exemplum primorum seculorum, omnibus operibus charitatis ita interdicitur, ut etiam parentes negligere debeant. Porro, quod cæteros Christianos dicitur Deo *servire*, monachos autem Deo *uniri*: illos *cognoscere, amare & adorare* Deum posse; hos vero *in lumen sapientiæ & intelligentiæ ejus penetrare, ut ipsum videant eoque fruantur*. Hoc

ex libris myſticorum, Hiſpanorum præcipue hauſtum eſſe, quibus hoc vitium quaſi innatum ſit, aut a conſuetudine cum Maurorum & Arabum gente reſiduum, qui nil niſi metaphoricum & hieroglyphicum cogitare ſoliti fuerint. Nimis etiam obedientiam erga ſuperiores ab Abbate extolli, & minus recte ei æquiparari, quæ DEO debetur: nec magis verum eſſe, quod Abbates reſpectu monachorum ſint vicarii Jeſu Chriſti. Adduntur quædam de differentia inter monachos antiquos, qui laici fuerint, & quales jam ſint ab annis quingentis, poſtquam ſacerdotia invaſerunt, & opibus creverunt. Notatur hypocriſis multorum, qui de fide & pietate ſcribunt ingenioſe & affectate potius, quam ex animo. Præferuntur illis, ipſique imprimis Abbati, ſimpliciſſimi ſcriptores; omnibus vero *Thomas de Kempis*, ſed ut ipſe ſcripſit, non ut verſus eſt a Janſeniſtis, ſtylo, ut ajunt, aulico. Commendant poſt Biblia, conciliorum & traditionum veterum & hiſtoriæ eccleſiaſticæ lectionem, unde exempla innocentiæ & ſanctitatis, ſeriæque pœnitentiæ peti poſſint. Præſtare hanc dicunt meditationibus ſolitariis, per quas fere relaxentur & diſtrahantur cogitationes, ſæpe etiam peccetur enormiter, & intellectus exhauriatur, cum ſatius ſit novas ideas ex lectione bonorum librorum ſuggerere. Imitabiles itaque non eſſe *Hilarionem*, *Antonium*, *Pachomium*; quanquam ſua laude dignos: hodie alias dotes ad curam & ædificationem animarum requiri, lectione & ſtudio parandas. Cum vero Abbatis libri celebrium Epiſcoporum approbatione commendentur, offendunt collocutores, quomodo ob plurimas Prælatorum occupationes, perfunctorie ſaltem legi ſoleant, qui cenſuræ eorum offeruntur libri, & quibusdam ex familiaribus nimis facile credatur eos laudantibus. Circa hiſtorias de vitis Sanctorum conqueruntur, quod jam Hieronymi tempore, qui ob id Rufinum culpat, multæ confictæ fuerint; nec neotericis parcunt, ſpeciatim notato *Craſſeto* Jeſuita, qui *Helyotæ* cujusdam ſanctitatem peculiari in tractatu de vita ejus Pariſiis anno 1683 edito, & in Actis ejusdem anni p. 556 a nobis memorato, in immenſum laudet; quam tamen fœminam hæredes, ut legatum ab illa Jeſuitis relictum intervertant, pro fatua habeant, nondum deciſa, quæ in tribunalibus ventilatur cauſa. Reprehenduntur prædicatores & ſcriptores, qui ex patribus paradoxa potius, aut per occaſionem nulloque fructu dicta ſeligunt, & prætereunt quæ pro notis & vulgaribus habent, licet ve-

riora

riora & utiliora. Commendant modeſtiam, qua quædam diu credita ſatius ſit intentata relinquere, ut proſint; quam curioſa inveſtigatione efficere, ut detecta contemtum & dubitationes pariant. Opinio Abbatis, quod Philo de ſolitariis ſui temporis loquens, non *Eſſenos*, ſed *Chriſtianorum monachos* intellexerit, refutatur. *Edmundi Richerii* fatum narratur, quem ob apologiam Gerſonis *Cardinalis Richelius* male tractaverit, librosque ejus ut hæreticos aboleri juſſerit, ex quibus tamen ſubtracti quidam ab amicis, nunc in Gallia publicati fuerint, non ſine Romanæ ſedis offenſa: ita ſæpe fieri, ut gloria vivis denegata, mortuos ſequatur. Quod vero Abbas aliquo librorum ſuorum loco Prophetas aliquando ſine inſpiratione, in libris ſacris ſcripſiſſe ſtatuerit, pro periculoſo dogmate declaratur, ex abuſu *Richardi Simonis* Criticæ V. Teſt. itemque ex Peirerio Præadamitarum inventore, & Spinoſa hauſto. His cenſoribus, ſive ſerio ſive ex compoſito, ſuus etiam ſupervenit cenſor, qui per epiſtolam tractatui annexam, quædam ab illis dicta corrigit, & Abbatem vel defendit vel excuſat, ita tamen ut haud magnam ab eo gratiam reportaturus eſſe videatur, quia eundem alicubi non minus falſe arguit. *Hiſtoriæ Criticæ* apologiam quandam facit, notans, Eccleſiam ex principiis a Simone poſitis (quia nempe Scripturæ autoritatem a traditione potiſſimum petit) non minus lucrari, quam ex aliorum doctorum placitis.

RELATION D' UN VOYAGE DES INDES Orientales, par Mr. Dellon, Docteur en Med.

hoc eſt:

Relatio Itineris per Indiam Orientalem, autore Dn. Dellonio, Medic. D.

Pariſiis apud vid. Bieſtkins 1685 in 12.

INnotuerunt equidem dudum per ſcriptores non paucos res utriusque Indiæ, nec amplius cum admiratione a nobis ſuſcipiuntur, quæ de illarum regionum genio peregrini ediſſerunt; peculiaris tamen delectationis ſenſum lectio hujusmodi relationum inſtillat, quoniam fere de rebus, ſi, ut dictum eſt, non penitus inauditis, ſaltem

rarioribus instruunt. Autor ejus, quem nunc memoramus, libri per decem annos integros in India orientali commoratus, eo rectius observare potuit, quæ ad illustrandam historiam naturalem pertinent, quod medicam artem profiteretur, & sic in causas effectuum penetraret. Itaque vulgares errores aliquando notat, ab aliis prætermissa supplet, succinctaque cæterum brevitate efficit, ut libellus magna cum voluptate pervolvatur. Commendandus est inprimis tractatus ad calcem libri adjectus, in quo de morbis partim in India grassantibus, partim Europæos, dum illuc navigant, invadentibus agit, & exponit, quo medendi artificio Indi mala corporis profligare, & pristinam valetudinem restituere conentur.

THEOLOGIA DIDACTICO-POLEMICA.

sive

Systema Theologicum Joh. Andr. Quenstedt, D. & P. P. in Academia Wittebergensi.

Witteb. apud Joh. Ludolph. Quenstedt & Schumacheri hæredes, anno 1685, in fol.

NOn est utilior nec ad discendum aptior ulla methodus, quam diffusas doctrinæ partes in certa capita distribuere, connectere deinde illa, suoque proponere ordine atque explicare. Apud Theologos nomen ipsi proprium Systematis aut Locorum Theologicorum, quales inter nostrates primus conscripsit Melanchthon, quem, sed cautius atque accuratius, secuti sunt Theologi omnino maximi, Chemnitius, Hutterus, Brochmandus, Gerhardus, Calovius, Schertzerus, interque alios adhuc viventes Maxime Reverendus hujus Operis Autor. Occasionem, quam ad colligendum illud per sex & triginta Theologicæ Professionis annos in exercitiis tam publicis quam privatis nactus est; Rationes itidem, quæ ad editionem ejus, apographa inprimis non absque mendis passim divulgata atque multiplicata, ipsum permoverunt, in præfatione candide atque prolixe enarrat, imo *οἰκονομίαν* totius scripti clare atque accurate tum in præfatione, tum in titulo ipso exprimit, eaque hæc est. Duæ nimirum ejus sunt partes, sive sectiones, altera Didactica, altera Polemica. *In illa* omnes & singuli fidei Christianæ Articuli, juxta causarum seriem, perspi-

perspicue traduntur, necessariis notis explicantur, & dictis Scripturæ fundamentalibus, justo commentario illustratis & explanatis, firmantur. *In hac*, in quavis controversia 1.) verus quæstionis status, remotis falsis statibus, rite formatur; (2) orthodoxa sententia verbis simplicibus proponitur; (3) singula theseos membra per breves & perspicuas observationes & distinctiones uberius exponuntur; (4) Antithesis omnium hæreticorum & heterodoxorum, cum veterum tum recentiorum, verbis ipsorum adducitur; 5) dicta Scripturæ thesin probantia ex priori sectione breviter repetuntur; (6) ab Adversariorum exceptionibus & corruptelis vindicantur; (7) Argumenta contraria, si non omnia, tamen præcipua, solvuntur & refutantur; ac denique (8) Autores thesin orthodoxam oppugnantes & propugnantes subjiciuntur. Additi etiam sunt indices locupletissimi capitum & quæstionum; deinde dictorum Scripturæ, explicatorum & vindicatorum; tandem ipsarum etiam rerum, nominum ac verborum.

RARIORA MAXIMI MODULI NUMISMATA selecta ex bibliotheca Casparis Carpegnæ S. R. E. Cardinalis, & doctissimis Josephi Monterchii commentariis illustrata.

Amstelodami apud Henr. Wetstenium, 1685, in 12.

QUam insignem elegantioribus literis ac universæ eruditioni utilitatem afferant antiqua numismata, post alios omnium elegantissime docuit vir illustris & non minus negotiorum publicorum, quæ Potentissimi Electoris Brandeburgici auctoritate in Christianissimi Regis aula prudenter & ex dignitate gerit, quam omnis eruditionis reconditæ, quam vasto ingenio complexus est, laude celeberrimus Ezechiel Spanhemius, doctissimis *de præstantia & usu numismatum antiquorum* dissertationibus. In quibus præter alia id quoque observat, quod cum pleraque alia vetustatis monumenta passim privatorum studiis excolantur; nummos tamen veteres supra istorum fastigium vel sors sua vel dignitas evexerit, ut vix alibi quam in Cæsarum, Regum, Principum, illustrium Togatorum,

& ampliſſimi cujusque ordinis Virorum contubernio agant, inque celebritate verſentur. Cujus rei fidem faciunt *quatuor & viginti* inſignia maximi moduli numiſmata e cimeliarchio Cardinalis *Caſp. Carpegnæ* depromta, & a Joſepho Monterchio commentationibus eruditis illuſtrata. Nam cum in armariis Purpurati iſtius plurima nummorum diverſæ magnitudinis, ex auro & argento conflatorum, aliaque antiquitatis monumenta aſſerventur, iſta autem majora numismata, in eum potiſſimum finem cuſa, ut Imperatorum rerumque ab iis geſtarum memoria conſervaretur & ad poſteros propagaretur, reliqua omnia dignitate & præſtantia ſuperent: publici juris facienda, & ſculpenda, ac obſervationibus explicanda duxit Monterchius, haud exiguam gratiam ab antiquitatum harum elegantiarumque ſtudioſis meritus. Iſte libellus cum Italica lingua ſcriptus extiterit, in Latinam translatum, ut tanto plures eruditi eo fruerentur, evulgavit Henricus Wetſtenius, de literis earumque cultu præclare hodie merens apud Batavos bibliopola: qui ſelectos *duos Antoninianos nummos* primæ magnitudinis, ex bibliotheca Card. Camilli depromtos, atque a Joh. Petro Bellorio commentariolo illuſtratos, appendicis loco adjecit. Ad *priorem* nummum ratio exponitur, qua olim Kalendis Januarii, cum conſulatum auſpicarentur Imperatores aut alii deſignati conſules, & ab ipſis adeo novus annus aperiretur, lætis precationibus ac ſolennibus votis pro ipſorum incolumitate & felicitate nuncupatis, populus proſecutus eſt principes ſtrenasque obtulit: nec Kalendis tantum Januarii, ſed ſuſcepti imperii die quovis, in quem iſtud inciderit, vota a ſenatu & populo pro ſalute Imperatorum ſuſcepta fuiſſe, ſolennibusque ſacris & fauſtis apprecationibus celebratum eum fuiſſe p. 13 annotatur: ſuſcepta autem in Decennium & Quinquennium, unde votorum decennalium & quinquennalium ſolennitas invaluerit, pag. 26 obſervatur. Ad *poſteriorem* de Antoninis diſſeritur, & num Pii, num Marci Aurelii filii Annius Verus & Commodus, qui in eo exhibentur, intelligendi ſint, diſquiritur.

C. Va-

C. VALERII CATULLI, ALBI TIBULLI, & Sex. Aurelii Propertii opera, interpretatione & notis illuſtravit Philippus Silvius T. E. C. P. juſſu Chriſtianiſſimi Regis in uſum Sereniſſimi Delphini.

Pariſiis, 1685 in 4.

PRæſtantiſſimos Latinæ linguæ auctores in uſum Delphini Galliarum auſpiciis Regiis adhuc editos illuſtratosque, non ſemel memoravimus. Acceſſerunt eorum numero Poetarum & Amorum triumviri *Catullus*, *Tibullus*, *Propertius*, quos V. CL. Philippus Silvius eadem ratione ita exornavit, ut paginis ſingulis metaphraſin, deinde annotationes ad loca difficiliora: ſeorſum autem cuique horum poetarum abſolutiſſimum Indicem verborum ſubjecerit, præmiſſis illorum vitis, ex Alexandri Guarini, Petri Criniti, & Lilii Giraldi deſcriptione. Quod vero elegantes hi poetæ interdum laſciviores ſunt; reſecta clariſſimus Editor obſcœna voluit, ut ante ipſum in Martiale fecerat Vincentius Colleſtus. Ne quid autem deſideretur, typographus & illa ſeparatim, quanquam ex aliena interpretatione, ita reſtituit, ut ſejungi ac retrahi facillime poſſint, ſi moribus legentis inde periculum metuitur.

DAVIDIS ABERCROMBII M. D. DE VARIAtione Pulſus obſervationes. Acceſſit ejusdem Autoris Novæ medicinæ tum ſpeculativæ, tum practicæ clavis.

Londini apud Sam. Schmit 1685, in 8

INnotuit jamjam Abercrombius literario orbi ex *Tuta ac efficaci Luis Venereæ ſæpe absque mercurio, ac ſemper absque ſalivatione mercuriali curandi methodo*; nunc vero magis ejus nomen inclaruit ex duplici hoc novo, obſervatione ac experientia multifaria

faria referto ſcripto. Primum ex his de Variatione & Varietate Pulſus, duabus partibus conſtat, quarum prima variationem pulſus examinans in genere ordinarium motum arteriarum, quem pulſum dicimus, conjunctim ab arteriarum, muſculorum ac ſpirituum motu dependere, ſect. I. probat. In ſeptem autem inſequentibus ſectionibus, quomodo clima, tempus, temperamentum, ætas, diæta, paſſiones animi & morbus, inæqualem & inordinatum reddant arteriarum motum explicat. Altera pars varietates pulſuum ſiſtit cum ſignis prognoſticis. Initium facit ſect. I. a generali diviſione pulſus in æqualem ac inæqualem, inæqualem deinde rurſus dividens in celeriorem & pigriorem, fortiorem ac debiliorem. Sect. II. de pulſu agit continuo ac interrupto, ſect. III. de intenſo ac remiſſo, ſect. IV. de profundo ac ſuperficiali, & denique ſect. V. de ſaltatorio, tremulo ac erratico. Quod prognoſin ſingulorum attinet, docet Autor pulſum fortiorem ac debiliorem nunquam præſentaneo periculo carere; interruptum, deficientem, profundum, tremulum & erraticum vires jam attritas, brevique inſequentem mortem, vel ſaltim animi deliquia, apoplexiam & paralyſin indicare. Intenſum tamen pulſum ſolummodo intemperiem corporis calidam; ſuperficialem, ac ſubſultorium robur naturæ, humorum commotiones, aut partium obſtructiones ſignificare.

Sequitur Nova Medicinæ tum ſpeculativæ tum practicæ clavis, quo in ſcripto Auctor noſter unice occupatus eſt, ut vires materiæ medicæ hactenus non niſi ſummo labore ex medicorum obſervationibus vel propria experientia addiſcendas, compendioſiori via, ſcilicet ſolo guſtu inveſtigari poſſe demonſtret. Decem vero & octo propoſitionibus negotium hoc abſolvit, potiſſimum in illis acerba, auſtera, acida, dulcia, ſalſa, amara, acria ac inſipida ad examen vocans, inque ſingulorum naturam & facultatem medicamentoſam ſtudioſe inquirens. Oſtendit inſuper de ſingulis ſaporibus, quomodo qualitates ſuas ſapidas organo guſtus imprimant. Acerbum namque tantum deſiccare ac contrahere linguam, ſed acidum præterea exaſperare, dulcia & pinguia inungere, ſalſa detergere & abluere, amara detergere, exaſperare & corrodere ipſam, acria denique mordicare ac caloris ſenſum ſimul communicare perhibet. Univerſus tamen hic labor ſuperſtruitur hypotheſi quatuor qualitatum primarum, ex quarum diverſa combinatione tum naturam ſaporum, tum operandi rationem poſtmodum eruit. Sic v.g. acerba, & quæ gradu ab his differre dicit, auſtera & acida, frigida pronunciat, adeoque vim adſtringendi, repellendi, æſtum compeſcendi reliquosque frigiditatis effectus ipſis aſſignat. Amara e contra & acria pro calidis venditat, hincq; contrarias virtutes de ipſis prædicat. Similiter explicat naturam dulcium, ſalſorum, pinguium & reliquorum ſapidorum; ſed recenſere iſta ſuperſedemus, cum ſcripti hujus exiguitas vix prolixiorem relationem requirat.

OBSERVATIONES DE ORTU AC VEGETATIONE PLANTARUM, CUM NOVARUM STIRPIUM HISTORIA, ICONIBUS ILLUSTRATA, AUTORE JOH. BAPTISTA TRIUMFETTI BONONIENSI, PHIL. & MED. D. IN ROMANA SAPIENTIÆ UNIVERSITATE SIMPLICIUM MEDICINAL. LECTORE, NEC NON HORTI MEDICI PRÆFECTO.

Romæ, typis D. A. Herculis, 1685, in 4.

DUm illuſtratos Botanicorum ſcriptis Bononiæ, Patavii, Piſarum, pluresque extra Italiam hortos meditatur Autor, ſui quoque muneris eſſe intelligit, Romanæ Sapientiæ inſigne Viridarium, raris vegetabilibus dives, ſimili ratione notius reddi erudito orbi. His itaque impulſus Obſervationes circa plantarum ortum prima vice enititur, conatu æque ac partu laudabili. Inprimis veritati repugnare docet, quod vulgo nunc dicitur, omnia ex ovo eſſe, quandoquidem per experientiam conſtet, alias plantas quidem e ſemine naſci manifeſto, alias vero ex obſcuro & ſaltem analogo. Circa priorem naſcendi modum monet, perperam a nonnullis fructus ac ſemina quædam e.g. uvarum corinthiac. fragarum, mali punici, haberi pro ſterilibus, cum tamen contrarium experientia propria edoctus ſit aliquoties. Curioſum autem eſt, ſemen hyppolapathi ab aeris ſolisque acceſſu ſervatum, in vitreo vaſculo germinaſſe ac radices egiſſe, abſque terræ vel aquæ admixtione; item ſemen aurantii intra pomum exſiccatum, & ſemen clypeiformis cucurbitæ intra hanc putrefactam germina produxiſſe illæſa. Præterea ut demonſtret, ideam ſeu prima rudimenta vegetabilium in ſemine actu non contineri

aut ſpectari, adducit nonnullorum mores, quæ prima folia a reliquis longe diverſiſſima emittere ſolent; & quod magis mirandum, eorum quædam plane degenerare, adeoque priſtinam figuram exuere teſtatur ἀυτόπης, dum non modo ſemen lolii in triticum, ſemen apii criſpi in vulgare apium, ſemen Dauci ſec. Plin. Col. in paſtinacam ſylveſtrem, ſed & germinantes jam plantas, præcipue varias ſpecies ſiſymbrii in calamintham montanam commutari vidit. Plura hanc in rem obſervata promittit in peculiari tractatu, de plantarum metamorphoſi aliisque phænomenis, propediem edendo. Nec prætereundum eſt, quod porro circa ſemina annotavit, nimirum illud corculum, quod in ſemine obſervatur, & ab omnibus pro vero ſemine habetur, ſi eximatur e caſtanea nuce v. gr. aut amygdalis, vel cucurbita, non germinare, quanquam omni cura concredatur terræ; nihilominus negat contra Rajum, in foliis illis binis ſeminalibus primum e ſemine prodeuntibus elaborari ſuccum nutritium, iisque ſublatis plantulam emori; contrarium quippe expertus eſt in ſemine phaſeoli & catuputiæ majoris. Circa ea vero vegetabilia, quæ e manifeſto ſemine ortum non habent, docet quædam etiam ſponte ſua provenire, ut muſcos & fungos; alia naſci e ſeminis analogo, ſeu principio quodam activo, quod tamen non includatur ſemine ovo ſimili. Inter alia enim tentamina curioſa notavit, e minimis fruſtulis Tithymali variarum ſpecierum enatas plantas tithymalum myrſinten, characiam & cyparíſſiam.

Interea vegetabilia quædam hactenus nondum deſcripta accurate delineantur; Acetoſa ſcutata repens, Bellis minima annua, Buphthalmum alpinum flore candido, Carduus humilis aculeatus Ptarmicæ Auſtriacæ foliis, Carduus picnopolycephalus paluſtris, Carduus picnopolycephalus ſylveſtris, Cyanus major alpinus foliis inciſis, Convolvulus ſerpens maritimus ſpicæfolius, Chryſanthemum corymbiferum Africanum, Horminum ſanguineum aſphodeli radice, Horminum verbenæ laciniis anguſtifolium, Jacea cinerea laciniata flore purpureo, Jacobæa ſupina maritima, Linaria annua anguſtifolia floſculis albis longius caudatis, Muſcus maximus ceratoides, Phaſeolus Indicus cochleato flore, Phyllitis minor, Ptarmica alpina matricariæ foliis, Succiſa alpina globulariæ foliis, Succiſa anguſtifolia paluſtris. Plura vel a ſe ipſo obſervata, vel communicata a fratre, *Lælio Trionfetti*, Profeſſore Botanices Bononienſi recenſet

TAB. VII. ad a. 1686.
pag. 219.



Phaseolus Indicus cochleato flore

I. C. Böcklin sculpsit.

recenſet, ſed ob defectum figurarum æri incidendarum nonniſi nominetenus afferre voluit. Ex iis autem, quas deſcribit plenius, nos invitavit præ cæteris elegantia Phaſeoli Indici cochleato flore, ut ejus figuram, prout pag. 93. habetur, hic loci apponeremus, reliquis tamen eo ipſo nihil detrahentes. TAB. VII.

CAROLI SIGONII DE REPUBLICA EBRÆORUM libri VII, variis annotationibus in lucem editi a Johanne Nicolai.

Helmſtadii, apud Georg. Wolfgang. Hammium, 1686 in 4.

QUi libros in officinis non paſſim obvios, utiles tamen ſtudioſæ juventuti recudi curant, aut etiam notas adjiciunt, non minus bene de re litteraria mereri, ac illos, qui novos qualicunque ſtudio componunt, puto apud doctos nulla probatione indigere. Quam ob cauſam *Editor* libri hujus variis annotationibus aucti, operam ſane ullilem inſumſiſſe cenſendus eſt, quod ex diverſis philologorum commentariis notas collegerit, quæ vel doctiſſimi Sigonii libris lucem fœnerantur, vel etiam quæ in illis breviter notata ſunt, fuſius exponunt. Id quod juvenibus S. philologiæ addictis non poteſt non gratiſſimum eſſe : præſertim cum nemo ſacros libros evolvere cum fructu queat, niſi Ebraicorum ſacrorum, ſacerdotum, conſiliorum, judiciorum, magiſtratuum & diſciplinæ Judaicæ peritiam qualemcunque habeat. Hæc vero ex laudatis Sigonii libris, quos grandis jam natu, maturo judicio & cura ſcripſit, adhibitis doctis editoris annotationibus, comparari poteſt. Summa illorum capita, cum eruditioribus dudum ſint nota, heic recenſere ſuperſedemus; indicem vero annotationum editor ipſe adjecit locupletiſſimum. Qua occaſione nec id ignorare lectorem benevolum ſinimus, *Octavii Ferrarii* non *libros* tantum ſeptem *de re veſtiaria*, doctorum manibus dudum tritos, quorum priores tres anno noſtri ſeculi quadrageſimo ſecundo, quatuor reliqui quinquageſimo quarto editi jam fuere, ſed & *Analecta de re veſtiaria* Alberto Rubenio oppoſita, quæ anno demum ſeptuageſimo lucem adſpexerunt, ſuperiore anno Patavii typis P. M. Frambotti denuo excuſa : *Ignatii* etiam *Bomplani* ℔ Soc.

Jesu scripta, *Historiã nempe Pontificatus Gregorii XIII* Romæ olim anno 1664, & *Orationes* ibidem anno 1661 publicatas, quorum exempla in Germaniam pauca fuerunt perlata, Dilingæ superiore itidem anno, sed non sine mendis recusa esse, venumque apud Johannem Federle prostare.

RELIGIO: CASTRAMETATIO: DISCIPLINA Militaris & Balneæ veterum Romanorum. Auctore Guilielmo du Choul.

Amstelodami, apud Janssonio-Waesbergios 1685, in 4.

SAtis forte fuerat & illa *Choulii*, perinde ac *Ferrarii* & *Bomplani* scripta nominasse tantum, quia nova non sunt, imo illis longe antiquiora. Astvisa tamen sibi sunt peculiarem articulum vindicare, quia novo ornata habitu in publicum prodeunt, & nunc demum Latinum in sermonem translata orbi erudito exhibentur. Autor eorum *Guilielmus du Choul*, Nobilis Lugdunensis, Consiliarius Regius, & montanorum Delphinatus Prætor, opera hæc Lugduni primum Gallico sermone anno 1556 edidit, primumque *de Romanorum veterum religione*, quod præcipuum est, Urfeo equiti, reliqua Henrico II Galliarum Regi dedicavit; id unum habens propositum, ut Romanas illas Antiquitates, ope veterum numismatum & lapidum, quo in studio paucos illa ætate duces habuit, traderet & illustraret. Tanto vero cum applausu scripta hæc variam & elegantem eruditionem præ se ferentia, & nummorum lapidumque iconismis exornata, excepta ab eruditis fuere, ut non Gallica solum eorum editio repetita aliquoties, novissime vero Vesaliæ anno 1672 fuerit, sed & in Italicam tralata linguam Lugduni anno 1556, ac ibidem Hispanice anno 1579 prodierint, forte &, quod audivisse se *Patinus* in Historia Numismatum memorat, in Germanicam linguam translata. Eo vero & mirandum magis, quod tanto tempore nemo fuerit, qui Latinam eorum editionem adornandam susceperit; & præclarius memoriæ doctissimi Viri, multorum etiam commodis consuluere typographi Amstelodamenses, & quisquis novæ versionis auctor extitit, dum latine reddita Chouliana opera

opera resuscitarunt quasi, & plurium usibus patere voluerunt. De argumentis eorum ut dicamus, cum & titulus operum ea exprimat satis, & dudum doctis innotuerint, necesse non est. Cæterum ut glaciem velut Choulius fregit, posterisque viam qua in hoc studiorum genere progrederentur præivit; ita si non ubique acu rem tetigit, *erit*, ut illud *Patini* p. 154 nostrum faciamus, *mel legendum e floribus, cæteris posthabitis.*

SUITE DU GENIE DE LA LANGUE Françoise,

sive,

Genii linguæ Gallicæ continuata expositio.

Parisiis, apud Laur. d' Houry, 1685 in 8.

CUm meminerimus, mense Novembri anni præcedentis libellum a nobis indicatum esse, cui titulus erat: Genius linguæ Gallicæ; non potuimus quin & ejusdem continuationem, quæ nunc ad nostras venit manus, vel tribus verbis lectori curioso pariter notam faceremus. Scilicet diximus tum, tertiam operis partem ab autore promitti, de puritate & elegantia styli tractaturam: fidem proinde jam non liberat tantum, sed & adhuc præmittit supplementum secundæ partis, pronunciationem concernens, quæ nempe ejus idiomatis non satis gnaros nimium quantum vexat. In parte tertia agit de usu ac significatione genuina vocum per singulas orationis partes, phrasium item ac figurarum grammaticarum, aliisque, quæ stylum aut commendare aut deformem reddere creduntur. Methodum quoque eandem, quam in priori volumine, servat, ordine nimirum recitans annotationes a tribus illis Gallicæ linguæ criticis, quos tunc nominavimus, habitas, subnexo qui universas uno obtutu exhibeat, copioso earum indice. Cæterum mirum est, quantum Varrones hi hinc inde super vocularum phrasiumque bonitate discrepent, dum alter probam, alter penitus reprobatam asserere deprehenditur, cum tamen uterque, utpote in lingua moderna & vivente, usum pro se alleget. Certe si usus vocabulorum tyrannus dici meretur, consequens est, rempublicam eloquentiæ Gallicanæ a

tyrannis diversarum factionum distrahi. Discrepantia tamen ista dubio procul maximam partem debetur frequentibus, quibus hoc idioma subjacet, mutationibus: quas ipsas vero mirabitur nemo, qui genium linguæ plerumque ex nationis genio aliquid trahere perpenderit.

GOTTFRIDI KIRCHII EPHEMERIDES MOTUUM cœlestium, ab anno 1681.

Lipsiæ apud Hæredes Lanckisianos, in 4.

Occupavit dicto anno 1681 laborem hunc supputandi Ephemerides ex Tabulis Rudolfinis industrius hic Astronomus, cum animadverteret neminem clarissimo Heckero, qui easdem ad annum usque 1680 produxerat, adhuc dum successisse; e re tamen publica orbis eruditi arbitraretur, ejusmodi prostare diaria, ad quæ tutus iis receptus foret, quibus cœli vicissitudines consulturis, vel molestum nimis esset, vel etiam minus promtum aut familiare, calculi astronomici exercitium. Causam sibi tamen esse putavit, cur singulis tantum annis suas, hoc est singulas præmitteret: cui instituto etiam per hoc sexennium constanter inhæsit, & porro, Deo vitam impertiente, inhærebit. Compensat autem editionis hanc veluti moram, luculenta rerum astronomicarum appendice: siquidem præter ea, quæ Ephemeridibus sunt propria, & Planetarum ortus atque occasus, sub altitudine 50° 30′ ad dies singulos; & eorundem stellarumque fixarum insigniorum occultationes a Luna, quotannis exhibet; præcipue vero selectiorum observationum a se cum cura habitarum varia mantissa, cœlestem Eclipsium, occultationum sideriarum, conjunctionum, macularum & facularum solarium, pareliorum notabiliorum, Cometarum &c. historiam pro virili exornat.

Est vero singularis, & merito suo memoranda observatio, circa novam in collo ceti stellam, anno 1684 & 1685 iterato sæpissime studio Autoris frequentata, qua stellam hanc hucusque oculis identidem nostris, etiam tubo quantumvis potenti armatis, impervestigabilem creditam, in maximo sui decremento per tubum opticum quatuor pedum constanter, & citra ullam difficultatem conspicuam habuit. Quod phænomenon ut aliis, experimentum ejus capturis

ris tanto esset evidentius, stellulas alteri illi circumjacentes, sed nudis oculis utplurimum inconspicuas, certis literarum notis distinxit, æriqne incisas peculiari schemate, sub finem Ephemeridis anni 1686, proxime lapso anno publicatæ, in gratiam curiosi Lectoris exhibuit.

CATALOGUS CODICUM MANUSCRIptorum Bibliothecæ Paulinæ in Acad. Lipsiensi, concinnatus a L. Joachimo Fellero, Poes. PP. & Academ. Bibliothecario, cum ejusdem Oratione panegyrica in memoriam D. Casparis Borneri, primi Acad. Bibliothecarii.

Lipsiæ, apud Joh. Frid. Gleditschium 1686 in 12.

Cum ante decennium Bibliothecarii Academici spartam nactus fuisset CL. Fellerus noster, temperare sibi non potuit, quin Manuscriptos Paulinæ Codices ex Catalogis priscis (nam in illis Manuscripti impressis permixti sunt) excerperet, & una cum oratione, quam tanquam Bibliothecariatus auspicatoriam de *ortu & incrementis Paulinæ* habuerat, in publicum evulgaret. Nam uti Bibliothecarum aliarum manuscriptos codices jam dudum editos esse non ignorabat, ita nec Paulinos orbem literarium diutius clam esse volebat. Posteaquam autem manuscripta Paulinæ omnia volvere ac revolvere cœpit ipsemet, tum longe majorem horum numerum deprehendit; plenioremque ideo ac magis accuratum Manuscriptorum Paulinorum Catalogum adornare instituit, qui nunc luci publicæ exponitur.

De cætero quoniam *D. Caspar Bornerus*, Theologiæ Professor, id olim penes Serenissimum Saxoniæ Electorem MAURITIUM, glorioſissimæ memoriæ, effecerat, ut non monasterium tantum Paulinum, quod Dominicanorum antehac habitaculum fuerat, Academiæ donatum, sed & libri ex circumjacentibus Cœnobiis in Paulinam transvecti fuerint, orationem in memoriam ejus perennem a se scriptam, Catalogo Manuscriptorum Paulinorum præmittere voluit. In dedicatione, qualem invenerit Bibliothecam, & quomodo eam reformarit, adornarit atque auxerit, Superioribus suis ex vero exposuit. In præfatione ad Lectorem, quid rariorum librorum

in excussione Manuscriptorum invenerit (quos inter nonnulli sunt inediti, v. g. *Genesius* Historiæ Byzantinæ scriptor, *Macarius* Alexandrinus de exitu animarum piorum & impiorum, *Johannis Tzezæ* exegesis in Homeri Iliada, *Suffridi* Misenensis presbyteri Compendium Historiarum, aliique plures) in vestibulo quasi indicavit. Et quia veritus est, ne lectores tot librorum lectione, & barbaris quorundam inscriptionibus defatigarentur forte vel offenderentur, versus monachorum ac librariorum Leoninos, in quos post tædiosam laboriosamq; Manuscriptorum codicum excussionem subinde inciderat, utut barbaros & in legem pediam ex parte injurios, tanquam corollaria non injucunda annexuit.

LIBRI NOVI.

S.P. Athanasii Archiepiscopi Alexandriæ Opera, quæ reperiuntur, omnia. Editio nova juxta Parisinam anni 1626 adornata, editionibus aliis hactenus vulgatis locupletior. Coloniæ apud M.G.Weidman, 1686, in fol.

Basilii Fabri Thesaurus Eruditionis Scholasticæ per Augustum Buchnerum recensitus, plurimisq; aliorũ doctissimorum virorum observationibus insigniter auctus. Huic novæ editioni a plurimis mendis repurgatæ accesserunt præter indicem Latinum rituum & antiquitatum, Germanicum item dictionum & phrasium; infinita pene vocum & exemplorum supplementa; eaque singula, sicut & prius edita, Auctorum optimorum fide, uniuscujusque libro, capite, versu adnotatis, diligentissime probata, cura & studio Christophori Cellarii. Lipsiæ apud J. F. Gleditsch, 1686, in fol.

D.J.Bohnii P.P. Circulus Anatomico-Physiologicus, seu Oeconomia Corporis animalis; h. e. Cogitata functionum animalium potissimarum formalitatem & causas concernentia. Lipsiæ apud eundem in 4, 1686.

GeorgVVolffg.VVedelii P.P.Pharmacia acroamatica. Jenæ apud Joh. Bielkium, 1686. in 4.

EjusdemExercitationum Medico-Philologicarum Decades duæ. Jenæ apud eundem 1686, in 4.

Joh. Frid. Rhetii Disputationum selectarum ex utroque jure in Academia Electorali Francofurtana habitarum Volumen I. Francof. ad Viadrum apud J.Schrey & H.J.Meyern 1686, in 4.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Maji A. M DC LXXXVI.

D. JOHANNIS BOHNII PROF. LIPS.

Circulus Anatomico-Physiologicus, seu Oeconomia Corporis Animalis, hoc est, Cogitata, Functionum Animalium potissimarum Formalitatem & Causas concernentia.

Lipsiæ sumptibus Joh. Frid. Gleditsch. 1686, in 4.

UTi Circulus alias Mathematicis figurarum perfectissima salutatur; ita & Circulum præsentem, cujus centrum profunda Mechanicæ Animalis deprehenditur cognitio, perfectionis gradu inter reliqua Physiologica hactenus quidem edita Systemata eminere, non immerito forsan pronunciaremus, nisi decantata Autoris celeberrimi modestia, cum solida ejus eruditione paria omnino faciens, mox in Præfatione ad Lectorem præconium hoc amoliri maluisset. Quanta nihilominus capacitate Circulus hic gaudeat, oppido e levi saltem XXX Progymnasmatum, a quibus veluti radiis tota ipsius peripheria in totidem secatur partes, obtutu constabit. I. Progymnasma, Generationis ac Conceptionis doctrinam exponens, materiale fœtus principium, quod ovulo inclusum, ac a semine masculino, tanquam formali principio, per porosam uteri substantiam ad ovarium delato fœcundandum declaratur, a sola deducit fœmina, ac fundamenti loco accuratiorem ovorum supponit inspectionem, qua constet, in subventanei æque ac fœcundati ovi cicatricula, sacculum quendam cinereum cum incluso corpusculo albicante animadverti; sub hac tantum disparitate, quod pulli caput & carina distinctius in fœcundo, in hypenemio confusius & instar molis informis appareat, illudque

circulis diverſis circumvalletur; hoc vero appendices tantum retiformes magisque irregulares obtineat. In II Progymnaſmate, dum Fœtus Vita & Nutritio delineantur, humor tunicæ Amnii, præter quam & Chorion nulla Allantoides in homine agnoſcitur, potiſſimum ab ipſius Fœtus derivatur mammillis, veluti quæ in infantibus recens natis, pueris non minus ac puellis, ſeroſo turgeant lacte, & quidem ita, ut, ſi hoc non tempeſtive rite exprimatur, eadem cum nutricibus a lacte coagulato pathemata, indurationem videlicet, inflammationem ac ſuppurationem, experiantur. III Progymnaſma, Partus tempus ſolenne, ejusque cauſas ſtimulantes & moventes, item ſubſequentia Lochia evolvendo, ſimul de *Harveano* diſquirit *Problemate: qui fiat, ut infans in lucem editus, membranis integris opertus & in aqua ſua etiamnum manens, per aliquot horas citra ſuffocationis periculum ſuperſtes ſit; idem ſecundis exutus, ſi ſemel reſpiret, poſtea ne momentum quidem temporis absque eo duret, ſed confeſtim moriatur*? hujusque ſolutionem evidenter ab aere extrinſecus ſuperveniente nectit, habitum fœtus externum mox ita comprimente, ut principium vitale intrinſecum, niſi ab aeris exterioris jugi influxu enutriatur ac perpetuetur, fatiſcere demum debeat. Interim an Experimentum hoc Harvei perpetuæ cenſendum ſit veritatis, ob binas hiſtorias, quæ ſtuporis plenæ recenſentur, pariter ambigitur. Progymnaſma IV Principium vitale non Ens quoddam Hypoſtaticum, ſed modum tantum ſanguinis eſſe ediſſerit, utrumque ſcilicet hujus motum, tam inteſtinum, quam progreſſivum, quorum illum quidem vitæ primum ac radicativum, hunc vero communicativum appellitat principium. Inteſtinus ſanguinis motus, licet congenitus, perpetuandus tamen a motu ambientis fluidi ostenditur; ab Aeris quippe particulis quibusdam, naturæ videlicet inter ſubtiliores ac craſſiores intermediæ, & craſſioribus ſanguinis moleculis, æqualiter invicem pugnantibus, omnem noſtram proficiſci vitam ſeu motum vitalem indigitatur; ipſa vero vita, quæ ſolidis partibus a ſanguine in progreſſivo communicatur motu, inſtar ſtimuli concipitur, quo cunctæ partes ad motus vitales præſtandos continuo & intrinſece irritentur, licet movendi vim aliunde, nempe a cerebro & nervoſo petant genere. Hinc & ipſam Reſpirationem, quam neque hujus neglecto ſtimulo Progymn. V dilucidat, vitali

vitali principio immediate magis præeſſe colligitur. Progymnaſma VI Sanguinis proſequitur Circulationem, idemque experimentum, quod Venetiis in Academia Sarroti primum tentatum in Actis noſtris Menſ. Semtembr. anno 1684 legitur, ab Autore pariter eodem ſucceſſu adornatum recenſet. In Progymnaſm. VII duplex Nutritionis neceſſitas, altera vitalis principii conſervatio, altera vero ſolidarum partium firmatio & augmentatio, evincitur; ipſa autem materia nutritium vindicatur ſerum. In IIX Progymnaſm. Appetitus Ventriculi exponitur, ac ſalivam ſæpius non tam a fame, quam a cauſa famem intendente, moveri juxtim innuitur, i. e. aquoſiorem, poſt nutritiarum molecularum depoſitionem, redditam lympham anguſtiora glandularum ſalivarium colatoria uberius permeare, & ad os deponi. Progymnaſma IX Alimentorum aſſumptionem edocet, rationemque, cur liquida difficilius nonnunquam ſolidis deglutiantur, a reſolutis pharyngis deſumit muſculis; quoniam tali in caſu nec ex ore quidem potulenta moveri poſſint, ita ut dictis muſculis neceſſario & eo usque collabaſcat principium gulæ, ut illi dilatando non niſi ſolidior bolus, inſtar cunei, adæquatus videatur. Progymnaſma X circa Chylificationis deſudat negotium, Chylum nihil aliud eſſe proponens, quam particulas alimentorum lacteſcentes & gelatinoſas, ab humiditate ventriculi & inteſtinorum ſolutas, evolutas huicque ita combinatas, ut homogeneum equidem fluidum videantur conſtituere, tale tamen quod ex globulis diaphanis per liquorem cryſtallinum agitatis microſcopio armatis oculis compareat. XI Progymnaſma ſicut de Chyli. Depuratione motuq; per inteſtina, ita XII. Prog. de ejusdem Chyli per vaſa lactea agit motu, quem ad Meſenterii primo glandulas, imprimis maximam, Aſellii Pancreas appellatam; hominique falſo alias & repugnante autopſia denegatam, ideo inſtitui, ut pinguiores quædam ejus ibi ſecernantur particulæ, annotat. Has pingues namque Chyli moleculas, a venis abſorptas ac ſalinis quibusdam combinatas, tincturam ſanguinis conſtituere, in Progymnaſm. XIII aſſeritur, ceu quod plurima de ſanguine & ſero curioſe non minus atque accurate exhibet enucleata, præter alia ſanguificationem ipſam functionem eſſe ex ſimilari & organica compoſitam oſtendens, quatenus Chylus non tantum intra glandulas in partem gelatinoſam & oleoſam diſpeſcatur, aque ſero intrarenes aliisve recrementis in reliquis colato-

riis liberetur, ſed & intra pulmonum veſiculas ultimam quaſi manum ab aereis experiatur particulis. Progymnaſma XIV Urinæ dum ſecretionem per renes, ac excretionem per veſicam absque aliis viis abſolvit, denuo experimenti Venetiani ſuperius citati injicit mentionem. Teſtantur ſcilicet Academiæ a Sarroto congregatæ obſervatores, Aquæ quæ in rene Recipienti indito per arteriam ipſamque renis ſubſtantiam ad venas derivatur, ne guttulam quidem ex uretere deſtillare. Idem & hic obſervatur effectus; in alio nihilominus rene, per ureterem quaſi prætumidum & erectum aquam impetu notabili proſiliiſſe commemoratur, etiamſi ſecunda vice in eodem ſubjecto fruſtra hoc phænomenon fuerit expectatum. Progymnaſma XV de Transpiratione & Sudore tractans, vix aliud diſcrimen utramque excretionem intercedere indigitat, quam quod in ſudore ſerum intra glandulas ſubcutaneas ſecretum ſub guttularum denſitate promanet, in transpiratione vero idem ſerum ſecretum aut propter ſui paucitatem, aut propter aeris ambientis habitudinem determinatam in vaporem ſolvatur. In Progymnaſm. XVI in Menſtruam inquiritur Purgationem, hujusque cauſa ſola ſuperfluitas ſanguinis effertur, ordinarie ex vagina potius, quam uteri fundo juxta Autoris autopſiam effluentis; quippe qui in duabus diſſectis fœminis ſolam vaginam cruentam, cavum autem uteri omnis immunditiei expers vidit. Progymnaſma XVII de Epatis officio ſolicitum, bilis productionem ac motum exacte deſcribit, variasque alterationes, quas bilis ab admixtis diverſis, v. g. Spiritu vini, Aqua Cinam. Oleo baccarum junip. &c. paſſa fuit, coronidis loco ſubnectit. Progymnaſma XVIII Lienis rimatur uſum, talem hunc venditans, ut ſanguinem producat bilis generationi inſervientem; ſanguinem ſiquidem ſplenicum per venam refluum (1) nec texturam arterioſi, nec venoſi habere, ſed inter binas has mediam, (2) vero fluidum maxime eſſe & glutinoſitate potiſſima exutum ex variis experimentis circa ſanguinem ſplenicum adornatis colligitur. In Progymnaſm. XIX de Spirituum Animalium diſputatur natura, quæ demum aerea judicatur; an vero involucri ſeu vehiculi loco ſucculentiam quandam habeat adjunctam, valde dubitatur. Unde præter activas alimentorum particulas cumprimis aeris inſpiratas partes multum ſpirituum materiæ conferre, in Progymnaſmate XX de Spirituum Animalium Generatione, haud vana eſt ſuſpicio. Progymnaſma XXI eorundem Spirituum pandit Diſpenſationem per nervos, quorum ſoliditatem modo majorem, modo minorem, non tam ex uſu nervorum diverſo cum aliis ſcriptoribus, quam e ſubſtantiæ modo illo, quem dum medullam oblongatam elabuntur, aut retinent, aut demum ſuſcipiunt, eruit. Progymnaſma XXII Senſus externos, circa quorum delineationem in genere verſatur, non neceſſario tantum quinque eſſe demonſtrat. Progymnaſma XXIII Tactum attingit, ſolutionemque vexati illius Problematis: *Cur ægri interdum de membri amputati dolore conquerantur?* ſcite in ſtatu nervorum ab impreſſione priſtina relicto quærit. In Progymnaſmate XXIV Guſtatus enodandi ergo, e certo phænomeno, quod Sal commune, a quo Spiritus Nitri aliquoties cohobatus, exhibet, ſapidorum afficiendi aptitudinem non tantum a ſalium diverſa figura, ſed ab horum quoque inſimul varia magnitudine & motu emergere, elicitur. In Progymnaſmate XXV pro Olfactu exhauriendo, ipſa hominis olfaciendi hebetudo non primario ab inſtrumenti abuſu, ſed ab hujus potius conformatione, quæ in homine & brutis diverſa, derivatur. Auditus in Progymnaſm. XXVI dum inveſtigatur, ſub aquis etiam non adeo profunde hærentes motuum ſonorificorum externorum vim perſentiſcere, quatenus aer vehementiore ictu concuſſus aquam ſibi contiguam verberet, hujusque vibrationes tympanum ſimili modo ac aer liberior percellant, traditur. In Progymnaſmate XXVII Viſio luſtratur, cujus in animalibus nonnullis noctu magis, quam interdiu, peragendæ gratia, conformatio oculi diverſa, eaque quadruplex, omni luce intrinſeca rejecta, evolvitur. Progymnaſma XXVIII Internos ſcrutatur Senſus, quorum numerum incertum ad unitatem revocat, ita ut unum eundemque ſenſum internum ſeu principem concipiat, a quo nihilominus diverſæ emanent functiones, uno in loco, i.e. in medullari cerebri ſubſtantia exerceri ſolitæ. Progymnaſma XXIX quo obſtruſam motus animalis ætiologiam conceptibus licet crudis, eruditis tamen, ſuggerat, cum aliis aſſerit, in fibra motrice rite contrahenda, ſanguinem pariter, ac ſpiritum animalem requiri: non tamen collidentes aut efferveſcentes, ſed ſeorſim, quam-

vis simul, agentes. Deinde in spiritibus animalibus potentem satis supponit elasticitatem, qualicunque demum alias materiæ modo seu textura gaudeant, & talem quidem, quæ a pressione externa intendatur & quasi actuetur. Pressionem autem hanc ipsis præstari declaratur vel moderatam, a sanguine canaliculis eorum fibrosis interfluo; vel impetuosiorem, ab instinctu insuper iisdem fibris ac nervis, dum hos modo appetitus impulsus, modo objecta externa, immediate magis lacessunt, impresso: illam in musculorum tendentia naturali seu motu restitutionis, hanc in agitationibus eorum violentioribus, sive arbitrariis, sive coactis. Cum vero pressio, si continua fuerit, elateri impedimento sit, talis ea hic concipitur, quæ non exacte continuo, sed tremulo & oscillatorio quasi, (qualis in sanguine duplex observatur,) nisu agat, adeoque momentula concedat elateris expansioni seu activitati. Progymnasma denique XXX, idque ultimum, Somni & Vigiliarum exhibet tractationem, somni inchoamentum non sensoriis externis, sed cerebro in acceptis referens; quod vero sensoria nobis delassata primo appareant, ideo fieri, quod per subsidentiam illam spirituum intrinsecam, eorum emanationes ad exteriora inhibeantur, radiique hactenus in longum & latum exporrecti quasi cohibeantur & retrahantur, adeoque in his, tanquam a centro remotioribus, primo statim spirituum influxus interceptio compareat. Atque hypotheses hæ, breviter a nobis ipsismet sæpius Autoris verbis recensitæ, dum in Progymnasmatis singulis non solummodo prolixius deducuntur, sed & sententiarum adversarum destructione magis illustrantur & roborantur; limatissimum Autoris Nobilissimi judicium de Mechanica Animali nusquam non elucescit.

TRACTATUS DE LIBERTATIBUS ECCLESIÆ Gallicanæ, continens amplam discussionem declarationis factæ ab illustrissimis Archiepiscopis & Episcopis Parisiis mandato regio congregatis anno 1682.

Autore M. C. S. Theol. Doct.

Leodii apud Matthiam Hovium 1684, in 4.

Quid

Quid Clerus Gallicanus A. C. 1682 congregatus de ecclesiastica potestate statuerit, ex ejusdem declaratione quatuor articulis comprehensa nemini ignotum esse potest. Hanc declarationem etsi jam plures impugnaverint, non pœnitendam tamen operam se suscepturum existimavit præsentis tractatus autor, si propositiones istas in Parisiensi conventu decretas, & regio edicto stabilitas nova methodo convelleret, & in libertates ecclesiæ Gallicanæ, quarum naturam a nemine hactenus rite investigatam & expositam asserit, paulo accuratius inquireret, cum præsertim Antistites Gallicani libertatibus istis unice inniti videantur, famosam suam declarationem sic exorsi: *Ecclesiæ Gallicanæ decreta & libertates a Majoribus nostris tanto studio propugnatas* &c.

Istorum verborum occasione primo libro libertatum ecclesiæ Gallicæ naturam, originem & progressum explicat, ante omnia observans, multos libertatis prætextu ad rebellionem turpiter abusos suavissimum illud nomen suspectum & exosum reddidisse, neque parum ad nominis illius invidiam ex eo accedere, quod ipsi Galli in definiendis illis libertatibus admodum discrepent, & vix quisquam reperiatur, qui inter libertates ecclesiæ Gallicæ quamplurima capita non enumeret, definitionibus illis aut parum consentanea, aut maxime adversa. Communissimam tamen libertatum istarum definitionem esse tradit, quæ eas in sacrosancta antiquorum canonum custodia & observantia reponit, quod *Renati Choppini, Petri Pithœi, Jacobi Leschasserii, Christophori Justelli, Petri de Marca* & aliorum testimoniis confirmat. Verum præterquam quod hæc definitio neq; definito competat, neq; Ecclesiam Gallicanam a cæteris discernat, & novis decretis, quibus ecclesia urgente necessitate carere non possit, aditum præcludat, incertum & obscurum esse regerit, qui sint isti canones, & quousque ista antiquitas pertingat. Quod ut clarius ostendat, de codice canonum ecclesiæ universalis, de codice Dionysii Exigui, de canonibus Apostolorum, de decretis & canonibus a Dionysio Exiguo prætermissis, de epistolis decretalibus antiquorum Pontificum, de speciali ecclesiæ Gallicanæ codice, ac denique de capitularibus Regũ Franciæ singillatim agit, & tandem concludit, vel nullos vel paucissimos supersesse veteris ecclesiæ canones,

quo-

quorum fideliori custodia Francia præ aliis nationibus gloriari possit, imo potius multos in Gallia minus quam alibi vigere, & nonnullos ab ipsis libertatum vindicibus repudiari; ideoque *Petrum Puteanum* in duplici volumine de libertatibus ecclesiæ Gallicæ, rarissime ad canones antiqui juris provocantem, Regum maxime decretis, Curiarum placitis, nec non Universitatum & Comitiorum actis libertates illas stabilire.

Rectius igitur fortasse libertates ecclesiæ Gallicæ definiri posse censet, per oppressionem jurisdictionis ecclesiasticæ a laica, & depressionem autoritatis Pontificis Romani a Clero Gallicano, & minus odiose per arbitrium ex antiquis ecclesiæ decretis retinendi, aut ex novis admittendi, quæ videntur utilia. Qua definitione constituta in libertatum istarum originem, & quo tempore primum retinendorum vel rejiciendorum aut moderandorum canonum arbitrium Galli sibi sumpserint, inquirit, & rejecta *Petri de Marca* sententia, qui antiquum illius libertatis usum ex concilio Turonico & Francofordiensi, nec non ex pragmatica S. Ludovici sanctione comprobaverat, veram libertatum istarum originem ad horrendum illud schisma refert, quod inter Avenionenses & Romanos Pontifices exortum longo tempore duravit. Cum enim Pontifices sibi mutuo adversi ad tuendam suam dignitatem maximis sumtibus indigerent, eoque nomine beneficiorum collationes sibi reservarent, aliaque onera ecclesiis imponerent, Gallos, in quorum animis jam a tempore Bonifacii VIII avita erga Pontifices observantia quodammodo refrixerit, ope secularis brachii de excutiendo jugo cogitasse, liberam beneficiorum collationem & dispensationem sibi vindicasse, eb eoque tempore ad alia quoque, in quibus justitiæ minus fuerit, libertates istas paulatim extendisse scribit, conquestus, Galliã, quæ ipsa Pontifices in viciniam evocando immensis exactionibus fores aperuerit, postea ut se contra ecclesiasticam potestatem tueretur, dum ad laicam confugeret, in longe duriorem & miserabiliorem servitutem incidisse.

Libro secundo ad justitiam libertatum ecclesiæ Gallicanæ pergit, ac primum quidem constantem antiquorum canonum usum magnopere commendat, nec disciplinam semel constitutam ad quorumvis hominum arbitrium refingendam esse censet. Nihilominus

minus tamen, si evidentissima utilitas aut maxima necessitas id postulare videatur, mutatis personarum, locorum & temporum circumstantiis, ipsas quoque leges mutari posse, nec omnia decreta, quæ nova sunt, solius novitatis prætextu repudiari debere judicat. Porro novas hujusmodi leges, antequam recipiantur, expendi, earumque executionem tantisper differri posse concedit, donec Romanus Pontifex, ad quem præcipue legum ecclesiasticarum curam spectare præsupponit, melius informetur, cum lumen Spiritus S. quod ipsi adesse putat, non perpetuo illi hypocritarum fraudes, aulicorum adulationes & improborum mendacia detegat, nec semper adversus ambitiosorum importunitatem, magnatum preces, & suspecta officialium consilia immotum præstet, fierique possit, quod tamen sine gravi fundamento suspicari nefas existimat, ut summus Pontifex aliquo ulciscendæ injuriæ, congregandarũ opum, aliove pravo affectu impellatur ad præcipiendum aliquid, quod potestatis suæ limites transcendat, aut justitiæ repugnet. Negat tamen obligationem ecclesiasticarum legum ab earundem acceptatione dependere, nec prius robur suum obtinere, quam populi consensu probatæ fuerint. Quam sententiam congestis variis rationibus & testimoniis ita confirmat, ut simul contrariam *Petri de Marca* opinionem refutandam in se suscipiat, & iis etiam legibus, quarum dubia est jũstitia, parendum potius, quam sine evidenti ratione reluctandum esse judicet. Quibus ita positis, utrum nova ecclesiæ decreta in Gallia obligent, si prius examinata, & a curiis secularibus recepta non fuerint, & an tuta sit Judicum aliorumque in Gallia fidelium conscientia, si Romanæ sedis mandata circa res spirituales & ecclesiasticas rejiciant, disquirit, tolerabile ratus, si Regis, aut Senatus regii conatus eo spectent, ne regno injuria fiat, aut edicta per obreptionem & surreptionem obtenta effectum sortiantur. Eos vero qui hac occasione se Romanæ sedis judices constituunt, & sine justissimis causis decretis ejus adversantur, non libertates ecclesiæ Gallicæ defendere, sed ecclesiam Romanam pariter & Gallicam in servitutem redigere, & se omnibus censuris contra illa sacrilegia inflictis illaqueare pronunciat. Quod ut evincat, Pontifici Romano, adversus quem libertates ecclesiæ Gallicæ præcipue converti queritur, condendarum pro universa ecclesia legum potestatem competere, idque jam a primis fidei in Gallia sus-

ceptæ temporibus a Gallis creditum fuiſſe probare nititur. Tandem extremo hujus libri capite libertates eccleſiæ Gallicæ duplici fundamento niti aſſerit, nempe eccleſiæ conſenſu, ſive expreſſo ſive tacito, quantum ad leges juſtas, & jure naturali, quantum ad injuſtas, & hanc Gallicanæ a cæteris differentiam eſſe notat, quod cum cæteræ nationes ſummorum Pontificum conſtitutionibus ſe ſubjecerint, Gallia ſua etiamnum libertate perfruatur, & illis difficilius ſit impoſitum jugum excutere, quam Franciæ nunquam ſuſceptum recuſare.

Liber tertius de propugnatoribus libertatum eccleſiæ Gallicanæ agit, ad quos antequam pedem promoveat, ut poſſeſſionem ex jure, ita exempla ex regulis & legibus æſtimanda arbitratur. His præſuppoſitis primus inter iſtos libertatum defenſores occurrit *Gregorius Turonenſis*, quem autor noſter quandoque a canonibus receſſiſſe, imo & ipſam divinam legem violaſſe notat, cum Meroveo Chilperici filio apertiſſime indigno Euchariſtiam miniſtravit, quamvis in excuſationem ejus addat, quod non ex canonum contemptu, ſed nimio canonum ſtudio deliquerit. Succedit *Hincmarus Remenſis*, cujus dicta & geſta, inprimis vero contentiones cum clericis ab Ebbone ordinatis, Rothaldo Sueſſionenſi, Hincmaro Laudunenſi, & occaſione regni Lotharii ſuſceptas paulo prolixius expendit, in quibus non ita laudabiliter Hincmarum ſe geſſiſſe opinatur, ut eccleſiæ Gallicanæ gloriandum ſit, ſe talem libertatum ſuarum defenſorem habuiſſe, cum ejus doctrina in cavillationes, prudentia in aſtutiam, fortitudo in pertinaciam declinaverit. Hinc tranſit ad *epiſcopos Gallicanos*, qui nonnullos octavæ ſynodi canones averſati ſunt, quam repudiationem non libertatibus eccleſiæ Gallicæ, ſed aliis cauſis tribuendam aſſerit, cum canones generalium conciliorum rejicere licentiæ, quam libertati propius videatur. *Reges*, a quibus libertates eccleſiæ Gallicanæ propugnatæ perhibentur, libertatem regni non eccleſiæ obtendiſſe ait, quoties jura ſua tuerentur, & libertates eccleſiæ potius adverſus Reges allegatas fuiſſe, nec propterea quod ſummis Pontificibus obſtitiſſent, Reges Franciæ in antiquis monumentis eccleſiæ protectores appellari. *Univerſitatem Pariſienſem*, cujus autoritatem magni ſemper habitam fatetur, extirpandi ſchiſmatis deſiderio Pontifices dubios œcumenico concilio ſubdidiſſe, poſtea longius progreſſam etiam legitimos Pontifices concilio poſtpoſuiſſe, & tandem

dem plurimos ejus alumnos contra antiquorum & multorum etiam ex recentioribus ſententiam infallibile Pontificis judicium negaſſe, quod in gratiam potentiſſimorum principum factum aſſerit, ad quorum voluntatem univerſitas iſta ſe nimis inflecti paſſa fuerit, proprii honoris & commodi valde ſtudioſa. In ſpecie de *Johanne Gerſone* ſcribit, quod primus ex Theologis catholicis Pontificem concilio generali inferiorem, & errori, etiam cum aliquid toti eccleſiæ fide divina credendum proponit, obnoxium ſtatuerit. Cauſas cur Gerſon ita tradiderit, & plures doctrinæ ſuæ diſcipulos nactus fuerit, eſſe tradit remiſſum a tempore diſſidii inter Bonifacium VIII & Philippum Pulchrum Romanæ ſedis cultum, impoſitum a vicinis Pontificibus duriſſimum jugum, & alios ejus temporis abuſus, quorum emendandorum zelo longius, quam par fuerit, abreptum arbitratur; quo nomine etiam ab *Edmundo Richerio*, cum anno 1606 Gerſonis opera & vitam ederet, excuſatus fuerit. Poſt Gerſonem *Johannem Majorem*, *Jacobum Almainum* & alios eandem tibiam inflaſſe monet, diverſis tamen rationibus inductos. Nonnullos enim pacis turbandæ, aut injurias, quas ſibi illatas exiſtimaverint, ulciſcendi ſtudio, alios ingenii oſtentandi cauſa, ſeu quod gratum ſe Deo obſequium præſtare ſibi perſuaſiſſent, Gerſonis doctrinam amplexos memorat. Inter hos quos pravo affectu impulſos putat, nominat *Edmundum Richerium*, cujus libellus de eccleſiaſtica & politica poteſtate cum in concilio Senonenſi & Aquenſi, & poſtea Romæ quoque damnatus fuerit, ejus autoritate libertatum vindices parum conſulte gloriari cenſet. Richerio jungit *Johannem Launojum*, quem Romani cujusdam indicis cenſura irritatum ſe totum ad imminuendam Pontificis autoritatem, & acri ſtylo inſectandos ejusdem defenſores, eorumque primipilos Bellarminum & Baronium contuliſſe tradit. Scripta de libertatibus Gallicanis a *Petro Puteano* collecta, vel ab officialibus regiis, vel a cauſidicis & aliis laicis ſcripta, & præterea pleraque tempore diſſidiorum inter Romanam & Gallicam curiam compoſita eſſe monet. In altero vero probationum volumine non tam veras eccleſiæ libertates contineri ait, quam viam oſtendi, qua eccleſia in ſervitutem redigatur. *Petri de Marca* opus de concordia ſacerdotii & imperii tantam autoritatem apud clerum Gallicanum obtinere potuiſſe miratur, cum aulæ deſi-

deriis nimis indulgens bilancem in partem laicæ potestatis semper inclinet, &, quod ipse alicubi fateatur, Præsidis potius, quam Episcopi partes impleverit. *Stephannm Baluzium*, qui libros illos auctiores edidit, secularibus potestatibus magis placuisse, quam navasse utilem ecclesiæ operam videri. De *Carolo Fevreto* scribit, quod disciplinam canonicam Jurisprudentiæ ac Politiæ Francorum subjecerit, & in tractatu suo de abusu autoritatibus ecclesiasticis satisfeciisse sibi videatur, quoties illis senatusconsultum aliquod opponat. Maluisset autem autor *clerum Gallicanum* in his aliisque hujusmodi libertatum defensoribus refutandis tempus collocasse, quam in formandis decretis, quæ ad infringendam ecclesiæ Gallicanæ cum Romana necessitudinem, quam ad stabiliendam concordiam aptiora sint. Ac cum olim clerus Gallicanus libertates suas adversus curiam Romanam nunquam, nisi cum ab ea se premi sensit, obtenderit, miratur quod clerus Gallicanus hoc tempore, quo summus Pontifex ecclesias Gallicas a gravissima Regaliæ servitute liberas servare contendat, libertates suas illi objiciat, eundemque odiosis suis propositionibus a gravissimo Regaliæ negotio avertere moliatur: omnes prætextus a clero Gallicano in declarationis suæ præfatiuncula quæsitos vanos esse ostendit, id unum verissimum esse asserens, quod in dicta præfatiuncula antistites Gallicani profitentur, nempe *non deesse, qui libertatum obtentu primatum S. Petri ejusque successorum Romanorum Pontificum a Christo institutum, iisque debitam ab omnibus Christianis obedientiam imminuere non vereantur.* Id enim ipsos antistites Gallicanos exemplo suo abunde dedisse comprobatum affirmat. Vehementer autem dubitat, an congregatio illa legitima fuerit, cum Regis tantum mandato facta fuerit, ut cæteras rationes, quas a Vicario generali diœceseos Apamiensis mutuatur, taceamus. Quod si vel maxime legitima illa congregatio fuisset, ea tamen, quæ cœtus Parisiensis declaravit, longe altioris indaginis esse putat, quam quæ a comitiis cleri Gallicani determinari debuissent.

Quatuor proximis libris totidem cleri Gallicani propositiones ad examen vocat. Circa primam propositionem, quæ nullam ecclesiæ potestatem in Principum temporalia concedit, observat, eam ad libertates ecclesiæ Gallicanæ adeo non spectare, ut potius pristinis ecclesiæ Gallicæ libertatibus e diametro repugnet, & magis necessarium

rium videri, ut regia potestas, quam immediate a Deo proficisci negat, ad limites suos revocetur, quam ut pontificia coarctetur. Inprimis vero multis argumentis probat, potestatem ecclesiæ in temporalia principum non esse invidiosam, neque regibus gravem, sed verbo Dei, conciliis, traditioni Patrum, Theologis etiam Gallis & in Gallia educatis, juris civilis & canonici doctoribus, & ipsi praxi consonam, & ab ipsis principibus agnitam, nec eidem sanctorum exempla refragari.

Contra secundam propositionem, quæ Pontifices conciliis generalibus submittit, animadvertit, eam secum ipsa pugnare, cum Apostolicæ sedi plenam potestatem tribuat, & eandem tamen a conciliorum arbitrio suspendat: secluso Pontifice Romano generale concilium difficulter definiri posse, neque sine assensu Pontificis legitimum concilium congregari, aut robur aliquod obtinere posse; præterea in verbo Dei & Patrum scriptis Pontificis quam conciliorum autoritatem clarius exprimi, & ipsos Gallos autoritatem Romani Pontificis decretis conciliorum superiorem agnoscere, quoties dispensationes, a canonica conciliorum disciplina exorbitantes ab eo postulent. Denique Papam concilio superiorem esse multis rationibus probare satagit, & ne quid desit, prolixe ad decretum concilii Constantiensis & alias objectiones, præsertim a *Johanne Launojo* propositas respondet.

Ad tertiam propositionem de firmitate canonum respondet, se minime putare, quod Pontifex canones totius mundi reverentia consecratos perfringere debeat, sed optare se potius, ut alios quoque ad eorundem observationem adigat, maxime in Gallia, ubi vix alia in re autoritas Romani Pontificis, quam in concedenda prætermittendorum canonum venia vigeat. Postea cum clerus Gallicanus de violatis regni & ecclesiæ suæ legibus & privilegiis queri videatur, pontificis autoritatem in ecclesiam Gallicam & universos ecclesiæ fideles, tam quoad forum internum, quam quoad jurisdictionem contentiosam magnifice extollit, & demonstrare conatur, primum causarum majorum judicium non ad concilium provinciale, sed ad pontificem spectare, eumque non teneri, ut earum cognitionem delegatis in regno judicibus committat, aut ordinis judiciarii formulas præcise sequatur: hinc qualis citatio & probatio sufficiat, & quantum

tum inter potestatem pontificis universalem, & jurisdictionem Archiepiscopi erga suffraganeorum suorum subditos discrimen vigeat; tandem vero quæ sit pontificis in bona ecclesiastica, in exigendis contra infideles subsidiis, & circa beneficia autoritas exponit.

Quartam propositionem de fallibili Papæ in quæstionibus fidei judicio Scripturæ, conciliorum, Patrum, quin & ipsius cleri Gallicani & Academiæ Parisiensis testimoniis, aliisque rationibus impugnat, & ad rationes, a *Johanne Launojo* in contrarium adductas, respondet, nec ex eo Papæ judicium infallibile esse, quod ei consensus ecclesiæ accedat, sed potius ob id ipsum, quod infallibile sit, ecclesiæ consensum accedere asserit, cum alias inter Papæ & cujusvis e fidelium numero judicium nihil discriminis reliquum maneat, ut reliquas ejus rationes prætermittamus. Addit quoque nonnulla de autoritate Pontificis circa censuram librorum, quam nec Alpium jugo circumscribi, nec quovis prætextu elevandam esse monet.

Cum vero clerus Gallicanus ad deprimendam Pontificis autoritatem Episcoporum jurisdictionem extulerit, nihilque frequentius in Gallia inculcetur, quam Episcoporum potestatem non a Pontifice, sed immediate a Deo proficisci, ut hanc sententiam autor destruat, & contrariam confirmet, omnem movet lapidem, idque octavi libri argumentum est, in quo dignitatem ecclesiarum patriarchalium a Petro ejusve successoribus ortam esse, & Primates ac Metropolitanos etiam in Gallia suam autoritatem a summo Pontifice traxisse, multis argumentis persuadere cupit; qua occasione etiam de phantastico, ut vocat, Galliæ Patriarcha agit. Etsi enim suspicionem creandi in Gallia Patriarchæ jampridem *Isaacius Habertus* & *Petrus de Marca* exagitaverint, nihilominus tamen opinionem illam de affectato illo patriarchatu conceptam in plurium animis adhuc residere, & subobscuris rumoribus quandoque renovari scribit, inter alia quærens: a quo Patriarcha hujusmodi creari & dignitatem suam accipere possit? & cui ab illo monstro metuendum sit? Ab episcopis autem sub finem libri ad clericos episcopis inferiores transit, quorum jurisdictionem itidem a Deo immediate derivari negat.

Libro nono autor *Edmundi Richerii* de ecclesiastica & politica potestate libellum, ejusdemque vindicias paucis abhinc annis publicatas

blicatas, & tractatus iisdem comprehensos confutare aggreditur, illudque opus declarationi cleri Gallicani plus obesse, quam prodesse credit.

Liber decimus oppositus est *Petro Puteano* ejusque alteri de libertatibus ecclesiæ Gallicæ volumini, quod probationum titulo insignitum peculiaria illarum libertatum capita recenset. Cum autem editis a Puteano voluminibus non Roma solum, sed Gallia quoque commota, & *Petrus de Marca* doctrinam libris illis contentam quodammodo temperare jussus fuerit, qua ratione demandatum sibi munus perfecerit, undecimo libro enarratur, & præcipua ejus fundamenta convelluntur. Mæcenati suo jungitur *Stephanus Baluzius*, quem in amplificanda principum potestate non segnem fuisse ex notis ad Lupum Ferrariensem, & capitularibus regum Francorum adjectis censuris demonstratur. Post Baluzium vero tangitur quoque *Petrus Pithœus*, qui in libello suo de libertatibus ecclesiæ Gallicæ duo principia constituit, quorum alterum Regum jurisdictionem in ecclesiam amplificat, alterum summi pontificis in Galliam potestatem constringit.

Libro duodecimo eoque ultimo autor ad *Carolum Fevretum* pergit, qui appellationes tanquam ab abusu, cum inter omnes libertatum ecclesiæ Gallicanæ articulos plurimum emineant, peculiari tractatu propugnat. Antequam autem ad hoc Fevreti opus accedit, de appellationibus istis in genere agit, & quæ *Petrus de Marca* in concordia sacerdotii & imperii de eodem argumento disserit, refellit. Hæc summatim recensuisse sufficiat, ne justo prolixiores videamur. Judicium de singulis penes Lectorem esto.

THE LIFE OF VVILLIAM BEDELL, D. D. Bishop of Kilmore in Ireland,

sive,

Vitâ VVilh. Bedelli, Th. D. & Episcopi Kilmoriæ in Hibernia.

Londini, apud Joh. Southby, 1685 in 8.

Cum fortiorem plerumque persuadendi vim habere soleant argumenta a magnis exemplis petita, quam quæ meris nituntur ratio-

ratiociniis: hinc Autor, regiminis episcopalis præstantiam & utilitatem adversus eos, qui in Britanniæ regno id passim insectantur, propugnaturus quodammodo, tela e penu exemplorum petere, quam rationibus, toties scilicet ab aliis in campum eductis, certare maluit. Quemadmodum vero & res nimis dissitæ oculos debilius feriunt, & exempla longe nimium petita segnius irritant animos: sic & Autor noster consummatam boni episcopi imaginem exhibiturus, noluit ejus archetypum ex primis Ecclesiæ seculis arcessere, ne sanctitas aureæ illius ætatis minus ad ferrea nostra tempora quadrare diceretur; sed satius duxit, si ex ipsissimo hoc seculo talem in scenam produceret, qui & viri, & Christiani, & episcopi edecumati titulum tueri jure posset. Tametsi vero non diffiteatur, plures hoc nostro seculo jam extitisse episcopos, qui heroicis virtutibus conspicui magnum suo ordini decus addiderint partim, partim adhuc vivi addant; quo nomine ex Italia quidem allegat præsentem Pontificem, (sepositis enim doctrinæ nævis virtutem etiam in hostibus laudandam autumat;) e Gallia Cardinalem Grimaldum, episcopos item Andegavensem, Gratianopolitanum, Arelatensem: e Scotia Patritium & Wilhelmum Forbesios, illum scilicet Aberdoniæ, hunc Edenburgi episcopum: placuit nihilominus præ omnibus seligere Wilh. Bedellum, episcopum Kilmoriensem, in quo perfectionis episcopalis typum exhiberet. Id ergo inprimis egit, ut ostenderet, quanta per totam vitam pietatis, candoris, mansuetudinis, beneficentiæ, aliarumque virtutum haud vulgarium specimina Bedellus subinde ediderit. Nos, utut encomia ipsa prolixius hic referre non vacet, paucis tamen extantiora ejus vitæ capita commemorabimus, ne quem forte viri tam egregii historia in totum lateat.

Natus anno 1570 patriam habuit *Black Notley* Essexiæ oppidum: postquam adolevisset, Cantabrigiam invisere jussus in numerum sociorum collegii cujusdam in ea academia receptus est anno 1593: hinc promotus postea ad Parochiam Edmondsburiensem in Suffolcia. Ab hoc munere quanquam deinde aliquandiu abesse coactus fuerit, cum Henrico Wottono, (quem rex Jacobus tum ablegabat Venetias tempore interdicti, cui iratus Pontifex Rempublicam subjecerat,) comes itineris adderetur, Capellani nempe officio in ea legatione ipsi demandato, inde tamen post octennium redux, munus

munus antiquum rursus haud cunctanter adgressus est, nec ad altiora, quæ forte ob gestum modo officium ambire potuisset, adspirare curavit. Vixit ita aliquandiu in parochia sua sine strepitu, & propriis fere conterraneis ignotus; in tantum, ut Italus quidam ipsi familiaris, Diodati nomine, cum in Angliam appulisset, vix elapsis aliquot annis sciscitando indagare potuerit, quem tamen Venetiis a viris doctissimis magna in admiratione habitum noverat. Penetravit nihilominus fama ejus in Hiberniam, unde anno 1627 Collegii Dublinensis Præfectus unanimi collegarum consensu electus fuit, tametsi nulli eorundem, ac ne ipsi quidem *Usherio* tum Primati notus esset. Elapso biennio a Rege ipsi collati sunt episcopatus Kilmorienſis & Ardaghensis, cujus posterioris ecclesia cathedralis antiquissima Hiberniæ & a S. Patritio fundata perhibetur. Episcopus itaque factus summo studio in id incubuit, ut abusibus qui magno numero religionis statum in iis terris invaserant, mederetur: speciatim cum videret, pluralitatem beneficiorum in unius personam collatorum profectibus ac commodo parochianorum valde nocivum esse, multum laboravit in ea abroganda: utque hoc clero suo efficacius persuaderet, ipse semet, quo exemplo suo istis præluceret, sponte exuit episcopatu Ardagh, eumque D. Richardsono resignavit. Mansit ita tantum Kilmoriæ episcopus ad annum usque 1641, ubi in horrenda illa & sanguinolenta seditione, in Reformatæ religionis asseclas a Pontificiis concitata, ipse quoque a rebellibus Hibernis sede sua ejectus, & cum aliis quamplurimis in captivitatem abductus fuit; quo in statu etiam sub initium sequentis anni pie decessit, postquam insignia prius constantiæ, patientiæ ac magnanimitatis Christianæ in se exempla exhibuisset. Nec obstitit barbara seditiosorum Hibernorum feritas, quo minus ob morum sanctitatem ac inculpatam vitam virum hunc egregium in pretio haberent: unde & exequiis ejus frequentes adstiterunt, ac explosis in ejus honorem, quas gestabant, bombardis contumularunt ipsum additaLatine hac exclamatione: *requiescat in pace ultimus Anglorum.* Frequenter enim antea asseverarant, ipsum Anglorum, quos scilicet omnes suis limitibus ejicere statuerant, ultimum in Hibernia fore.

Varia compoſuiſſe ſcripta perhibetur, pleraque directa adverſus errores Pontificiorum, quos ſcilicet late nimis, licet clam, in Hibernia dominari noverat: omnia tamen ejus opera inter turbas iſtius rebellionis fuere perdita: unicum idque ingens manu ſcriptum ipſius Hebraicum inde ereptum ſervari dicitur in bibliotheca Collegii Emanuelis. Epiſtolarum ejus nonullæ ſuperſunt, libro huic partim inſertæ, partim ſubnexæ; quas inter ea, quæ agmen claudit, præ reliquis prolixitate conſpicua eſt, adeo ut tractatus, quam epiſtolæ titulum verius mereatur. Scripta hæc eſt ad *Jac. VVaddesvvorth*, qui cum olim Bedelli commilito & contubernalis fuiſſet, munus quoque eccleſiaſticum in eadem cum ipſo Dioeceſi nactus, poſtmodum in Hiſpaniam miſſus Romanam ibi religionem amplexus erat, & factum hoc deinde adductis multis rationibus ſpecioſis Bedello per epiſtolam excuſare anniſus fuerat: in qua proinde ſolide, verbis tamen mitiſſimis, & qualia amicum decebant, refutanda operoſus fuit noſter. Cæterum cum videret idem, barbariem Hibernorum indigenarum magna ex parte deberi inhabilitati parochorum ipſis præfectorum, eo quod horum plerique linguam hujus regni vernaculam neſcirent, adeoque ad plebem non niſi per interpretem verba facere poſſent: hinc non ipſe tantum linguæ huic addiſcendæ operam dedit, ſed & poſt in gratiam aliorum Grammaticam Hibernicam compoſuit, ac librum elementa religionis ac precum formulas quasdam continentem, alternisque paginis idiomate Anglico & Hibernico conſcriptum edidit. Statuerat etiam Bibliorum Hibernicorum, quibus hactenus caruerant, copiam facere hujus regni incolis, ac hinc, licet neminem indipiſci poſſet, qui præter hunc ſermonem, Hebraicum etiam calleret, Hibernum tamen quendam, *King* dictum, qui exacte ſimul Anglicam linguam noverat, incitavit, ut ſacrum codicem ex Anglica ſaltem verſione Hibernice redderet. Interpretationem inde partam Bedellus poſtea ſtudioſe recenſendam ſibi ſumſit, collatis inſimul cum Anglica verſione textu Hebraico, LXX interpretibus, & translatione Italica Diodati. Cum vero opus ad umbilicum perductum jamque typis exſcribendum eſſet, tunc quidem per invidas quorundam æmulorum machinationes repreſſum eſt, criminantium ejus autorem hominem ſimplicem & abjectum eſſe, quique adeo labori huic par eſſe haud potuerit. Exemplar tamen iſtius translationis, naufragio ſeditionis ſupra dictæ ereptum, jam ſumtibus Dn. Boyle ſub prelo ſudare narratur. Non tacendum præterea eſt, Pauli Sarpii (vulgo Petri Suavis dicti) Hiſtoriæ Concilii Tridentini libros duos poſteriores, una cum hiſtoria Interdicti & inquiſitionis, a Bedello in Latinum verſos eſſe; nec approbatione doctorum caruiſſe, tametſi de prioribus duobus ab Adamo Nevvton translatis judicaſſet Archiepiſcopus Spalatenſis, ſenſum Autoris per inſcitiam Interpretis adeo diſtortum eſſe, ut alienum plane opus appareret. Nec mirum ſi in transferendo incomparabili iſto ſcripto Noſter ſingularem adhibuit accurationem, cum hoc fere debuiſſe dicendus ſit Sarpii honori, utpote cujus, cum Venetiis ageret, intimam nactus fuerat familiaritatem. Certe Sarpius, cui una cum aliis ſeptem Theologis cura rerum ſacrarum in Republ. Veneta tempore interdicti incumbebat, cum noſtro tum conſilia nunquam non communicavit: maluiſſet etiam, uti perhibetur, poſtquam Papæ Reſpublica reconciliata fuiſſet, cum illo in Angliam tranſire, dummodo ab hac veniam diſcedendi potuiſſet nanciſci. Narratur inſuper, Sarpium, cum hac ratione per abitum ejusmodi non licuiſſet conſcientiam erroresPapiſmi abhorrentem penitus ſedare, tentaſſe ſaltim eam quadantenus demulcere, abſtinendo ſemet ab iis, quæ minime omnium probaret: ſic v. g. dicitur in recitanda Miſſa poſtea duriora canonis miſſatici verba tranſiliiſſe, invocationem etiam Sanctorum penitus abdicaſſe: cumque rogaretur, cur non in retegendis Romanæ ſedis abominationibus, prout cœpiſſet, pergeret, reſpondiſſe: *Deum ſibi quidem non dediſſe ſpiritum Lutheri.* Inter alia Sarpium concernentia id quoque de eo traditur in epiſtola Henr. Wottoni legati, quæ in hoc libro itidem extat, quod cum ſolitarius ſtudiis incumberet, ſemper ſueverit chartaceo velut caſtello caput ac ſellam circummunire, ad arcendum nempe aerem externum, utpote quem, ex Verulamii doctrina, ſemper quidem prædatorium, tum tamen quam maxime nocivum reputaret, cum ſpiritus vitales in opere quodam impenſius eſſent occupati. Præter Sarpium Venetiis & alium haud minus celebrem amicum adeptus eſt Noſter, nempe M. Antonium de Dominis, Archiepiſcopum Spalatenſem; qui cum Bedello ibidem oſten-

oſtendiſſet libros ſuos *de Republ. Eccleſiaſtica*, eosdem cenſuræ ejus ſubmittens; hic amica uſus libertate varia ejus ſcripti loca correxit, in quibus ob ignorantiam maxime Græci ſermonis, textus quamplurimi ex Scriptura aut Patribus perperam allegati aut male applicati fuerant.

Atque hæc quidem biographi noſtri fide recenſita ſufficiant; qui utut ipſe ſuum reticuerit nomen, non diffitetur tamen, unde hæc hauſerit; ex commentariis nempe Dn. Clogy Miniſtri in Cavan, qui olim Epiſcopi contubernalis, ac poſthæc arcta ipſi affinitate junctus, hæc talia de ipſo quondam annotata, Autori noſtro communicarit. Plura dubio procul dicenda ſuppetiiſſent, niſi, uti dictum, Bedelli ipſius ſchedæ per fatalem illam rebellionem diſperditæ fuiſſent. Unicum adhuc, idque ſuperpondii ſaltem loco afferre liceat. Cum Bedellus Venetiis commoraretur, contigit ut *Thomas Maria Caraffa*, e ſocietate Jeſu, chiliadem Theſium Theologico-Philoſophicarum Pontifici dedicaret, ampulloſa hac uſus inſcriptione: *PAULO V. VICE-DEO, chriſtianæ Reipublicæ Monarchæ invictiſſimo, & Pontificiæ omnipotentiæ Conſervatori acerrimo.* Noſter hac offenſus, pro egregia, qua pollebat animi præſentia, mox e primis dictæ inſcriptionis verbis, ope literarum numeralium eruit numerum beſtiæ Apocalypticæ, nempe DCLXVI. Id cum amico Sarpio communicaſſet, atque hic tanquam rem omine non carentem ad Ducem & Senatum pertuliſſet, tantum, prout facies iſtorum temporum erat, applauſum meruit, ut non ſolum ubivis per territorium Venetum ſuggeſta paſſim id perſonarent, ſed & idem rumor Italiam reliquam, aliaque loca late pervagaretur: ad quem tantocyus reprimendum Pontifex dicitur ubique per emiſſarios ſuos tum divulgaſſe, Antichriſtum nuper Babylone in lucem editum eſſe e tribu Dan, & jam in eo occupatum, ut vaſto exercitu collecto Chriſtianos debellaret, curandumque adeo horum Principibus eſſe, ut copias adverſus tantam invaſionem paratas haberent: conſultum ita judicans, hac fabula famam ex intempeſtivi adulatoris nugis periculoſe ſubnatam diſſipare, priusquam latius ſerpens graviora ſedi Romanæ incommoda cieret.

PRI-

PRIMORDIA: OR, THE RISE AND Grovvth of the firſt Church of God, by Tho. Tanner, &c.

ſive,

Origo ac incrementum primæ Dei Eccleſiæ, autore Th. Tannero, M. A. ac Rectore VVinchfeldenſi in Hamtonia.

Londini apud Rich. Chiſvvel, 1683, in 8.

SPecimen tantum liber hic exhibere videtur latioris cujusdam operis, quod Autor meditatur, explicaturi ſecundum diſtinctam temporum ſeriem, per quos gradus quæque media divinæ potentiæ ac ſapientiæ placuerit, erigere ſibi hoc in mundo regnum a reliquis gentibus diſtinctum ac ſegregatum. Etenim ex præmiſſa dedicatoria epiſtola apparet, hunc autoris laborem ad finem uſque ſeculi poſt Chriſtum natum primi decurrere debere, qui tamen hoc quidem in libro ultra Iſraelitarum ex Ægypto emigrationem non progreditur. Cum vero antiquitas quidem haud immerito pro veritatis teſſera, Scriptura vero pro genuina ſanæ antiquitatis norma ſit reputanda, ſedulam utriusque rationem ubivis habere ſtuduit, perpenſis inſimul ſubterfugiis tum Ponficiorum, confictas multoties antiquitates allegantium; tum recentiorum quorundam ſectariorum, in obſcura primordiorum utriusque Teſtamenti notitia latebras quærentium: quemadmodum ſpeciatim in præſenti opere paſſim occupatus eſt in refellendis vanis Socinianorum ſubtilitatibus. Præterea non omiſit hinc inde ſcrupulos, ex dubiis hiſtoriæ ſacræ circumſtantiis enatos, ingenioſe ac docte non minus, quam compendioſe eximere. Sic v. g. cum a prodigio non multum abeſſe pluribus viſa fuerit ſubita Iſraelitarum in Ægypto multiplicatio; hinc ad reprimendam Porphyrii, Celſi aliorumque hujusmodi ſciolorum profanam curioſitatem, ex circumſtantiis oſtendit, ſatis vero ſimile eſſe, non 70 ſaltem animas, quarum Scriptura tantum

tum meminit, e Jacobi ſcilicet lumbis oriundas, cum ipſo in Ægyptum deſcendiſſe, ſed ampliorem una, ſervorum maxime circumciſorum, familiam iſtuc demigraſſe, ibique ſe poſtea in latiores propagines diffudiſſe, quæ deinde exercitum emigrantium Iſraelitarum haud parum adaugere potuerint. Cum tamen hæc opinio vix omnium applauſum habitura ipſi fuerit viſa, ſubnectit epiſtolam *Jacobi Rudyerd*, equitis, quem hac ſuper re conſuluerat, in qua ſcilicet, methodo ſat facili, nec a vero multum abludente, probat, numeroſam iſtam multiplicationem, etiam absque tali adminiculo, commode intra ſpatium 210 annorum, quamdiu ſcilicet commoratio in Ægypto duravit, fieri potuiſſe. Nimirum hujus epiſtolæ autor non opus eſſe credit, confugere ad frequentiores partus gemellos, quos tamen ob diverſas cauſas naturales hic ſæpius locum habere potuiſſe agnoſcit: nec ad longævitatem iſtorum temporum, cum appareat, homines tum quidem ad provectiorem uſque ætatem generandi facultatem retinuiſſe, attamen & ſerius fere ad prolis procreationem acceſſiſſe, cum non feſtinatæ adeo fuerint nuptiæ: nec denique recurrendum putat ad miraculum aliud extraordinarium; quo tamen nomine non mox appellandam vult quamlibet eminentiorem benedictionem, utpote quam hic omnino viguiſſe probat ex toties repetitis Dei promiſſionibus de multiplicando Abrahami ſemine factis, quarum plerasque præcipue ac tantum non unice ad tempus habitationis in Ægypto collimare oſtendit. Fertilitatem nihilominus, (in cujus ſignum etiam ex parte circumciſionem imperatam autumat,) in gente hac ſingularem, ſi vel maxime absque tali promiſſione fuiſſet, admittendam judicat, cum in ea, utpote quam Deus ipſe pro peculio quaſi præ aliis ſibi elegerat, prima illa benedictio Paradiſiaca non potuerit non excellentiori quadam ratione obtinere. Cæterum duo inprimis media hic interveniſſe ſtatuit, quorum ope multiplicatio iſta magis magisque potuerit promoveri. Ac primum quidem eſt concubinarum uſus, utpote quem a Patriarchis invectum utique tum retentum fuiſſe, & ad tempora usque Meſſiæ continuatum exiſtimat. Cum tamen hic ſcrupulus ſubnaſcatur, unde tantus concubinarum numerus haberi potuerit, præter legitimas uxores, cum maſculi fere aut plures aut ſaltem non admodum pauciores

ciores fœmellis naſci ſoleant, (uti v. g. ex Catalogis baptiſmalibus Londinenſibus 100 fere annorum obſervatum narrat, proportionem maſculorum ibi editorum ad fœmellas ſeſe plerumque habuiſſe, ut 15 ad 13,) hinc dicit concubinas iſtas partim ex vicinis Midianitis, exemplo Moſis, partim etiam ab Ægyptiis ad Joſephi exemplum fuiſſe adſcitas. Alteram prodigioſæ illius multiplicationis cauſam allegat peculiarem Dei protectionem, qua tempore illo durante populo huic adſtiterit; qua ipſa ſcilicet mediante non ſaltem conſilia Pharaonis ad ſupprimendam ejus fertilitatem capta penitus fuerint impedita; ſed & tres iſtæ majores plagæ omni illo ſpatio durante apud eam ceſſaverint, tametſi Ægyptii ab iisdem interim non forent immunes. Credit enim, tria iſta famoſa everricula, bellum, famem, peſtem, a Deo non tantum ut juſto judice immitti, ſed &, quatenus ipſe, ut ſummus mundi arbiter perſpiciat, reliquas creaturas vix generi humano ſuffecturas fore, ſi vel unius ſeculi ſpatio plagæ iſtæ nullibi terrarum graſſarentur. Quod vero interea nihil tale Iſraelitas vexarit, partim ex Moſis ſilentio, partim ex aliis circumſtantiis ſatis probabiliter deducit; putans Ægyptios vel ideo in receptionem Iſraelitarum facilius conſenſiſſe, quod crediderint, eandem inter ſe & ipſos proportionem ſemper manſuram; adeoque difficiliores mox initio futuros fuiſſe, ſi ſpecialem hanc iſtorum præſervationem prævidere potuiſſent. Præmiſſis his, ad exactiorem inde calculum ducendum ſupponit, quemque virum non niſi quatuor filios totidemque filias procreaſſe; (nam licet pluribus generandis pares fuiſſe dici valeant, cum inter eos neminem debilem fuiſſe evincat *Pſ. 105. v. 36.* minor tamen hic numerus magis placuit, cum dubio procul aliquos mors in juventute præripuerit) ex horum ſingulis viciſſim totidem eadem proportione poſtea fuiſſe genitos, utque generatio a generatione facilius diſtinguatur, ſupponit cujusq; primogenitum anno 24 patris natum; generandi facultatem deinde per alios 24 annos continuatam, ita ut quolibet ſaltem ſexennio filium gentiſſe reputetur, & filius natu minimus itidem integris ſex annis nativitatem nepotis ex primogenito præcedat. Atque hac methodo obſervata, in tabula oſtendit, intra ſpatium 210 annorum ex 70 viris haberi potuiſſe 1437310 maſculos, octogeſimum annum nondum egreſſos, totidemque

demque fœminas: quibus addit concubinas adſcitias 400000, numero quidem fortuito arrepto, nondum tamen duas tertias partes virorum, plus quam 20 annos habentium attingente; ut ita ſumma in univerſum emergat 3274620; quam, ſi comparetur cum ea, qualem Moſes in prima in deſerto luſtratione repertam perhibet, non multum a veritate abeſſe poſſe oſtendit. Cæterum, uti ſupra jam dictum, multiplicationem iſtam peculiarem propriam quaſi commorationi in Ægypto vi divinorum promiſſorum eſſe debuiſſe, inde etiam arguit, quod ſi pari ſemper proportione incrementum poſtea perrexiſſet, intra 18 aut 20 annorum ſpatium tantum emergere numerum oportuiſſet, qualis poſt 473 annos demum repertus narratur, cum David populum hunc per Joabum numerari feciſſet. Aliam conſimilis argumenti epiſtolam ſubjicit ejusdem Autoris, conſulti de multiplicatione hominum ante diluvium, & quantus probabiliter eorum numerus eſſe potuerit tempore nativitatis Cainan. Hic rurſus præſupponit, homines tum majoris ac hodie vigoris fuiſſe, & per conſequens generationem ad ſex uſque ſecula quandoque continuare potuiſſe, tametſi eam non ante 65 ætatis annum fere cœptam aſſumat: atque ſic rurſus in tabula ad oculum demonſtrat, ſi ſtatuatur, ſaltem ſingulis bienniis infans, ſingulis quadrienniis vero maſculus genitus, emergere circa annum mundi 325, quo ſcilicet Cainan natus putatur, non minus quam 116779 maſculos totidemque fœminas. Cæterum cum is quoque ſcrupulus ipſi motus fuiſſet a Tannero, quomodo circa tempus nativitatis Sethi dici poſſit in ſacris literis civitas a Caino condita, & nomine Enochi filii vocata, reſpondet, ea non niſi per anticipationem dicta intelligi poſſe; quaſi perhibere voluiſſet Moſes, hunc eſſe Enochum, cujus nomen deinde Cain urbi impoſuerit, ad quam poſtea exſtruendam ſemet applicuerit, cum poſteritas ejus increviſſet: nam juxta autoris quidem computum, cum Seth naſceretur, apparet in univerſum quidem nondum niſi 187, e Caini vero progenie tantum 16 maſculos extitiſſe: qui certe numerus exiguus nimis fuiſſet urbi alicui condendæ aut habitatoribus implendæ. Non tamen credit, memoratam hanc civitatem omnium primam in orbe fuiſſe, quin potius ex eo, quod Cain ipſi nomen aliquod dare non

non dubitaverit, colligit alias jamjam antea ab Adamo fundatas fuiſſe; cum conſtet, nomina non niſi ad diſtinguenda a ſe invicem plura individua adhiberi ſolere.

OGYGIA: SEU RERUM HIBERNICARUM Chronologia, ex pervetuſtis monumentis fideliter inter ſe collatis eruta, atque e ſacris ac profanis literis primarum orbis gentium tam genealogicis, quam chronologicis ſufflaminata præſidiis, &c. Authore Roderico Oflaherty Armigero.

Londini, typis R. Everingham, anno 1685, in 4.

UT olim inter Scythas & Ægyptios diu contentio de generis vetuſtate fuit; ita hodie nulla fere gens eſt, quæ non antiquiſſima haberi velit. Autor ſane libri hujus, non tantum hanc ob cauſam illi nomen *OGYGIA* ex Plutarcho deſumtum impoſuit; ſed & magno molimine evincere conatur, Hiberniæ populos, antiquitatis gloria, omnes ex Japheto deſcendentes longe ſuperare. In *epiſtola dedicatoria* ad ſereniſſimum Ducem Eboracenſem Jacobum, jam magnæ Britanniæ Regem, ſtirpis hujus illuſtriſſimæ antiquitatem aſſerit; cum centum viginti quatuor, quæ potentiſſimum hunc Regem ab Adamo recta linea præceſſerint, generationes nominat: undecim nempe ante diluvium, viginti ſex inde ad majorum hujus immigrationem in Hiberniam, quinquaginta' & unam in Hibernia, & triginta ſex in Scotia genitas. Reges etiam, qui a Chriſti nativitate Hiberniæ præfuerunt, quasve familias condiderint recenſet, atque tandem colligit, domum hanc Regum auguſtam non ſolum inter florentiſſimas totius Europæ familias numerandam, ſed generis inſuper antiquitate omnes totius terrarum orbis familias longe antecellere. Quod inter alia ex Buchanani epithalamio in Mariam Reginam Scotiæ compoſito confirmat:

\- - - quodcunque vetuſtum
Gentibus in reliquis, vel narrat fama, vel audet
Fabula, longævis vel credunt ſecula faſtis,
Huc compone, novum eſt.

Inde Platonis ſcitum apud Senecam epiſtola XLIV, *neminem regem non ex ſervis oriundum*, refellit; cum nemo in hac antiquiſſima Regum proſapia ſervus in recta linea ad Adamum uſque reperiatur. In epiſtola ad Joannem Lincæum archidiaconum Tuamenſem rationes chronologiæ ſuæ exponit, atque pag. 10 ex pervetuſto Hibernico pergameno ſedis epiſcopalis Cluanenſis probat, primam coloniam in Hiberniam a Partholano deductam in annum M. 1969 incidiſſe, poſt diluvium 313, & ætatis Abrahæ 21. Deinde pag. 20 ſcribit, in patriis genealogiis inviolatam ab Adamo ſeriem 37 generationum, ad Mileſiorum in Hiberniam adventum, (qui, ut pag. 10 memoravit, in annum M. 2934 incidit,) ſe habuiſſe. In *Præloquio* ad lectorem pag. 25 affirmat Scotos, regnante Hieroſolymis Salomone, huc advectos, per annos bis mille, & quod excurrit, inconcuſſo dominio floruiſſe. Inde ad *primam Ogygiæ partem* progreſſus, de Hiberniæ inſula agit: quam ante cataclyſmum & poſt eum quoque ſtatim homines ex vicinis locis delatos incoluiſſe ſcribit. Et ut dignitatem ejus extollat, pag. 27 affirmat, inſulam hanc ampliſſimum quondam Regum theatrum, Reges abſolutos 136 ethnicos, & 48 Chriſtianos, ad annum a partu Virginis 1022, per annos 2314, ſupremo ſceptro inſigniviſſe. Qua occaſione pag. 47 prolixe de ritu inungendi Reges vetuſtiſſimo diſſerere inſtituit.

In *parte ſecunda* Ogygiæ extera, hoc eſt hiſtoriæ Hibernicæ συγχρονισμὸς, inde a diluvii tempore exorſus, per multas epochas recenſere pergit, & cum in profana hiſtoria Argonautarum expeditio celebris ſit, illam pag. 84 ſeqq. prolixe enarrat. In *parte tertia*, Ogygiæ domeſtica, ſeu rerum Hibernicarum a diluvio ad Chriſtiana tempora hiſtoriam perſequitur; & ante diluvium Cappam, Lagne & Luaſat, tres ſcilicet piſcatores, ex Hiſpania in Hiberniam averſis ventis actos, ad Muadii fluminis oſtium primum appuliſſe, & poſtea cataclyſmo univerſali apud Tuathinbhir obrutos periiſſe: quadraginta diebus ante diluvium 15 die lunæ & ſabbato Cæſaream, Baronnam & Balbam cum 50 aliis fœminis & tribus viris Bitho, Ladrao & Fintano apud Dunum appuliſſe memorat. Quod, ut pleraque alia, quibus teſtimoniis firmari queat, prudenti lectori judicandum relinquimus. Anno poſt diluvium 312 Partholanum ſupra memoratum cum

cum ſua colonia, & quidem menſe Majo, 14 Lunæ & die Martis, immigraſſe narrat. Hinc cum ejus res geſtas recenſuiſſet, aliorum colonias in Hiberniam, inprimis Belgarum, deſcribit, atque idololatriam ſimul Hibernorum & eorundem literas (de quarum inventione cap. 30, pag. 214 multa memorat,) exponit. Quo facto, Reges Hiberniæ longo ordine recenſet, & cap. 93 Regum Hiberniæ Chriſtianorum quadraginta octo catalogum adducit, ſubjungens carmen chronographicum Ogygiæ ſuæſummam complectens, a mundi exordio, ad præſens usque tempus. Tandem Scotiæ Regum catalogo chronologo-genealogico exhibito Ogygiam ſuam finit.

JUGEMENS DES SCAVANS SUR LES principaux Ouvrages des Auteurs,

hoc eſt:

Judicia Eruditorum de primariis Scriptis Autorum. Tom. I. II. & III.

Pariſiis, apud Ant. Dezallerium, 1685, in 8.

CUm facile omnes intelligant, quantopere exoptandum rei literariæ ſit judicium, quod quorumvis Autorum ſcripta rigide examinet, diſcernatque, utrum legi ea, an ad pulverem ac tineas damnari mereantur; non erit ſane, cui titulus ejus libri, de quo pauca nunc dicturi ſumus, deſiderium illius & expectationem non afferat. Quamvis enim ille cenſuram omnium voluminum, quæ unquam in hominum manibus fuerunt, non polliceatur, (qualem quidem ſperare etiam vix poſſumus,) potiorum tamen Eruditorum opera, quibus & antehac & noſtris temporibus inclaruerunt, ſub examen revocanda promittit. Autor tam memorabilis inſtituti eſt bibliothecæ Lamonianæ Pariſienſis præfectus, qui privatis uſibus Domini ſui ſe labores iſtos primum deſtinaſſe ſcribit, nec videri vult in nominandis ſcriptoribus cancellos muſæi egredi, quos certe capacisſimos eſſe oportet. Erunt totius operis ſex partes, quarum hactenus prima ſola tribus tomis conſtans prodiit. Ac de reliquis qui-

dem, ubi lucem singulæ adspicerent, differendum erit. Ejus vero, quæ nunc in manibus versatur, tomus e tribus primus generalibus consecratus est. Alter tomus typographorũ celebriorum, qui ab incunabulis utilissimæ artis floruerunt, catalogũ texit; censores deinde judicesq; literarios, quibus vel examinare libros, vel enarrare ipsorum titulos, vel vitas illustrium virorum condere propositum fuit, exhibet, ac postremo eos nominat, qui diversarum, vel antiquarum, novarum, suspectarum lectionum; adversariorum item & collectaneorum farragines compilarunt, quosque communiter Philologos appellamus. Tertius tomus Grammaticæ artis magistros complectitur, in quorum serie comparent, qui linguæ Latinæ, Græcæ, Ebraicæ aliarumque orientalium, Gallicæ, Italicæ, Hispanicæ elementa tradiderunt: sequuntur, qui in Latinum, Gallicum, Italicum, Hispanicum, Germanicum idioma, quæ alio quodam primum conscripta fuerant, transtulerunt. Placuit Autori is ordo, ut singuli numeri (qui hactenus sunt 1064) singulorum scriptorum nomina, gentem, ætatem, sæpe dignitatem etiam in frontispicio exhiberent; postea libri potiores cujusvis commemorarentur; ultimo subjicerentur judicia ex aliis plerumque scriptoribus ad declinandam invidiam excerpta, quibus tamen & ipse aliquando suum addere consuevit. Partis hujus primæ illa sectio, quam generalibus monitis & tractationi proœmiali destinatam esse diximus, de bonis malisque libris, deque examine illorum recte instituendo erudite agit, ac inquirit, quot virtutum laudes una accurati Critici contineat. Qua occasione differit de præjudiciis, quæ fere Lectores afferunt, cum ad libros cujuspiam scriptoris accedunt. Ita enim solemus in quamplurimis antiqua novis, sæpe perperam, anteferre, nec raro scribentium dignitate, autoritate, titulis honorum, quin & officio, quo quisque fungitur, decipi. Elegans cumprimis est dissertatio, qua Author genium singularum nationum scrutatur, & quibus unaquæque studiis maxime apta sit, præ aliis, quos idem argumentum defatigavit, feliciter investigat. Forte tamen non deerunt, qui cum eam ipsam dissertationem legent, Autorem existimabunt præjudicia non satis, in exponendis, quæ aciem mentis vulgo avertunt præjudiciis deposuisse. Cæterũ præceps impetus animi, quem in scribendo multi produnt, maxime quoties adversarios oppugnant,

ætas

ætas etiam, & munerum, quibus quamplurimi orbem literatum cumulant, multitudo, potissimum vero librorum tituli & quædam alia lectorem fere sic disponunt, ut bonum a malo accurate discernere non possit. De quibus singulis non ad veterum tantum pronunciata, sed & ad exempla recentiora provocans Autor prolixe satis agit.

CAMPEGII VITRINGA ARCHISYNAGOGUS Observationibus novis illustratus: quibus Veteris Synagogæ Constitutio tota traditur, inde deducta Episcoporum Presbyterorumque Primæ Ecclesiæ origine.

Franequeræ apud Leonhardum Strick, 1685, in 4.

INiquiora quodammodo fata expertus erat primus ingenii fœtus ab Autore in lucem productus, & nobis mense Novembri anno 1684 pag. 514 seqq. recensitus; adeo ut non defuerint, qui scribendi libertatem, qua usus est, ægre ferrent, & heterodoxias ac tantum non atheismi, ob læsam non uno in loco Scripturæ sacræ autoritatem, reum eum agerent. Conqueritur de hoc ipse in epistola dedicatoria Tractatui huic novo præmissa, & postquam nec a veritate Scripturæ, nec ab Orthodoxorum assertionibus aliena dixisse se brevibus evicerat, causæ justitia confisus, hocce scriptum judiciis hominum exponere, non erubescere sese palam fatetur. Absolvitur liber præsens capitibus XX, quibus omnibus ac singulis id imprimis agit, ut veterem Synagogam cum Ecclesia prima conferat, & hujus constitutionem, si non in omnibus, certe in bene multis illi conformem ostendat. Hac occasione plurima sacri Codicis, Novi imprimis Testamenti loca, vel neglecta hactenus, vel incuriose tractata illustrare studet. Initium facit tradendo nomen & originem Pastorum, ex פרנסים, quos vetus Synagoga alere suevit. Hujus vocis Hebraicæ usum, apud veteres & recentiores Syros, item apud Talmudicos obtinentem, propinat, exempla ex paraphrasibus Chaldaicis adducit, originem curiosius scrutatur, & officium, in quo præcipue positum fuerit, luculenter declarat. Progreditur ad examinandas

sententias *Johannis Ligtfooti* & *Samuelis Petiti*, de constitutione veteris Synagogæ. Illum quidem in annotationibus ad Matth. IV non semel a veritate abiisse dicit, ubi hoc argumentum perpendendum sumserat, & declarare præsertim statuerat, quinam proprie fuerint *otiosi decem*, & quibus functi sint muniis. Hunc vero carpit, quod in Variis Lectionibus libro 2. cap. 1. tot distincta Synagogæ attribuat officia, quot nomina apud Juris conditores in Codicibus Juridicis reperiuntur; cum tamen Juris Romani antistites per illa nomina videantur in genere intellexisse Magistratus Judæorum, vel ecclesiasticis vel politicis rebus præfectos. His examinatis, ipse qui per decem otiosos (h. e. tales, qui a mundo & mundanis rebus semoti divinis operabantur studiosius) intelligi debeant, exponit, numerumque denarium ab Hebræis propterea adhibitum autumat, quod officia in Synagoga ex veteri consuetudine præstanda vix a paucioribus quam decem decore fieri posse putarentur, hac conjectura sua ex Gemaristis & Maimonide confirmata, adductisque hanc in rem *Joh. Seldeno* de Synedriis differente, & generali dicto de Synagoga exstruenda, ubi decem Israelitæ sunt præsentes. Refutat simul eos, qui decem ære conductos, quos in Synagogis veterum præsto esse oportuerit, a Præfectis & Episcopo Synagogæ distinctos, per hos decem otiosos notari contendunt. Denarium dehinc numerum ita eruere conatur Autor. Supponit ex vero, unamquamque synagogam suos habuisse Præfectos, eosque uno plures; id quod inter alia ex Marc. V. 22. Actor. XIII. 15. cap. XIIX 8 & 17 probat. Addit porro, auctum esse vel imminutum hunc ArchiSynagogorum numerum, pro Synagogarum diversitate & dignitate. Ad minimum tamen Præfectos hujusmodi duos esse oportuisse, teste Canone generali in Jore Dea cap. 206. His suppositis specialius ita procedit. Allegat Scriptores Judæos manifeste docentes, ab antiquissimis temporibus sapientissimum sanctissimumque virum Præfectum esse constitutum, qui populo publicis in precibus, lectione quoque & interpretatione Scripturæ præiverit, & Episcopus, Presbyter sive caput Synagogæ, aut etiam Archi Synagogus καθ' ἐξοχὴν sit appellatus; huic adfuisse Collegas alios seniores sive Presbyteros binos, qui sacris rebus interesse, atque ad id attendere debuerint, ut omnia in Synagoga decenter agerentur,

tur, libertate docendi sibi reservata. Hos æque ac primum, ArchiSynagogos dici potuisse, & dictos etiam esse contendit. Præter enumeratos tres, septem fuisse Israelitas observat, ab Episcopo Synagogæ designatos, qui quoque sabbatho legebant, & sic numerum denarium citra difficultatem emergere, ita ut ab Hebræorum, quorum auctoritas utramque hic facere debeat paginam, observationibus nullatenus recedatur. Solvit deinceps dubia, quæ huic suæ assertioni, imprimis de septem lectoribus, videbantur obstare posse, & quid per פרנסי צבור sive Præfectos ac Gubernatores Synagogæ intellexerint veteres, eorundemque convenientiam cum Pastoribus, Episcopis & Presbyteris Novi Testamenti demonstrat. Erant alii חזנים vel ministri & שליחי צבור sive Nuncii Synagogæ, inde originem trahentes, quod cum ArchiSynagogi vel inidonei, vel ambitiosi legerentur, quos pudebat viliora hæc ministeria publico in cœtu obire, ipsis hæc officia, primo illud quod ad lectionem curandam pertinebat, dein & reliqua demandarentur. Horum nomina & officia diligenter expendit Autor, ac Ligtfootum notat, quod Episcopum cum חזן sive Ministro Synagogæ eundem esse ex Etymologia vocis Hebraicæ (quam חזה videre, q. d. ἐπισκοπεῖν, tradit) ostendere sit speciose satis annisus. Opponit videlicet usum vocis prorsus alienum, eundemque ex variis Hebræorum scriptis prolixe stabilit, ut non obscure appareat, tantam חזן inter & Episcopum esse differentiam, quanta est inter Ministrum & Præfectum. Postea disserit de genuina vocis ἐπισκόπου significatione, ejusque tum originem, tum synonyma Græca & alia attendit. Observat inter cetera, & prolixe probat, generalissimam esse Episcopi notionem primam, & qualemcunque notare seu rerum, seu personarum, & multitudinis integræ Curatorem & Præfectum; Episcopum, Presbyterum & Pastorem ejusdem notionis esse vocabula; etiam Diaconos, quatenus & illis certarum rerum ἐπισκοπὴ seu cura commissa est, Episcopos fuisse; & huic rei ut fidem faciat, loca 1. Tim. III. 1. Philipp. I. 1. elucidat.

Hinc ad officia ArchiSynagogorum pergit, & inquirit ante omnia, quid circa preces in Synagoga fusas egerint. Producit vero ex antiquitate Judaica duplex Archi Synagogi officium circa preces, siquidem & agitare sudarium debuerit, & primus respondere Amen.

Hæc

Hæc Autorem movent ad prolixe deſcribendum ſudarium ejusque uſum & agitationem, & ad oſtendendas reliquias hujus conſuetudinis in orariis ſive palliis humeralibus Epiſcoporum & Diaconorum primævæ Eccleſiæ. Explicatis ArchiSynagogorum officiis circa preces, quid circa lectionem ſanctæ Scripturæ, quæ preces ſequebatur, operati ſint, edocet. Triplex hoc fuiſſe munus, R. *Salomonem* teſtem citat. Deſignabant videlicet primum lectorem Prophetarum. Lectiones propheticæ dicuntur ſtylo Hebraico Haphtharæ, oppoſitæ Paraschis ſive lectionibus legis Moſaicæ numero quinquaginta & tribus. Harum originem, ejus cauſas & tempus veſtigat Autor, vulgaremque de iis opinationem Judæorum examinat, & hac occaſione quædam circa Antiochi Epiphanis geſta & Græcæ verſionis originem obſervat. Determinabant porro ArchiSynagogi, quis expoſiturus eſſet Schemah ſive recitaturus pericopam hanc: *Schemah Iſrael* &c. cum omnibus benedictionibus & precibus illi adjunctis. Hæc recitatio fieri ſolebat in Synagoga poſt lectionem Prophetarum, negotiumque communiter lectori Prophetarum committebatur.

Excurrit hic Autor ad prolixiorem expoſitionem dicti illius valde illuſtris, Deuter. VI. 4. *Audi Iſrael* &c. Hujus dicti ſenſum ſtudioſe eruere laborat ex veterum Hebræorum ſcriniis, & de Trinitate, anſa inde ſumta, egregie diſſerit, ac phraſin illam *regni cœlorum* in Novo Teſtamento frequentatam ex antiquitate Judaica exponit, quod notet tempus illud, quo Judæi & Gentes fierent populus unus, Meſſias Judæis & gentibus ut uni populo imperaret, Jehova unus fieret & nomen illius unum in univerſa terra, idque ideo, quia Deus unus erat, Mediator unus erat; nec non petitionis, *adveniat regnum tuum* Matth. VI. 10. cum expoſitione Judæorum ſuper Schemah conformitatem demonſtrat, & alia quædam Novi Teſtamenti loca ex Rabbinis inſigniter explanat. Non autem tantum deſignabant Archi Synagogi Iſraelitas huic muneri pares, verum etiam exponebant ſuper Schemah ἀντιφωνίας, & benedictiunculas ab Exponente ſuper Schemah præcantatas repetebant. Tandem ArchiSynagogi tranſibant coram Arca, h. e. una cum Miniſtro Synagogæ a pulpito ſacro ad arcam in muro Synagogæ ejusque latere januæ oppoſito formatam, aſſervandisque libris ſacris & eorum appendicibus conſtructam

ctam deſcendebant ad librum legis in ea recondendum. Arcam hanc pluribus depingit Autor & ad imitationem veteris illius ſacratiſſimæ arcæ fœderis confictam exiſtimat, deque obvelatione ejus & incurvatione coram ea agit, ſimul præfigurationem Chriſti per arcam factam ex aliquot N. T. dictis confirmans. Succeſſu etiam temporis obtigiſſe memorat Autor, ut non ArchiSynagogi actus diſtribuendi lectionem legis & interpretationem Scripturæ exercuerint, ſed eos Miniſtris Synagogæ reliquerint, quippe qui perſonas illis exequendis idoneas noſſe, eligere & præparare debuerunt, retento tamen ſibi id agendi jure, quod ipſis ut Synagogæ Præfectis maximis ſemper competierit, & dubio procul a prudentioribus & diligentioribus Præfectis ſæpenumero fuerit exercitum. Hoc quodammodo probat ex conſuetudine primæ Eccleſiæ Chriſtianæ, ubi officium legendi unice ad Diaconos pertinuerit. Procedit his enarratis Autor ad morem docendi, qui in veteri Synagoga obtinuerit, excutiendum, & ſolicite inquirit, an & cujus generis fuerint illi ſermones & diſquiſitiones ſive conciones poſt ordinariæ Synagogæ ſolennitates quandoque inſtitutæ. Morem docendi ex nomine, quod illæ Conciones ordinarie habent, educit, dum nimirum דרשות appellantur, (inde ita dictæ, quod Doctores vel in cathedra ſedentes a diſcipulis ſuis interrogabantur, vel quæſtionem a fratribus ſive Collegis propoſitam uberius diſcutiebant) & cum iis quæ ζητήματα & ζητήσεις in N. T. dicuntur, confert, ita, ut ſimul locis illis lucem affundat. Antiquiſſimi etiam meminit moris in terra Judaica, quo Viri ſapientes in locum ſtudiis conſecratum recedentes, de rebus ad legem divinam attinentibus inter ſe conferebant, diſquirebantque, quæſtiones proponendo & ſolvendo, eumque dictis quibusdam N. T. & ritibus affinibus vel olim vel hodie obtinentibus illuſtrat.

Explicata dein prolixe Concionum Judaicarum ratione, ac inſtituta cum Chriſtianorum in prima eccleſia moribus collatione, tractat de poteſtate excommunicandi apud veteres Hebræos, eamque ArchiSynagogis maxime vindicat, varias ejus ſpecies enumerat, originem primam, naturam & cauſas indicat, juris excommunicandi temperamenta extra captivitatem nonnulla memorat, & pleraque cum ritibus Eccleſiæ primitivæ Chriſtianæ confert. Excipit ex

communicationem flagellatio in Synagogis, eapropter notata cumprimis, quod ejus mentio non uno in loco Scripturæ Sacræ injiciatur. Examinatis igitur Grotii, Bezæ, & Ligtfooti sententiis, ostendit, successisse hoc supplicii genus in Synagogis in locum excommunicationis, & æque ac excommunicationem ipsam ad ArchiSynagogos pertinuisse. Et quamvis ex eo fluere videatur, potestatem quandam judiciariam tam criminalem quam civilem Archi Synagogis competiisse, Autor tamen eam ArchiSynagogis in solidum denegat, neque eam inferre flagellationem evidenter monstrat. Mores insuper Episcoporum & Presbyterorum primæ Ecclesiæ Christianæ ab exercenda jurisdictione alieniſſimorum considerat, simul attendens, cur Christus nec flagellatus nec excommunicatus legatur a Judæis, & cur flagellatio in Christianis conventibus, quorum tamen constitutio veterem Synagogam sequebatur, locum non habuerit. Administrationem quoque Sacramentorum, præsertim circumcisionis & Baptismi Proselytorum Archi Sygnagogis specialiter tributam esse negat, contrariumque in Ecclesiis Christianis obtinuisse observat, cum baptizandi onus Episcopis & Presbyteris incubuerit. Incidenter unctionem a Presbyteris Ecclesiæ instituendam, de qua Jacob. V. 13 sermo est, considerat, & locum ex Epistola Adriani ad Servianum, quæ reperitur apud Vopiscum in Saturnino, prolixius exponit. Tandem ordinatione Presbyterorum Synagogæ, quam non a toto cœtu, sed aliis Presbyteris factam esse, consentientibus etiam priscæ Ecclesiæ consuetudinibus adstruit, explicata & variis eo pertinentibus annotatis, aliqua ex prioribus de nominibus Synagogæ Præfectorum & Ecclesiæ Presbyterorum brevibus repetit, aliqua ante hac omissa, sed ad meliorem argumenti cognitionem conducentia, adjicit ac supplet.

ISOCRATIS ORATIONES AD DEMONICUM & Nicoclem; Plutarchi liber de Liberorum Educatione; Æsopi Fabulæ sexaginta; Luciani Dialogi selecti; Isocratis Epistolæ quæ extant; Theocriti Idyllia selecta: cum scholiis Georgii Sylvani, Pannonii Medici.

Londini apud Authorem, 1684, 1685, in 12.

Jun-

Junctim exhibemus Opuscula, diversis quidem temporibus, sed uno eodemque instituto edita, ut nempe studiosæ Græcarum literarum juventuti consuleretur. Nec enim propositum aliud doctissimus Editor habuit, quam ut ad Græcæ linguæ studium lectorem manuduceret, & genuinam ejus linguæ indolem in selectis optimorum Autorum Opusculis commonstraret. Itaque singulorum primum exhibet textum Græcum, illique tum metaphrasin, qua Græca de verbo ad verbum Latine redduntur, tum periphrasin, qua sensus eorum idiomate Latinæ linguæ proprio exprimitur, subjicit. Ita enim & simplicem vocum significationem, & sensum earundem varium ac elegantem, & quantum oratio Græca peculiari quodam dicendi ornatu a Latina differat, facile perspici posse persuasum habuit. Quem in finem etiam non phrases tantum Græcas diligenti studio excerptas, sed & græcismos exhibet, utque adolescentibus ad rationem vitæ sapienter instituendæ ex veterum Auctorum lectione petendam, viam velut præiret, sententias graviores illis intermiscet.

VOYAGES DE L' EMPEREUR DE LA CHINE dans la Tartarie &c.

id est:

Itinera Imperatoris Chinensis in Tartariam. Accedit nova in Mexico detectio.

Lutetiæ, apud St. Michalet, 1685, in 12.

Autor, qui nominis loco literas D. D. dedicationi ad Regem Christianissimum subscripsit, relationes itinerum duorum Chinensis Imperatoris in Tartariam a Jesuita Verbiest conscriptas Gallice vertit; Additamentum vero de novo Hispanorum in *California* descensu, ex literis Præfecti classis translatum exhibuit. Primum iter Imperatoris d. 23 Martii anno 1682 *ex Pekino* urbe cœptum, non nisi confecto mille & centum milliarium spatio terminatum fuisse, refert *Verbiestus*, Mathematicarum observationum causa in comitatum Imperatoris adscitus, decemque equis, quos mutare pro lubi-

tu posset, instructus. Brevis est itineris descriptio, memoratu tamen non indigna continet. Xin-yam Leaotumensis provinciæ metropolin, cui 56 gradus latitudinis vulgo tribui solent, Autor 41 minutis ulterius sitam, nullamque ibi declinationem magnetis deprehendi notat. At in Ula Tartariæ urbe, cujus elevatio est graduum 44, declinare acum observavit, a meridie ad occidentem, uno gradu & 40 minutis. Novam a *Pekino* mille milliarium viam, decem pedes latam, ad regii itineris commoditatem paratam fuisse memorat, tam planam & solidatam, ut areæ esse solent, in quibus frumenta triturantur; aliamque ejusdem spatii pro reditu elaboratam. Illis viis primariæ Imperatoris uxores reliquusque immensus comitatus ordine certo utebantur, advecto, utpote in regionibus desertis aut infrequenter habitatis, magno sumtu & labore commeatu. Venationis, cui Rex toto itinere indulgebat, is modus narratur, ut ter mille ex stipatoribus, venabulis instructi circulum, cujus diameter 3000 passuum esse solebat, facerent, ferasque omnes in arctum compellerent, ita ut uno die trecentos lepores, ultra magnum luporum & vulpiũ numerum, in Tartaria vero plusquam mille cervos uno tali gyro concludi viderit Autor. Quadringentis milliaribus a *Xinyama*, *Kirinum* urbs ad *Songorum* ingentem fluviũ sita est, qui ex montibus, Tartarorũ antiqua sede, oritur, per totam æstatem nive opertis, unde nomen *Champé*, i. e. *alborum montium* habent. Inde ratibus 32 milliarium itinere *Ulam* itum est, quæ olim regia Tartarorum fuit. Cætera quæ de incommodis itineris tum ob pulverem, tum ob pluviarum intemperiem, & quæ de insigni Imperatoris erga se humanitate, ejusque circa mathemata & astronomiam studio narrat, præterimus. Spem facit Autor, particularis descriptionis eorum, quæ pro religione in aula Chinensi gesta sunt. Rediit *Pequinum* d. 9 Jun. Additur in tabella locorum a *Xinyama* ad *Kirinum* distantia 1028 stadiorum Chinensium, quorum singula 360 passus Geometricos habent. Relatum sibi esse tradit, a Præfecto copiarum Kirinensium, ab Ula urbe 700 stadiis distare *Nincritam*, non incelebrem in illis regionibus locum; ibi fluvium esse *Helum*, in quem *Songorus* sese exonerat, indeq; secundo amne orientem æstivum, & aliquantum septentrionem ver-

versus, 40 dierum itinere in mare orientale perveniri, ad fretum ut putat Anian.

Alterum iter in Tartariam occidentalem Imperator, triginta tunc annos natus, 6 Julii 1683 iniit, sexaginta hominum & centum equorum millibus comitatus, tormentis etiam aliquibus instructus: ad quod iterum adsumtus *Verbiestus* socium, permittente Imperatore, adscivit *Philippum Grimaldum*. Finis itinerum ejusmodi, quorum tria singulis annis suscipere decrevit Imperator, esse dicitur, ut milites venatione exerceantur, ne pacis tempore desidia torpeant; dein ut populi illi barbari apparatu regio territi, in officio contineantur; denique ut valetudinis atque aeris mutandi ratio habeatur. Tartariam autem occidentalem vocari notat autor, non Chinæ respectu, sed ratione Tartariæ orientalis, cui ad occidentem adjacet. Hanc nec urbibus nec pagis aut domibus, sed tantum tentoriis coli narrat, a populis pastoritiæ vitæ deditis, qui lacticiniis atque carne animalium vivunt & sedes subinde mutant, pro pascendi commoditate. Hi tamen religionem quandam & sacerdotes, quos Lamas vocant, habent; cum orientalium Tartarorum plerique nullum Deum colant. Utrique servili aut pecudum potius more dominis parent. Ultra *murum Chinensem* Tartari occidentales ad trecentorum milliarium spatium remoti sunt: murum vero illum maxime his gentibus oppositum fuisse memorat Autor, eumque quater a se visum, septem, quæ mundi miracula dici solent, longe superare statuit. Stupendum esse ait, quod non solum per vastas planities, sed & per montes altissimos continuatus sit, turribus frequentissimis distinctus tantæ altitudinis, ut alicubi 1037 pedibus supra Horizontem elevatum deprehenderit; ad tantam tamen molem extruendam omnem materiam convehendam e longinquo fuisse, nec minus mirandum esse dicit, quod non recta linea, sed pro montium situ valde curvata ducta sit. Majorem autem nunc securitatem, ejus qui nostra ætate utrumque regnum acquisivit, prudentia partam esse refert, qui Tartaros istos occidentales trecentis milliaribus, ut dictum est, a muro removerit, & alios suæ gentis in sedes eorum submiserit: quanquam Tartari iidem, si vires jungerent, toti Chinæ & Tartariæ orientali subjugandæ satis validi fore existimantur. Usus etiam alio arcano esse dicitur, nempe sacerdotes eorum, quanquam

rudes & despectos, ita tamen sibi conciliarit, ut eorum autoritate indomitam gentem in officio contineat. Hos vero sacerdotes infestos esse dicit Christianis, & aditum religioni præcludere. Narrat porro, ut Imperator rejecto prædecessorum more, omnia per se ipsum gubernare soleat, nullo magno administro dominationis adsumto, tum severe in omnes animadvertendo, qui officio desunt, nullo potentiæ aut dignitatis, nec cognationis quidem regiæ respectu. Montes Tartariæ reperti sunt 3000 pedum altitudine planitiem & mare circa Pequinum superare. Nitrosa est regio, & tam frigida, ut effossa terra ad trium aut quatuor pedum profunditatem, ingentia glaciei frusta excindi possint.

Cum vero in priori hac relatione belli alicujus mentio fiat, inter Tartaros orientales & Moscovitas, interpresGallus annotatione quadam dubitationi prævenire voluit, quæ ex vulgari utriusque regionis Geographia oriri potest, in qua maxima inter Tartariam illam & Moscoviam distantia reperitur. Nihilominns aliquibus relationibus recentioribus Gallos in Polonia militantes & cum Moscovitis conservantes cognovisse scribit, Moscovitici regni terminos versus mare Tartaricum valde extensos fuisse, ita ut ab urbibus, quæ Lopsla, Abasinko &Nerginsko nominantur,in Tartaria majori sitis,& Moscovitis subjectis,viginti quinq; aut triginta dierũ itinerePekinum iri possit. Hæc verisimilia fiunt ex iis, quæ nuper admodum de Moscovitarum & Chinensium circa fines controversiis aut motibus, in *novellis*, quas vocant, legimus.

Narrationis de Hispanorum ex Mexico navigatione in magnam Californiæ insulam nuper factæ hæc est summa. Prorex Mexici sive novæ Hispaniæ *Marchio Lagunæ*, *Isidorum Atondum*, Præfectum maris, cum duabus navibus bellicis d. 18 Januar. 1683 ex portu novæ Galliciæ *Chalaca* dimisit. Is post molestam satis navigationem portum, quem *Dominæ nostræ de pace* vocant d. 30 Mart. tenuit, cujus latitudinem varie traditam *Franciscus Kino* Jesuita, qui classe ista vehebatur, 24 grad. 45 minut. deprehendit. Dubitatum tamen fuit, an portus iste idem esset, quem antehac ita nominaverant Hispani, quia accolæ alia plane lingua utebantur, quam quaolim usi fuissent, nullamque amicitiæ demonstrationem faciebant; quanquam fieri potuerit, ut veteres coloni ab aliis pulsi fuerint.

Vide-

Viderunt paulo post barbarorum triginta quinque, qui milites Hispanos aversati a Jesuita supra nominato & socio ejus munuscula, esculenta potissimum, acceperunt. Paulo post 90 alii comparuere, paulo humaniores prioribus, sed & furandi gnari, ut sclopeti displosione terreri opus fuerit. Apparuit autem,nihil eos antehac eorum vidisse, quæ Hispani ostendebant; omnia enim ut nova & insolita, maxime sclopetorum effectum admirabantur, cæterum simiarum more omnia imitantes, quæ Jesuitæ faciebant, precum etiam formulas clara pronuntiatione sequuti. Gestibus ingeniose significare multa potuerunt. Terra frugum omnis generis capax esse videtur, montes arboribus consiti & feris pleni sunt, pascua egregia: lapides reperti, qui minerales videbantur, multum etiam concharum; sed nullæ margaritæ visæ sunt, neque illarum notitiam barbari habent. Ex balænæ ossibus maxillam invenerunt quinque ulnas longam. Longitudo Insulæ 1700 milliarium est a meridie versus septentrionem, sive a promontorio S. *Lucæ* ad *Mendozinum*, latitudo 500, ab hoc promontorio, ad portum Fran. Draci. Plura promittuntur, si sedem fixerint, ulteriusque progressi fuerint Hispani.

LES REFLEXIONS SUR L' ELOQUENCE, la Poetique, l' Histoire & la Philosophie. Tome second.

sive,

Considerationes super Eloquentia, Poesi, Historia, & Philosophia.

Tomus secundus.

Parisiis apud Franciscum Muguet 1684, in 4. & Amstelodami apud Abrah. VVolfgang, 1686. in 12.

DE partibus altero hoc Operum Rapini tomo comprehensis, earumve numero, ordine & argumentis in genere, quin & de Autore

tore ipso ejusque consilio, denuo Lectorem moneri nihil attinet, quod Tractatus singuli *Comparationibus* Tomi præcedentis proximo a nobis mense pag. 191 seqq. memoratis exacte, ut vel ipse prodit titulus, & jam tum a nobis observatum est, respondeant. Primum *Considerationum* genus in ornando *ELOQUENTIÆ* studio ita Autor occupavit, ut, postquam Rhetoricorum Aristotelis, Ciceronis, & Quintiliani epitomas proposuit in præfatione, servatæque ab his dicendi magistris methodi discrimen ostendit, tribus in universum titulis operam suam distinguat, notaturus initio potiora Eloquentiæ generatim, Civilis deinde, denique Ecclesiasticæ. Et in hac quidem illustranda multo copiosissimus est, cujus laude, vel fructu potius, pauci polleant, ideo quod majestatem Domini, cujus loquuntur loco, singuli non expendant serio, nec pio secessu, precibus, humilitate, & meditatione gratiam unctionis ambiant. Illos itaque castigat, qui a solida eruditione minus instructi, vel ineptis & puerilibus amplificationibus rem agunt, vel vanas aucupantur elegantias, vel alienam invadunt operam: rursus, qui ostentant artem distributione anxia, aut patrum ac gentilium allegatione superbiunt, theatricisque gesticulationibus ineptiunt: quorum denique mores fastus, adulatio, avaritia, rigor nimius, aliaque innumera a dignitate verbi aliena vitia coinquinant. Nec querelis nudis ita titulus hic absolvitur, ut non & rectius quid fieri possit, edoceat Rapinus. Primas inculcata iterum iterumque gravitate muneris, Scripturæ defert, quæ ideis abundet sublimissimis, quæ placeat varietate styli, quæ simplici gravitate emineat, quæque adeo prima dicendi lex futuris sit Doctoribus. Prophetis enim, quod exempli loco affert, validiores magistros compungendi cordis non haberi. Secundas tenent Patres Græci magis quam Latini, quorum paucissimis, ferente sic ratione temporis, licuerit esse eloquentibus. Ex illis Chrysostomi homiliæ in Epistolas Pauli plus vice simplici commendantur. Tertias ab aliis forte deferri putat recentiorum sermonibus: sed ut nocere plurimum lectiones scholasticas, sic ex his parum prodesse plurimos arbitratur. Nihilominus intermiscuit subinde exempla illustrium Concionatorum, Hieronymi Savonarolæ, qui finiente seculo XV Alexandri VI jussu crematus est Florentiæ: Philippi Narnii, cujus sermone coram Gregorio XV multisque præsulibus *de Residentia* habito,

habito, XXX Episcopi in diœcesin suam secesserint: Ludovici Granatensis, Edmundi Augerii, & quos ex instituto ad finem laudat, duorum Jesuitarum Lingendesii & Castillonii.

In POETICARUM Considerationum procœmio catalogum scriptorum Rapinus conficit, qui post Horatium & nonnulla præcepta Petronii, Aristotelis Poetica Constantinopoli in Italiam tralata, sunt interpretati. Literatoris quidem, vel, si mavis, Grammatici habitum induisse statuit, cum Victorio Robortellum, & Madium; Dialecticorum, Riccobonum & Majoragium: Minturnum, Oratoris; Poetæ, Vidam; Patricium, Historici; Gilium Rhetoris; Scholiastæ, Vossium. Quibus tamen omnibus, ipsius materiæ enucleatores si quæras, tres haud obscure censet præferendos, Benium, Piccolominum, & Castelvetrum; quos a se invicem sic iterum videtur distinguere, ut istum bene, illum melius, hunc optime, seposita qua fuit censendi libidine, consulere liceat. Laudato tamen indice interpretes omnes non contineri, facile concesserit Cl. Autor, qui præter hos Gallutium, aliosque alibi nominavit ipse, quique ob suas ipsius Observationes annumerari eorum censui omnino meruit. Quicquid enim sit de Aristotelis ordine, ut alia ab eo tradere præcepta audeat, tantum id quidem abest, ut & Hispanum illum Poetam CCC (imo si Auctori Operis Gallici, *Jugemens des Scavans sur les principaux Ouvrages des Auteurs*, cujus prima pars Parisiis anno superiore prodiit, tomo I pag. 435 fides est, CIↃCCC) Comœdiis celebrem, Lopez. de Vega, sola *artis novæ* tentata scriptione nominis sui famam attrivisse judicet. Hinc tractationem ipsam generalem ingressus, excussa Poeticæ artis vasta magnitudine eaque ordinatius, quam ab Aristotele & Horatio factum, beneficio causarum delineata, e solis veteribus, modo servilis imitatio aut affectatio absit, discendam eam esse contendit. Nam etsi & illos ipsos observat non inveniri ubique sibi similes; tutiorem tamen viam non extare, & quod desit in uno, reperiri abunde in alio. Illudque consilium suo cum damno seu ignorasse, seu multis locis, præter Vegam, neglexisse Ariostum & Tassum (a Benio patriæ verius amore, quam veritatis, Homero & Virgilio comparatos) Marinum, pluresque Hispanos, Gallos, Italos. Rectius consuluisse sibi Georgium Trissinum, & Fulvium Testium, ubicunque tantos secta-

ri duces non dubitaverint. Omnium feliciſſimos illos ait reputandos, quibus cum tenera adhuc eſt ætas, Corinthum adire, hoc eſt, mentem veterum exemplis imbuere contingat. Nihil enim aliud exiſtimat Julio, & Joſepho Scaligeris obfuiſſe, quam ſero nimis cœptum poeſeos ſtudium. Cæterum in Conſiderationibus ſpecialibus, Epici primum carminis leges a paucis olim hodieque ſervatas explicat, & vix, quod mireris, e grandi veterum recentiorumque agmine tres habet, quibus gloriam iſtam plene tribuere audeat. Nam & ipſam literaturam, ut e tot cenſuris unicam inſeramus, nocuiſſe hic H. Grotio, & Dan. Heinſio. Nec quod in univerſum advertimus, judicandi dexteritatem in Gallo deſideraveris facile, qui ipſorum Gallorum vitia ſevere toties arguit. Traditis deinde Tragœdiæ veteris partibus utilitatibusque, illuſtriſſimi Principis Contii meminit, qui peculiari tractatu tragœdiam modernam amatoriis plerumque rebus laborantem ex merito caſtigavit. Tandem de Comœdia vetere diſſerens (hodiernæ enim licentiam Concionatoribus coercendam relinquit) Menandrum Ariſtophani, Terentium præfert Plauto: e recentioribus Vegam Hiſpanum, & Molierum gentilem ſuum commendat. Hinc ad poematia, quæ cum quandam ſimilitudinem majoris illius poeſeos habeant, haud inepte eo reduci poſſunt, progreditur, ad eclogas ſcilicet, ſatyras, elegias, odas, & epigrammata. In Eclogis Theocritum dulcedine, Virgilium judicio præſtare credit. In Satyris, Horatio Juvenalem non minus ac Perſium concedere; hodieque duas extare ejus generis absque metro ſcriptas acutiſſimer, efert: unam, autore Cervante Ducis Albani Secretario, ſpectaſſe; Ducem Lermanum, Philippi III miniſtrum primarium, quod ſe aliosque viros doctos habuerat contemptius: altera tempore Ligæ in Galliis prognata exagitari Guiſios. In Elegia Latinos præponit Græcis, e Latinis Tibullo & Propertio Ovidium; cujus genium Lotichius noſter, Molſa Italus, ac Sidronius Belga feliciter expreſſerint. In Odis Pindarum ait tenere regnum, & Horatium. In Epigrammatibus Græcos ſejungit a Latinis, quorum illi amœnam ſubtilitatem nexus, hi vocum magis argutias graviter ſint ſectati. De Madrigalibus & id genus verſibus aliis, ac omnis denique poeſeos Gallicæ difficultatibus quæ ſubjunguntur, tacere malumus. Sed quoniam de rhythmis quoque circa finem agit, quorum

rum cura & Gallos teneri ſcimus, *Nicolai Rapini* Fontenaco Pictavi ante hos ſeptem fere & ſeptuaginta annos, ſummos inter honores denati, non poſſumus non meminiſſe. Is enim, ut habet Scævolæ Sammarthani elogium, poeticis ejus operibus, Lutetiæ Pariſiorum 1610 editis inſertum, omiſſis vulgaribus rhythmis & homœoteleutis, Gallicos quoque verſus ad Græcorum Latinorumve numeros compoſitos, certis pedum legibus cohibuit, ſervata cujusque ſyllabæ menſura. Unde mirum eſt, quod Renatus noſter nullam Nicolai mentionem hoc loco faciat, cujus eum ob antiquitatis amorem aliaque ſtudia putes quam ſimillimum. Habentur ergo hoc vel ſolo opere, quæ doceant, quæ delectent, quæ bona ingenia exerceant, & quod rurſum addimus, quæ Latina interpretatione digniſſima omnino videantur.

Tertium locum conſiderationibus dedit, quæ HISTORIAM ſpectant. In quarum principio, quam difficile ſit definire ſcribendæ hiſtoriæ modum, expendit, eaque difficultate non paucos eam in ſententiam pertrahi, ut exiſtiment, mores ſolum temporis, quo vivitur, in adornanda hiſtoria ſequendos eſſe. Verum qui non præſenti modo ſeculo, ſed & omni poſteritati, exemplo veterum, placere velit, eum, judice Rapino, ſimul noſſe generales quasdam regulas oportet, quibus obſervatis legentium favor quocunque impetretur ævo. Earum contra neglectus in cauſa dicitur eſſe, cur tot hiſtoricorum vix ſalva hodie ſuperſint nomina. Et has quidem regulas quatuor vocabulis Autor expreſſit, quorum expoſitionem ab ipſomet petieris rectiꝰ. Quæ porro afferuntur de bonæ narrationis legibꝰ, magnam partem vulgaria ſunt, ſed præter inſperſa more ſuo exempla, de tranſitionibus, connexionibus, ſententiis, & immiſtis orationibus, varia Auctor congeſſit. Circa finem certe de priſcis pariter ac novis hiſtoriæ in utraque lingua conditoribus ea feruntur judicia, quæ non poſſunt non utilitatis plurimum afferre. E Græcis Herodotũ producit, Thucydidem, Xenophontem, Polybium, Diodorum Siculum, Arrianum, Dionem Caſſium, Procopium, & ſcriptores Byzantinos: e Latinis Salluſtium, Cæſarem (cujus de bello Gallico libros ex ipſis Franciæ Regibus transtulere Henricus IV, & Ludovicus XIV) Livium, Tacitum, Curtium, Juſtinum, Auguſtæ hiſtoriæ ſcriptores.

E recentioribus neminem dimittit fere sine censura, si Cominæum, & Marianam, quem magnifice ubique laudat, excipias.

PHILOSOPHICÆ tandem Considerationes, in sex ab Autore titulos leguntur distributæ. Primo enim (cui pro argumento est *Philosophia in genere*) sectis omnibus in septem classes redactis, æmulationem Christianorũ & gentiliũ Philosophorum, nec nõ miserandam illam barbariem Scholasticorum, Cabalæ Chymicæ ortum exponit, quidq; hominis & nationis indoles in eligenda philosophandi ratione valeat, jucunde ostendit. Totus vero est in commendandis sobrie veteribus, quos vel sola *traditio* & tot seculorum consensus humani generis præceptores constituerit. Cui cum recentiorum quorundam autoritas videretur obstare, utrosque comparat, duosque illos scopulos sedulo vitare jubet, servilem antiquitatis cultum, & licentiosum novandi amorem. Sic enim hodie ab insinceris quibusdam hominibus fieri, ut ascita nova eaque tenebricosa phrasi, ac effictis monstrosis opinionibus, famæ suæ, non aliis consulere studeant. Catalogo illorum satis referto inserendum quoque Cartesium putavit, quo de Rohaultius inscius quidem ac imprudens male meruerit, quod quæ iste in physicis studio infucaverat, simpliciore explicatione detersa, magna bonitatis parte privavit; majorem fidem iis, quæ non intelligunt, hominibus vulgo adhibentibus. Secundo titulo observationes habentur in *Logicam*, parum ab aliis philosophis excultam & dispositam ante Aristotelem; cujus adeo epitomen Rapinus subjunxit, e tot posterioribus interpretibus Smiglecium Polonum Jesuitam honorifice commendans. Simul tamen Zenonis, Epicuri, Galeni, Lulli, Rami, Cardani, Baconi, Campanellæ, Helmontii, Cartesii, & Petri Munerii Gratianopolitani Medici labores enarrantur. Tertius locus tribuitur Considerationibus super *Ethica*; cujus desiderium primus omnium conceperit Democritus, cultũ præiverit Socrates; sequente Platone, Aristotele, Zenone, Epicuro, Cicerone, & multis aliis, in fraudem fere physicæ, nimium de summo bono controversiis indulgentibus. Sed quæ de perfectione Ethicæ Christianæ disserit, caput hujus tractationis non immerito dixerimus. Nam & æmulationem gentilium ex illa natam, & præcellentes ejusdem fructus, doctoresque commemorat. Quarto titulo leguntur Considerationes super *Physica*, qua ob difficultates in-

inextricabiles, gignendæ in homine humilitati efficaciorem nullam partem Philosophiæ censet. Hanc priscos olim in tot distraxisse sectas: ac Florentia promissum, sed frustra forte, fuisse Rucellai opus quoddam, XII voluminibus Italice scriptis, omnia veterum dogmata, & plusquam XXX Systemata physica complexurum. Noster quidem quid Ægyptii, quid Græci, quid Romani quondam præstiterint, justa commemoratione persequitur, sic ut de Aristotelis interim sui a paucis lecti, a paucioribus intellecti existimatione maxime sit solicitus. Quosdam ejus defectus agnoscit; sed condonari posse probat. Recentioris physicæ historiam incipit a Galilæo Florentino, ad Gassendum, Baconum, Torricellum, Mersennum, Harveum, Borellum, Boyleum aliosque, ut & integras Societates progressus; facta insuper Campanellæ, Telesii, Fludii, Helmontii quin & Hobbesii, omniumque fere Chymistarum mentione minus honorifica. In Cartesio nationis suæ Philosopho quæ desiderat, dudum fortasse nota sunt: causam tamen, cur *vacuum* cum aliis negaverit, subtilemque suam materiam effinxerit, referre lubet. Didicerat hic e Mersenni, quem Parisiis rerum suarum veluti curatorem habebat, literis, parvo æstimari sciagraphiam suam physicam, quæ vacuum admitteret. Cum itaque mutaret sententiam placendi studio, Gassendusque id repugnare suæ de motu hypothesi objecisset; materiæ suæ subtilis commento difficultatem tollere conatus est. In *Metaphysicis* denique Considerationibus, quatuordecim libris Aristotelis dispositis, Suarezium ita commendat, ut quid de aliis sentiat, non dissimulet. Esse vero arbitratur hæc veræ obstacula metaphysicæ, abstractionum horrorem, obscuras definitiones, terminorum barbariem, quæstiones spinosas, ingeniorumve, queis studium istud conveniat, raritatem. Postremo loco de *USU Philosophiæ in Theologia* differit; ostenso simul periculo, si falsam eam esse contingat. Prudenter ergo a concilio Lateranensi atque Viennensi fuisse definitum, ne Professores Philosophiæ quicquam statuant in fraudem fidei. Huic vero maxime congruum esse & stylum Aristotelis, & principia organica, atque methodum, in confutandis præcipue heterodoxis, defendendaque contra gentiles Christianæ religionis veritate. Qua etiam occasione Opus Thomæ contra gentes, Savo-

narolæ Truimphus Crucis, Vivis liber de veritate fidei commendatur.

ΤΟΥ ΕΝ ΑΓΙΟΙΣ ΠΑΤΡΟΣ ΗΜΩΝ ΑΘΑΝΑΣΙΟΥ Ἀρχιεπισκόπου Ἀλεξανδρείας τὰ εὑρισκόμενα ἅπαντα

S. PATRIS NOSTRI ATHANASII ARCHIEPISCOPI Alexandriæ opera, quæ reperiuntur, omnia.

Editio nova juxta Parisinam anni 1626 adornata cum indicibus necessariis.

Coloniæ, sumtibus Mauritii Georgii VVeidmanni, 1686, in fol.

MEretur profecto, si quisquam inter priscos ecclesiæ Patres D. Athanasius, ut scripta ejus inter mortales ἀθανασία serventur. Quod cum eruditis probe perspectum foret, non defuere jam inde a primis renascentium literarum exordiis in hunc usque diem, qui iisdem conquirendis, Latine vertendis, & vel una vel utraque lingua, seorsim conjunctimve in publicam lucem emittendis, operam dederunt. Desudarunt in hoc pulvere *Angelus Politianus*, *Johannes Reuchlinus*, *Erasmus Roterodamus*, *Johannes Lampadius*, *Valentinus Ampelander*, *Petrus Nannius*, *VVolffgangus Musculus*, *Johannes Curterius*, *Theodorus Beza*, *Abrahamus Scultetus*, *Petrus Felckmannus*, *Johannes Piscator*, *David Hœschelius*, *Albertus Hungerus*, *Johannes Tillius*, *Franciscus Turrianus*, *Fronto Ducæus*, *Petrus Panctinus*, *Lucas Holstenius*, *Franciscus Combefisius*, *David Colvillus*, *Johannes Baptista Cotelerius*, *Andreas Arnoldus*, & alii, quorum diversus labor, nec omnium eadem fortuna, cum multi nubem pro Junone fuerint amplexi; quos inter etiam *Christophorus Persona*, qui Theophylacti in Paulinas commentarios Athanasio perperam inscripsit, antiquioribus Athanasii editionibus quæ Lutetiæ 1520, Argentinæ 1522, & Basileæ 1527 prodierunt, insertos, sed postea in Colonienſi, quam 1532 Cervicornus procuravit, aliisq; recentioribus Latinis pariter, (quales Basileæ 1556 & 1564 quatuor, Lu-

Lutetiæ autem 1572 & 1581 quinque tomis distinctæ lucem aspexerunt) & Græco Latinis editionibus omissos.

Inter Græco-Latinas prima fuit Comeliniana, sub initium hujus seculi Heidelbergæ nata, quam in plerisque secuti sunt Parisienses anno 1626, de eo tantum soliciti, ut correctiorem & auctiorem exhiberent. Quamvis correctionem non ubique satis feliciter tentatam fuisse vel ex eo pateat, quod in præfatione ad posthuma Petri de Marca opuscula *Baluzius* monuit. Ea quæ in Parisiensi editione ad Athanasianorum operum numerum accesserunt, sunt imprimis vita Antonii Eremitæ Græca, & septem homiliæ e diversis bibliothecis ab *Holstenio* erutæ. Nam declaratio in Leviticum & alia quædam Athanasii fragmenta, in Heidelbergensi editione minime desiderantur, sed in Parisiensi semel suo loco, & iterum sub peculiaribus titulis leguntur, quod ut superfluum in Palatina illa editione *Felckmannus* sedulo præcavit.

Novam quam nunc sistimus, Athanasii editionem Parisiensi conformem esse ipse titulus indicat. Neque novi quicquam accedit, præter opusculum superiore anno ab *Arnoldo* sub Athanasii nomine vulgatum, & in actis nostris memoratum. Cetera enim, ut vitam Syncleticæ in actis Sanctorum ad d. 5. Januarii ex interpretatione *Colvilli*, & postea a *Cotelerio* in monumentis ecclesiæ Græcæ Græce & Latine editam, aliaque nonnulla, quæ in bibliotheca Patrum ejusque auctariis sub Athanasii nomine leguntur, omittere placuit, ne dubii & suspecti fœtus supra modum aucti genuinos oppressuri viderentur.

LETTRES DE PROTESTANTS DE France.

id est:

Literæ Protestantium Gallicæ nationis, qui omnia ob causam Evangelii reliquerunt, ad omnes alios Protestantes Evangelicos, fratres in Jesu Christo. Item, Epistola ad Reges, Electores, Principes & Magistratus Protestantes.

Anno 1686 in 12.

Tri-

Tribus epistolis compellant Protestantium Ecclesiam, qui ex Gallia religionis causa profugerunt; quarta Principes & proceres speciatim. *Prima* (data d. 27. Jan. 1686) continet compendiosam narrationem calamitatum, quas Reformati in Gallia passos se esse conqueruntur, tum variis libertatis suæ restrictionibus & imminutionibus, ab anno 1660 usque ad nuperam Cleri Gallicani congregationem mense Majo anno 1685; tum maxime post hujus congregationis tempus, cum sublatis penitus privilegiis in extremam inciderunt ruinam. Hæc tamen omnia, quia ex tot aliis libris & relationibus jam innotuerunt, & absque dubio prolixioribus narrationibus exponentur, recensere supersedemus. Memorabile est, quod primæ epistolæ insertum legitur, responsum a Rege Christianissimo anno 1666 d. 10 Septembr. ad Sereniss. & Potentiss. Electorem Brandenburgicum, jam tum pro Reformatis intercedentem datum, cujus inter alia hæc sunt verba: *Inter præcipuas curas mihi est, ut Reformatis in omnibus negotiis, omnibusque occasionibus religiose præstari faciam, quæcunque per concessiones Regum prædecessorum meorum, measque, & vi edictorum nostrorum ipsis debentur; nec permissurus sum, ut iis ullo modo contraveniatur: hanc mihi ipsi regulam præscripsi, tum ut justitiam observem, tum ut iis ostendam mihi illorum obsequio & zelo, quem post ultimam pacificationem anno 1629 in servitiis mihi exhibendis demonstrarunt, satisfactum esse.* Epistola *secunda*, cui dies 6 Febr. adscriptus est, capita fidei quam Reformati profitentur, & eodem quidem tenore, quo congregationi Cleri anno 1685 exhibita fuerunt, proponuntur. Hæc quoque, ut aliunde nota, non opus est, ut hic recenseantur. In *Tertia* (d. 16 Febr.) demonstrare nituntur autores, dissensum inter Protestantes *utriusque* (ut loquuntur) *confessionis*, impedimento esse non debere, quo minus pro fratribus sese mutuo agnoscant & tolerent. Alloquuntur igitur Lutheranos, & generaliter ab initio monent, non defore usque ad finem seculi inter Christianos diversas de aliquibus mysteriis Christianismi opiniones, quia docente Apostolo I. Cor XIII. 9. 12 *ex parte cognoscimus, & per speculum in ænigmate videmus.* Si qui igitur plus luminis se accepisse putantes, alios præscriptis regulis & credendi formulis, ad ejusdem quam habere se existimant, cognitionis gradum cogere velint, eos tot schismata excitaturos esse ajunt, quot non solum

solum sunt nationes, sed & cœtus, & homines. Interim, ut appareat, se de mysteriis, quæ non satis cognoscere existimentur, innoxie sentire, nec opinionis suæ differentiam tantam esse, ut tolerantiam, & si occasio detur, communionem mutuam impediat, doctrinam suam de *Sacra cœna* (quam præcipuum controversiarum caput esse arbitrantur) exponunt. Convenire autem sibi cum Lutheranis dicunt, quod Sacramentum illud sit signum mortis Christi, & sigillum novi Testamenti; quod nulla in eo fiat transsubstantiatio; quod adorandum non sit; quod sacer calix omnibus fidelibus præberi debeat, non minus ac panis consecratus; quod nullum per id fiat sacrificium propitiatorium, sed commemoratio sacrificii crucis Christi, quo peccata nostra plene expiata fuerunt; quod sacramentum hoc sancta dispositione recipientes realiter participes fiant Domini nostri, & salutis per mortem ejus partæ. Solam itaque differentiam esse, quod Lutherani se illud realiter ore corporis; Reformati itidem realiter, sed corde per fidem, quæ est os animæ percipere id credant. Cum vero utrique confiteantur, accipi Servatorem mundi, & participes ejus in S. cœna nos fieri *realiter & vere*, neque tamen alterutri modum sciant, quo Christus cum fidelibus in sacramento uniatur, sufficere censent, quod Deus, sanctæ unionis hujus autor, id sciat; nec Apostolos ad S. cœnam admissos clariorem, quam nos cognitionem habuisse: nec apertius cognosci modum regenerationis, quæ fit per Spiritum sanctum. Afferunt postea quæ ex libris Reformatorum jam dudum constant, quomodo verba *hoc est corpus meum* intelligant, & quibus rationibus inducti particulam *est*, pro *significat*, accipiendam esse putent, & cur in ceremoniis diversum servent; sperantes, ut si qui non obstantibus argumentis illis nihilominus errare existiment Reformatos, ea tamen futuri sint æquitate animi, ut non sine verisimilitudine errare agnoscant, & tali denique errore, qui fundamentum salutis non subvertat. Addunt pauca *de imaginibus*, quæ cum nullo cultu & honore a Lutheranis afficiantur, divisionis causam præbere nequeant, quanquam optare se testantur, ut populus assuefiat, ut in spiritu & veritate Deum adoret, & verbum ejus, absque sensuum delectatione, in pectore meditetur. Quod Providentiam divinam attinet, credere se, quod Deus mundum potentia sua creaverit, sua-

que regat ſapientia, nihilque fiat fortuito aut ſine ejus permiſſione; injuſte ſibi imputari dicunt, quod Deum faciant autorem peccati; Eccleſiam ſuam non agnoſcere unius alteriusve doctoris phraſin male intellectam, nec conſequentias illi ſuperſtructas admittere, ſed damnare. Malum a Deo permitti, non effici, & ſapientiam ejus noſſe mala, quæ ex hominum malitia fiunt, pro ſapientia ſua in bonum vertere, quo ſenſu Act. IV. 28 dicatur, quod *Judæi quæ manus & conſilium Dei decreverint, fecerint*, & Eſai. X. 5 quod *Aſſur ſit virga furoris Domini*. Porro *prædeſtinationem*, *reprobationem*, *ſatisfactionem Chriſti*, *efficaciam S. Spiritus* magna eſſe myſteria, quæ ſecundum ſpeculationes ſcholaſticas examinare & penetrare, ad ſalutem non ſit neceſſe; ſatius fuiſſe, nunquam de iis diſputaſſe, & ut quisque Scripturam legens & meditans ea comprehendere annixus eſſet, ſecundum gratiæ modum a Deo ſibi datum. Si quædam durius dicta in Theologorum Reformatorum libris reperiantur, non deeſſe talia in Lutheri & veterum Aug. Confeſſionis doctorum ſcriptis: diverſitatem conceptuum inter ipſos Reformatos eſſe, ob quam tamen ſchiſma non faciant. Quomodocunque hi aut illa myſteria iſta comprehendant, omnes tamen ſapientiam, miſericordiam, juſtitiam Dei Patris, charitatem filii ejus Jeſu Chriſti, & gratiam Spiritus ſancti, admirari & venerari. Si contraria ex opinionibus eorum eliciantur, negari ab ipſis & rejici. Cur diſputatur, *ajunt*, de reprobis? *Quid ad nos, qui foris ſunt*? Nonne ſcire & profiteri ſufficit, ut omnes agnoſcimus, decretum Dei neminem ad peccatum cogere; ſine pœnitentia & fide neminem participem fieri ſalutis per Chriſti mortem acquiſitæ; pœnitentiam vero & fidem dona eſſe Spiritus ſancti, ſemper a Deo petenda; Sacroſanctæ Trinitati omnem gloriam redemtionis noſtræ deberi, & Evangelium a miniſtris, omnibus auditoribus indiſtincte prædicari debere, & ſalutem omnibus qui pœnitent & credunt in Chriſtum annuntiari, de ſingulis etiam qui pœnitentiæ & fidei ſigna dent, bene ſperari, & conſcientias propoſito miſericordiæ divinæ ditiſſimo theſauro, immenſa charitate, & infinito merito Chriſti erigi, & Spiritus Sancti operationes precibus implorari. Hæc ita fieri aſſerunt in eccleſiis ſuis, maxime apud morientes. Deplorant damna a Theologia Scholaſtica Eccleſiæ illata, nec dubitant

bitant ſalvari poſſe, & inter fideles & membra Chriſti referri debere, qui ignoratis aut omiſſis Scholæ quæſtionibus, capita fidei, in *Epiſtola ſecunda* enarrata, profiteantur. Addunt paræneſin ad tollendum ſchiſma, quod tot eccleſiarum ruinæ cauſam dederit, & ut debiliores ab iis qui ſe firmiores eſſe credunt ferantur, donec eadem illuminatione & firmitate potiantur, utque reges & principes permoveantur admonitionibus piorum miniſtrorum ad colloquium inſtituendum, in quo non diſputetur, ſed de pace & concordia, ut inter fratres in Domino, & de unione, & mutua tolerantia, quæ veros Chriſtianos decet, conveniatur. Interea ſperant ſe benigna receptione, conſolatione & precum ſubſidio dignos habitum iri, tanquam membra & confeſſores Jeſu Chriſti, quibus ingentes quas perpeſi ſint & adhuc patiantur afflictiones, teſtimonium veritatis præbeant. Quemadmodum autem Epiſtolæ titulo ſubſcripſerant & ſibi applicarant locum Pauli *Phil. I. 29 donatum nobis eſt pro Chriſto, non ſolum ut in eum credamus, ſed ut etiam pro illo patiamur*, ita plurimis ex Pſalmis & Prophetis de afflictione & conſolatione piorum dictis, epiſtolam hanc pathetice claudunt. *Quarta*, uti dictum eſt, epiſtola (d. 17. Febr.) ad Reges, Principes & Magiſtratus Proteſtantium dirigitur & brevis eſt, eoque tendit, ut ſchiſma in Eccleſia, ſponſa Chriſti, & Principum protectioni concredita ceſſare faciant. Paſtores etiam adhortantur, ut *Jojadæ* & *Joſuæ* ſacerdotum exemplo, apud Magiſtratus, veluti apud *Joam Regem* & *Zerubabelem Principem*, ſcopum hunc ſaluberrimum urgeant; quod ſi ceſſarent Paſtores, Regum tamen, *Aſſæ*, *Joſaphati*, *Ezechiæ* & *Joſiæ* exemplo, Eccleſiæ ſalutem procurandam eſſe, quanquam tunc a Sacerdotibus & Levitis neglectam. Sine conſcientiæ læſione non poſſe diutius tolerari ſchiſma, ex quæſtionibus ſcholaſticis & ad ſalutem non neceſſariis hucusque continuatum, quod tot mala Proteſtantium Eccleſiis intulerit, & extremam ruinam minitetur. Humano potius quam divino ſpiritu diſputari; calore mentis, aut vincendi ſtudio incitatos peccare in humilitatem Chriſtianam, in manſuetudinem S. Spiritus, in charitatem & emendationem publicam, in concordiam fraternam, in quietem eccleſiæ & augmentum regni Chriſti. Oſtendunt inde periculum a Romani Cleri concordibus & perpetuis, ad opprimendos Proteſtantes, quos diviſos vident, conſiliis, & quibus

modis ad hæc exequenda, Reges & Principes, invitos quandoque & meliora sentientes pertrahant. Divisione illa factum esse, ut Gallorum Reformatorum clades cæteri tanquam ad se nihil pertinentem adspexerint. Esse adhuc quindecies centena in Gallia hominum millia, qui dies noctesque sub crudelissima persecutione gemant. Filios illos esse Germanicarum Ecclesiarum, & ab his lumen reformationis accepisse, subsidiumque inde mereri. Addunt alia quibus ad commiserationem, & communis causæ patrocinium commoveri posse Principes & populos existimant. Hæc fere sunt, quæ in his epistolis continentur, a nobis historice relata, suspenso, pro scopo nostro, & delato, ad quos illud pertinet, judicio.

DE GRANIS AVENÆ, QUÆ IN STOMACHO germinarunt, Observatio a Dn. Busiere Comitis de Roye Chirurgo Hafnia ad Auctorem Novellorum Reip. Litt. d. 25. Aug. 1685, perscripta.

Translata ex dictis Novellis Mens. Sept. 1685, p. 994. seqq.

Milles quidam e præsidiariis Hafniæ, cum hyeme superiori nonnulla avenæ grana deglutivisset, versus finem usq; mensis Julii in ventriculo eadem retinuit; interea temporis modo febri, modo vomendi conatu, maxime vero doloribꝰ circa stomachū cum scorbuticis pathematis haud parum afflictus. Proximo mense Julio cum gravius solito angeretur, & chirurgus legionis cui adscriptus æger erat, emeticum ipsi propinasset, grana illa avenæ cum materia alia satis prava per vomitum ejecit. Quo in casu admirationem inprimis meretur, non tantum diuturna granorum avenæ in ventriculo (nec continuo hujus nisu, nec catharticorum sæpius adhibitorum violentia obstante) commoratio, sed & quod radices in ventriculo grana illa egerint, ac non secus ac si terræ fuissent concredita, germinaverint; nisi quod culmos modo sine granis produxere. Culmi satis erant tenues, & perquam similes aristis sive barbulis, in tritici spica alias conspicuis, non quidem æque ridigi, sed longiores; dum granorum istorum nonnulla culmum 7 vel 8 digitos longum projecerant,

cerant, nec simplicem illum, sed tribus vel quatuor interstinctum nodulis, ad figuram & crassitiem exilissimorum avenæ granorum accedentibus. Ex parte inferiori quodlibet horum granorum trinas quaternasve radices, 2 vel 3 digitos longas & admodum subtiles jecerat. A vomitu hoc æger melius habuit, pristinamque recuperavit sanitatem.

Hanc avenam plurimi pro morbi causa in milite habuerunt. Plerique vero commilitones ejus rem tribuebant incantamentis. Ego ab utrisque dissentio, & verosimilius arbitror, in milite, cum avenæ grana deglutiret, morbosam jamdum adfuisse dispositionem, a qua in ventriculo (uti sæpius in subjectis ad scorbutum inclinantibus evenire solet) materia quædam viscosa producta fuerit granis detinendis idonea. Eo autem morbo ingravescente, iidem quoque ventriculi humores magis devenerunt tenaces, ut avenæ æque granis retinendis, ac fermento ventriculi, ne alterationem iis quandam induceret, velut obtundendo essent pares. Verum humoribus hisce cum avena vomitorii ope exterminatis, in libertatem ventriculus, in reconvalescentiæ statum æger fuit vindicatus.

EJUSDEM BUSSERII OBSERVATIO ALIA DE extraordinaria quadam prægnatione, ex iisdem Novellis l. c. traducta.

En phænomenon aliud æque rarum, jucundamque Anatomicis differendi materiam suppeditaturum. Degit in urbe hac (Hafnia) uxor quædam militis quinque jam annos gravida. Ea primis novem mensibus motum infantis percepit, mammas quoque non secus ac aliis fœminis gravidis accidere solet, lacte turgidas experta. Nono gestationis mense similes, atque parturientes solent, dolores sensit, sed qui cito evanuerunt, sensim secuta mammarum ad pristinum statum redeuntium detumescentia. Fœtus interim singulari plane ratione in utero hæsit, utque ipse instituto examine comperi, situm in abdomine matris obtinet transversum, capite dextram, pedibus sinistram coxam occupantibus, dorso vero ante-

anteriora versus matris ad umbilici altitudinem converso. Facile fœtus is manu percipitur abdomini admota, cujus adeo tenuis cutis est, ut ad fœtus usque corpus, nonnisi sceletum repræsentans, vix dimidii digiti supersit crassities. Omnes ipsius partes commode distingui invicem queunt. Mater motum ejus a quatuor annis non amplius se sensisse perhibet, & licet per molestiam inde provenientem alias obire actiones non impediatur, incisionem tamen in abdomine sibi fieri extrahendi fœtus gratia mallet. Ast nemo est qui ei rei manum admovere velit, Medicis quippe ac chirurgis fœtum uteri cavitati inhærere persuasis. Qua in re tamen ab iis dissentio, existimoque fœtum hunc extra corpus matricis uti conceptum, ita enutritum quoque fuisse, sed cum viam qua e loco suo exiret, invenerit nullam, mortem probabiliter ex defectu ulterioris nutrimenti, obiisse. Casus hic extraordinarius utique est, sed non sine exemplo. Prostant enim historiæ gravidarum, quarum fœtus in uteri tubis fuerunt reperti, sed evadere præpediti, vitam & ipsi amiserunt, & una abstulerunt matribus. Quatuor vel quinque sunt anni, cum venatores leporem fœmella in campis S. Dionysii capta, protuberantiam quandam ad abdominis hujus latus animadverterent, quam præternaturalem sibi visam dum aperuere, fœtibus eandem deprehenderunt turgidam. Id videns Clericus quidam Cardinalis Bullionii domesticus, leporem in hortum regium ad Dn. du Vernay, cui socias tum in administrationibus Anatomicis jungebam manus, ferendum curabat. Ita in rem curatius inquirentes, uterum fœmellæ ad conceptionem non alio modo deprehendimus concurrisse, quam sustentando placentas ad nutrimentum fœtibus, qui membranis suis prorsus extra uterum involuti erant, surrogandum. Unde in mentem venit, gravidæ supra dictæ accidere potuisse, ut ovulum, cui fœtus productionem sui debebat, non nisi ad extremitatem alterutrius tubæ (sive vitio pravæ hujus conformationis, sive obstructionis aliunde illatæ) deferri potuerit, quodque suffecerit formari in tuba illa placentam, quæ materiam incrementi ovulo suppeditaret. Inde auctis fœtus viribus umbilicalem ab eo chordam ruptam, placentamve avulsam, ut adeo utraque ratione medium continuandi vitam sibi ipsi subduxerit. Tametsi vero nec fluxus lochiorum, nec

nec abscessus supervenerit, non tamen est, ut de eo solliciti simus, quid de placenta carneque fœtus, qua denudatus hic plane videtur, factum sit, cum virium naturæ in materiæ cujusdam excretione validæ effectus magis mirandi occurrant. Nec est quod stupeamus, fœtum mortuum adeo diu conservatum, postquam historia de fœmina Tolosana, cujus fœtus mortuus per decem annos utero gestatus, integer tamen & sine ulla corruptione repertus est, omnibus innotuit. Ii vero, qui animalium ortum ex ovo negant, dum hujus generis phænomena explicare volent, gravi se sentient implicitos negotio. Invenient vero in sequenti forsan observatione, quod magis arrideat.

OBSERVATIO CIRCA TUBAS UTERI MULIEBRIS, a Dn. Postello Medicinæ in Academia Cadomensi Professore communicata Auctori Novellorum Reip. Litt.

Excerpta ex Novellis mensis Febr. 1686. artic. 5.

IN cadavere mulieris libidinosæ & furacis annorum circiter 24, mense Decembri 1684 in scholis nostris dissecto, circa partes genitales hæc observavimus. Testes quam pro fœmineis ampliores, solidiores, rotundiores, & minus depressi, ut viriles quadantenus æmularentur, femine turgebant absque ullo ovorum vestigio. Tubas vero quod spectat, dextra quidem duplo, sinistra vero quadruplo naturalem modum excedere visa est: utraque sed præsertim hæc glanduloſa, instar testiculorū, vel potius epididymidis virilis, quam substantia non minus quam figura tereti & longa prorsus referebat, ita ut dum utramque conferro, mentem subierit tubas forsan mulierum viriles epididymidas saltem analogice referre, & ab iis situ solummodo diversas, quod in viris hæ quidem testibus incumbant, unde & nomen sortiuntur, in fœminis vero testes & uterum interjaceant, in cæteris autem præsertim in officio seminis generandi convenire. In prædictis quippe tubis copiosum semen reperiimus, non ex testiculis affluens, cum vasorum deferentium nulla portio, sed præparantium duntaxat arteriarum & venarum propagines in tubas dissemi-narentur, quæ ideo semen in testiculis confectum non recipere, sed potius in seipsis genitum ductu manifesto & pervio sic ut specillum mediocre admitteret, in uteri fundum excernere visæ sunt. In testiculis vero suæ

quoque

quoq; deprehensa sunt vasa deferentia paulo inferius cervicem uteri subeuntia, specillo quantumvis tenui prorsus impervia. Num ergo ut in virili sexu semen in testiculo & epididymide, sic in fœmineo in tubis & testiculis pariter æqualiterque generantur ?

LIBRI NOVI.

JOhannis Lichtfooti Opera omnia duobus voluminibus comprehensa. Roterodami apud R. Leers 1686, in fol.

Sam. Pufendorffii Commentariorum de rebus Suecicis libri XXVI ab expeditione Gustavi Adolphi Regis in Germaniam, ad abdicationem usque Christinæ. Ultrajecti apud I. Ribbium 1686, in fol.

Andreæ Reiheri Lexicon Latino-Germanicum, sive Theatrum Romano-Teutonicum, Scriptorum Classicorum fide probata, eorumque libro, capite, indicatis longe auctius, studio & cura Filiorum Heredum editum, cum epistola Christophori Cellarii. Lipsiæ & Francof. apud M. G. Weidmannum, 1686, in fol.

Philippi a Limborg. Theologia Christiana. Amstel. apud I. Luchtmann 1686. in 4.

Historia Genevrina osia Historia della Citta e Republica di Geneva, scritta da Gregorio Leti. in Amsterdam. per P. & A. van Sommern. 1686. in 12.

Historia naturalis molarum uteri &c. Autore l' B. de Lamzvverde. Lugd. B. apud P. van der A a. 1686. in 12.

Histoire des Revolutions arrivées dans l. Europe en. matiere de religion, par M. Varillas. a Paris chez Cl. Barbin in 4. & a Amsterdam chez H. Wetstein in 12. 1686.

Histoire du Pontificat de S. Gregoire le Grand, par M. Maimbourg. a Paris chez Cl. Barbin, & a Amsterdam chez H. Wetstein. 1686.

Friderici Spanhemii Fr. F. Historia imaginum restituta, præcipue adversus Gallos scriptores nuperos, Lud. Maimburgium & Nat. Alexandrum. Lugd. Bat. apud Joh. Verbessel. 1686.

Renatum e mysterio Principium Philologicum, in quo vocum, signorum & punctorum, tum & litterarum maxime ac numerorum origo propalatur, auctore Joh. Petro Erico Isennac. Thuringo. Patavii 1686, in 8.

Du Grand ou du Sublime dans les moeurs. Amsterd. chez P. Mortier 1686. in 4.

Lumen rationale Medicum, hoc est Praxis Medica reformata, seu Annotationes in praxin Henrici Regii. Medioburgi apud I. de Rheede 1686. in 8.

Errata quædam.

Pag. 91. lin. 8. pro *Tarcanista*, lege *Tarcaniota*; lin. 91. pro *chiromanta*, lege *chiromantia*. Pag. 170. lin. 15. pro *voluisse*, lege *noluisse*. Pag. 176. l. 8. pro AHS, lege AHI; l. 21. pro BL, lege BC; lin. 36. pro *nosti*, *nosti* Pag. 265. lin. 23 lege CIↃIↃCC.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Junii A. M DC LXXXVI.

JOHANNIS LIGHTFOOTI S. S. THEOL. P. Opera omnia, duobus voluminibus comprehensa.

Roterodami, typis Regn. Leers, 1686, in fol.

EXpectatione nostra citius in publicum prodeunt Lightfooti doctissimi Opera, Latinum induta habitum, ac universi adeo literati orbis, cui eam felicitatem non possumus non gratulari, usibus nunc patentia. De iis vero eorumque Auctore justo nunc dicendum studio esset, nisi laborem hunc præoccupassemus velut, cum Londinensem Lightfooti operum editionem, Anglico idiomate ante biennium adornatam, mense Martio præsentis anni, pagina 120 sqq. recensuimus. Itaque nihil aliud nunc quidem superesse videtur, quam ut de nova hac Latina eruditissimarum elucubrationum editione pauca quædam memoremus. Nitidissimam eam esse, sive typos spectemus, sive chartam, nemo in eam intuens ire poterit inficias. Ut quam emendatissima prodiret, summo studio typographus, vir doctus & industrius curavit. Is enim, quod in præfatione ad Lectorem reverendus Ecclesiastes Roterodamensis Johannes Texelius memorat, non contentus delegisse ei rei homines idoneos, paginas singulas propria diligentia, tollendis, si quæ forsan correctorum perspicacitatem subterfugissent, mendis lustravit; exemplo omnibus, qui libris imprimendis incumbunt, merito commendando. Parem in corrigendis, quæ in S. Scripturæ locis, & testimoniis ex Thalmude aliisque Judæorum monumentis errata in Anglicanis editionibus fuerant, industriam adhibitam, commodante hic operam suam homine Judæo in hoc litterarum genere probe exercitato, idem Texelius deprædicat. Quibus vero versionem operum Lightfooti, quæ quidem Anglice ab ipso composita sint, Latinam debeamus, non liquet; nisi quod pro mole & ratione

operis varios fuisse, & propter varias causas subinde mutandos, in Præfatione innuitur, duoque nominantur reverendi atque doctissimi viri, *Jos. Hill* & *Richardus Kidder*, quorum ille Roterodami, hic Londini, pro se quisque sedulo operis dignitatem plurimum promoverit. De scriptis ipsis loco supra dicto a nobis jam recensitis, non est ut denuo nunc dicamus. Nec dissimulandum tamen, Syllogen Lightfooti Sermonum ad populum, bene quidem multorum, quam editio novissima Anglicana exhibet, in Latina hac omissam certo consilio, & doctis aliquot in ipsa Anglia viris id suadentibus fuisse. Sed eum defectum Latinæ editionis curatores, tum accuratis sub calcem cujusque tomi indicibus adjectis, tum additis, quæ sub finem primi voluminis comparent, duobus opusculis, quæ nullibi hactenus edita prostant, genuinis tamen Lightfooti fœtibus, ejusdemque cum reliquis ejus scriptis genii & dignitatis, de *Anathemate Maran Atha*, & *Canone Scripturæ consignato*, compensarunt. Cæterum non alienum forte ab hoc loco erit, de nova quoque editione memorati a nobis uberius, mense itidem Martio præsentis anni pag. 113, Spenceriani de Legibus Hebræorum ritualibus & earum rationibus operis, Lectorem benevolum admonere, quæ nuper admodum Roterodami, curante Arnoldo Leers, Regneri nostri fratre, lucem adspexit, forma typisque minoribus, sed rerum ac verborum maxime notabilium indice auctior.

ACTA SANCTORUM MAII COLLECTA, digesta, illustrata a Godefrido Henschenio & Daniele Papebrochio e Societate Jesu. Tomus IV & V, quibus continentur dies XVII, XIIX, XIX, XX, XXI, XXII, XXIII, & XXIV: operam & studium conferentibus Francisco Baertio & Conrado Janingo, ejusdem Societatis.

His præmittitur

Propylæum ad Acta Sanctorum Maii, Chronologiam Pontificum Romanorum exhibens.

Antverpiæ, apud Michaelem Cnobarum. 1685, fol.

IN Sanctorum, quos putant, actis digerendis, & consignandis gestis eorum, qui post vitam sancte in terris actam inter cælites relati religioso cultu a Romano-Catholicis afficiuntur, strenuam & eruditam operam nostra ætate posuerunt *Joannes Bollandus* & *Godefridus Henschenius*, juxta mensium & dierum seriem, quibus quisque Sanctorum vita hac mortali excessit (quem natalem diem appellare consueverunt) gesta eorum e priscis monumentis, quorum plurima pars in obscuro hactenus latuerat, exponentes, eruditisque observationibus illustrantes. Isthoc propositum persequuti cum ad MAJUM usque perveniissent, nec ulterius progredi Henschenio per fata liceret, cœptam telam, in qua texenda Henschenium juverat, pertexere aggressus *Daniel Papebrochius*, indefessa industria hujus mensis Sanctos septem voluminibus complecti & ob oculos ponere orbi studuit, allectis post obitum *Danielis Cardoni*, in subsidium arduæ hujus operis *Francisco Baertio*, & *Conrado Janningo*, ordinis & studiorum sociis. Eos igitur Sanctos, quorum memoria per priores sedecim Maji dies recolitur, numerus autem ultra septena millia se porrigit, *tribus* prioribus tomis sex abhinc annis exhibuit, quos in Actis nostris anni 1683 mense Januario p. 4. recensuimus; nunc vero evulgatis *duobus* voluminibus sacros octo dierum sequentium fastos inclusit, in quibus trecenti sex & triginta Sancti suis nominibus signantur, totidemque anonymi indicantur, præter alios plures quingentis, quorum inter prætermissos insinuatur notitia.

In *quarto* tomo, qui XVII, XIIX, & XIX mensis Maji dies complectitur, præ cæteris fuse exponuntur ac copiose recensentur gesta & fata Paschalis Baylon *a p. 48 usq; ad p. 132*; Felicis Cappucini *a p. 203. ad p. 294.* Dunstani *a p. 344 ad p. 384.* Humilianæ de Cerchis *a p. 385 ad p. 418.* Petri Cælestini *a p. 419 ad p. 537.* Yvonis Jurisperitorum patroni *a p. 537. ad p. 614.*

In *quinto* tomo, qui sequentes quinque mensis dies exhibet, reliquorum Sanctorum historiis præferendæ videntur prolixiores commentationes de Lucifero Episcopo Calaritano *a p. 197 ad p. 225*, Bernardino Senensi *a p. 257. ad p. 318.* Columba Reatina *a p. 319 ad p. 398.* Constantino Magno ejusque cultu apud Græcos & Latinos, baptismo, conversione, imagine, & consularibus nummis, *a p. 12 ad p. 27.* Vincentio Lirinensi ejusque ætate, cultu, libris, genere, professione, ortho-

orthodoxia, atque hujus vindiciis adversus eos, qui Semipelagianismi ipsum accusant, etiam Pontificios scriptores, Henricum Norisium & Natalem Alexandrum *a p. 284 ad p. 296.* de Symeone Stylita *a p. 298. ad p. 402.* Cujus postremi, æque ac matris ipsius, quæ Martha vocata est, prolixam admodum historiam ex Græco manuscripto in Latinum sermonem convertit, ac commentario illustravit novus operis hujus socius Janingus; a cujus industria, & Græcæ cumprimis litteraturæ exacta cognitione, insignes Sanctorum historiis accessiones promittere licet. Candor autem Papebrochii industriæ junctus commendari in hoc opere omnino meretur, dum bona fide profitetur, ubi se veriora edoctum agnoscit, erroresque a quibus in tanta historiarum multitudine cavere sibi nemo satis potest, retractat, aliorum sententias amplexus, quas suis præstare intelligit. Id quod inter alia ex testimonio patet, quod Mabillonii libro *de re diplomatica* præbet, tanquam longe melius ac ipse quondam cœperat, argumentum hoc tractanti.

Cæterum cum animadvertisset, circa *Pontificum Romanorum* vetustiores catalogos, ab Henschenio in præliminari ante Acta Sanctorum Aprilis diatriba prolatos, haud inutiliter studium accuratius in chronologia exacta & historia eorundem collocari posse, ut sedis cujusque tempora accurate definita habeantur, istos *Catalogos* peculiari volumine, sub *Propylæi ad Acta Sanctorum Maji* titulo, exhibuit, & commentationibus, ex variis quæ ipsum Baronium latuerant, monumentis illustravit: typographum autem istud sic adornare jussit, ut vel in duas partes dividi, & una earum quarto, altera quinto tomo Actorum præfigi; vel integrum peculiari volumini includi possit. Pontificum etiam imagines æri incisas jungendas duxit, ducentas quatuor & quadraginta, quot a Petro Apostolo ad Innocentium XI numerantur pontifices, juxta formas a Jo. Baptista de Cavalleriis olim proditas, & nunc etiam in Aug. Oldoini Ciacconio, novoque Bullario extantes. Vitam *Petri Georgii Odescalci* Viglebanensis Episcopi anno 1620 defuncti, a Jo. Baptista Sala Italice scriptam, in Latinam linguam traductam præfixit. *Henschenii* etiam *dissertationes* nonnullas ad pontificiam historiam spectantes e prioribus Actorum tomis depromtas, præmisit passimque interpolavit: de vetustioribus catalogis manuscriptis Romanorum Pontificum, de anno item nativitatis, baptismi & mortis Christi, universaque

que adeo Servatoris ætate & genealogia, de sede & præeminentia S. Petri, de S. Clemente, & S. Alexandro exercitationes Henschenii, iisque oppositas tres Petri Possini epistolas, in quibus adversus Natalem Alexandrum asseritur, Christum præcise trigesimo æræ vulgaris & suæ ætatis anno baptizatum, tertio & trigesimo mortuum fuisse, proferens, & non minus doctis ad Possinum epistolis ac dissertatione theogenealogica (uti vocat) illustrans in prævio *Apparatu ad chronologiam pontificiam.* Quem ipse *Conatus chronico-historicus ad catalogum Romanorum Pontificum* excipit: in quo id potissimum agere studuit Papebrochius, ut accurate definiret, quo quisque Pontifex tempore sedere cœperit desieritque. Orsus autem perfectam hujusmodi pontificatuum chronologiam contexere, opinione difficilius negotium reperit, inque multis a Baronio recedendum fore invenit. Quod facere formidanti metum exemerunt amici, viri eruditione & auctoritate insignes, ac persuaserunt ut aggrederetur eximium & utilem laborem hunc: quem quoniam absolutum perficere vix sperabat, ei loco *Chronographiæ Pontificiæ*, titulum *Conatus Chronico-historici* imposuit, reverentiam erga Baronium ubique præfatus, si a sententia ejus recedere oporteat; libenter etiam cessurum se professus, si quis certiora doceat.

CHRISTIANI FRANCISCI PAULLINI Theatrum illustrium Virorum Corbejæ Saxonicæ.

Jenæ, apud Jo. Gollnerum. 1686, in 4.

Quam insignes pietate & eruditione, quamque illustres dignitate viros Corbejense monasterium tulerit, in hoc commentario auctor ostendit. Prodiisse enim ex eo tradit *Gregorium V Pontificem Maximum, S. Ancharium, S. Rembertum, S. Adelgarium, Brunonem, Haymonem, Wittekindum* primum & antiquissimum historiæ Saxonicæ scriptorem, & complures alios ultra quadraginta Episcopos & Archiepiscopos; quos recenset, & quemvis in peculiari capite describit, ac ex Germanicæ historiæ monumentis aliisque scriptoribus collectis testimoniis vitam & gesta eorum designat, sub finem etiam in-

tegrum modernum Conventum, & quos religiosos jam Corbeja alat, nominibus singulorum indicatis, enumerat.

REPONSES DE M. L' EVEQUE DE TOURnai aux reflexions de M. I.M.D.L.D.V. sur les memoires de ce Prelat touchant la Religion.

id est:

Responsiones Episcopi Tornacensis ad Reflexiones, quas M.I.M.D.L.D.V. Memoriali Episcopi in controversiis quibusdam de religione opposuit.

Lutetiæ, apud Cl. Barbin, 1685 in 12.

GIlbertus, ex illustri familia de *Choiseul du Plessy-Praslin*, Episcopus Tornacensis, Memoriale ediderat, de controversiis quibusdam sacris. His quidam ex Theologis Reformatis, qui nomen suum literis istis M. I. & quæ sequuntur divinandum dedit, reflexiones opposuit anno 1684, quas nunc demum ad nos perlatas seorsim enarrare supersedemus, quia integræ his ipsis Responsionibus Episcopi insertæ leguntur. Tractat autem nobile disputatorum par ante omnia caput & fontem omnium pene controversiarum, quibus de religione certatur, nempe *de Tribunali sive de judicio*, in quo de hæresibus vel de interpretatione S. Scripturæ definiatur, ex qua omnes aut pleriq; hæreticorum opiniones suas firmare solent. Facile autem conjici potest, Episcopum non alium judicem quam ecclesiam agnoscere; nec obscurum est, quid ecclesiæ nomine intelligat, nempe visibile illud Pontificis Romani tribunal, & demum concilia, quæ vocant generalia. Ablato enim visibili judice fore ait, ut cœtus Christianorum perpetuis dubitationibus & litibus agitentur, id quod clementiæ & providentiæ Servatoris nostri non putat convenire. Sed Reformatus non alium de controversiis judicem, quam ipsam Scripturam ferre vult, in capitibus creditu necessariis nulli non intelligibilem. Tribunal itaque illud visibile, & confessum judicum, in quo etiam hypocritæ locum habere soleant, cum omni illa traditionum autoritate ita rejicit, ut de fide, sive creditu ad salutem necessariis nihil valide decernere possint, nisi quod Scriptura ipsa jam satis evidenter definiverit. Redeunt tandem omnia ad protrita ista & tantum non innities ventilata, *tu es Petrus*, & *, pasce oves meas*. Motas deinde de conciliis convocandis, eorumque membris & processu, quæstiones plusculas ita versant, ut tandem iterum ad primatum Pontificis, & ad prærogativam Episcoporum, an juris divini sit, omnia contrahantur. Ad concilia nempe ex sententia præsulis Tornacensis, soli Episcopi, aut si sonticis causis impediantur, delegati ab iis presbyteri & diaconi admittuntur, & huc dicta & exempla apostolorum accommodantur, exclusis inferioris gradus clericis, & populo. Jus præsidendi Pontifici, ut Petri successori, sive Romæ, sive quodam casu alibi sedem habeat, asseritur, aut vacante sede vel ob simile impedimentum, Patriarchis aut Metropolitanis & deinceps, secundum notum illorum ordinem. Nationalibus conciliis ideo infallibilitatem denegat Episcopus, quia non constet, an in nomine Christi congregata sint, quod tamen de universalis Ecclesiæ congressu exploratū certumque habeatur: eo enim promissiones Christi, & clavium concessam potestatem, imo & generale illud præceptum, *ite & prædicate &c.* etsi nihil de successione Petri promulgatum sit, arbitratur pertinere. Hæc omnia postulari & asseri, sed qua par est credendi necessitate non probari, nec dictis Christi & Apostolorum firmari posse ait Reformatus, sufficere ratus, si fundamenta salutis ex Scriptura petantur, toleratis interim *quas esse oportet*, quæq; per tribunal illud visibile tolli & evitari non possint, hæresibus. De infallibilitatis propria veluti sede, an in Pontifice, an in concilio, an juncto utroque quærenda sit, salva fide dissentiri posse concedit Episcopus, ipse tamen non despoticam, sed, ut loquitur, charitativam potestatem Spiritus S. ductu exercendam Pontifici tribuit, & universalem conciliorum autoritatem ab orbis Christiani consensu agnosci statuit, pro quo etiam Tridentinum habet & extollit, schismatisque culpam Protestantibus impingit, qui in illo vocem Ecclesiæ agnoscere noluerint. Posthæc plus quam dimidia pars utriusque libelli, disceptationi de S. cœna impenditur, ita quidem ut eleganter, perspicue & modeste sententiam suam uterque proponat; hærent tamen, cum ad extremum perventum est, ubi semper hæreri solet, in traditionum & definitionum autoritate, quam Episcopus tuetur, Reformatus pro sufficienti non habet.

MARII MERCATORIS OPERA STEPHANVS Baluzius Tutelenſis ad fidem veterum codicum MSC. emendavit & notis illuſtravit.

Pariſiis, apud Franciſcum Muguet 1684, in 8.

MArius Mercator Auguſtino, cujus ævo vixit, non ignotus multis abhinc ſeculis latuit, antequam noſtra ætate ſcripta ejus in diverſis bibliothecis reperta literato orbi innoteſcerent, & tandem anno 1673 obſtetricantibus *Gabriele Gerberonio*, monacho Benedictino, qui ſub *Rigberii* nomine latere voluit, & *Johanne Garnerio* Jeſuita, quorum alter Bruxellis, alter Pariſiis hanc in ſe operam ſuſcepit, in lucem publicam prodirent. Annotationes editioni ſuæ uterque doctiſſimas adjecit. Verum cum acta Marii Mercatoris a Rigberio edita partem tantum operum ipſius continerent, & in Garneriana quoque editione, etſi longe majori apparatu exornata, ordine turbato omnia confuſa viderentur, *Baluzius* e duobus manuſcriptis codicibus, Bellovacenſi & Vaticano, ſcriptorem illuſtrandæ hiſtoriæ eccleſiaſticæ perquam utilem, ex quo multa apud alios minus obvia diſci poſſunt, ſi non perfectæ ſanitati, ſaltem integritati priſtinæ reſtituere ſategit, ejusque opera, quæ partim ipſe condidit, partim Latino ſermone tantum induit, hoc, qui ſequitur, ordine digeſſit: Commonitorium adverſus ſcripta Juliani, refutatio ſymboli Theodori Mopſueſteni, comparatio dogmatum Pauli Samoſateni & Neſtorii, ſermones Neſtorii adverſus Dei genitricem Mariam, ejusdem epiſtola ad Cyrillum Alexandrinum, Cyrilli Alexandrini duæ epiſtolæ ad Neſtorium, ejusdem epiſtola ad clericos ſuos, excerpta ex codicibus Neſtorii, Neſtorii ſermones adverſus hæreſin Pelagii, ejusdem epiſtola ad Cæleſtium, Mercatoris commonitorium ſuper nomine Cæleſtii, Neſtorii blaſphemiarum capitula, Synodus Epheſina adverſus Neſtorium, Cyrilli Alexandrini apologeticus adverſus orientales, ejusdem apologeticus adverſus Theodoretum, fragmenta Theodoreti, Theodori, Diodori, & Ibæ, Eutherii Tyanenſis fragmentum, Neſtorii epiſtola ad Papam Cæleſtinum, epiſtola ſynodica Cyrilli ad Neſtorium, ejusdem ſcholia de incarnatione unigeniti. His Marii Mercatoris operibus Auguſtini ad eundem epiſtola, & Baluzii notæ cum locupletiſſimo indice accedunt.

HISTOIRE DE LA CONQUESTE DE LA Floride par les Eſpagnols ſous Ferdinand de Soto.

ſive,

Hiſtoria occupationis Floridæ, factæ ab Hiſpanis duce Ferdinando de Soto.

Pariſiis, apud Dionyſium Thierry, 1685 in 8.

CUm de Floridæ provincia pauciores relationes extent, quam de reliquis regionibus Americanis, hinc non piguit editorem hujus libri, cujus nomen ſub initialibus literis *M.D.C.* celatur, eundem adhuc Gallico ſermone reddere, utut jam ante ſeſquiſeculum fere a Nobili quodam Luſitano vernaculo idiomate traditum. Manuſcriptum hiſtoriæ hujus repertum ait in bibliotheca Ducis de Seſſa, eamque magno ab Hiſpanis in pretio haberi, longeque præferri alteri illi Floridæ deſcriptioni, cujus autor Ynca Garcilaſſo de la Vega; cum ea non tantum poſt hanc præſentem, ſed & ad alterius ſolum relationem compoſita fuerit, ubi hæc noſtra autorem habeat αὐτόπτην, quique Soto in expeditione illa ubivis comes adſtiterit. Hanc ipſam ergo expeditionem, quæ anno 1539 ſuſcepta eſt, juxta temporis ordinem enarrat, commemorans quomodo Dux cum exercitu 600 hominum terras illas quadriennii ſpatio longe lateque pervagatus fuerit, nullo quidem fere ſuorum commodo, maximo tamen cum incolarum detrimento; & quomodo tandem exercitus ad dimidium fere numerum redactus, duce amiſſo & re prope infecta, cum nullibi aurum (cujus tamen ſacra fames præcipuum illius expeditionis ſuſcipiendæ incitamentum fuerat) reperire licuiſſet, in terram Mexicanam regreſſus fuerit. De cætero naturam provinciæ & incolarum mores non niſi obiter tetigit autor, unico ſaltem eoque ultimo capite huic rei impenſo.

VINCENTII FABRICII HAMBURG. JCTI Conſulis Gedanenſis Orationes Civiles ad Poloniæ Reges publico nomine habitæ, Diſſertationes argumenti varii, Epiſtolæ, ac poemata poſt editionem Belgicam auctiora, accurante Friderico Fabricio, fil.

Francofurti & Lipſiæ, apud Joh. Adam Plenerum, 1685, in 8.

VIncentii Fabricii, Hamburgenſis, jam ultra ſeculum dimidium celebre in orbe literario eſt nomen. Cum enim Lugduni Batavorum Danielis Heinſii, incomparabilis illius Panepiſtemonis, & hoſpitem & convictorem ageret, & poetandi facultatem minime trivialem ei approbaſſet, anno 1632 ſuaſu ejus aliorumque procerum Leidenſium ſua carmina, ſane oppido quam terſa ac perpolita, evulgavit. Sed cum rudia ipſi ac nuda quodammodo poſt deinceps viderentur, ea auctiora ac nitidiora anno 1638 Lugduni Batavorum edidit, & patronis partim, Gerhardo videlicet Joh. Voſſio, Hugoni Grotio, Conſtantino Hugenio, Danieli Heinſio, partim amicis, Johanni Beverovicio, Joh. Friderico Gronovio, & Nicolao Heinſio dedicavit; quibus & Satyra proſaria, *Pranſus paratus* dicta, & ſummo viro Claudio Salmaſio inſcripta, annexa erat, in qua tum Poetæ hujus ſeculi, Anagrammatiſtæ inprimis, Feſcennini, & extemporanei, ſpeciatim Pogon Myrtilus & Polyphilus, tum Poetarum contemptores falſiſſime perſtringuntur. Ex illo tempore, quo Lugduni Batavorum hæſit, maximorum virorum delicium atque corculum, negotiis ſplendidis arduisque Fabricius fuit admotus. Erat enim non poeta tantum ac medicus, ſed & orator ac JCtus plane eximius. Ac primum quidem a Celſiſſimo Principe, Epiſcopo Lubecenſium & Holſatiæ Duce, Conſiliarius fuit electus; dein ex aula illius ad Syndici munus apud Gedanenſes obeundum evocatus, ubi & Conſularem ejusdem Civitatis honorem obtinuit; Orator ter decies ad potentiſſimos Reges Poloniæ miſſus, Varſaviæ in ipſis tandem regni comitiis anno 1667 III Id. April. vitæ LIV, diem ſuum obiit. Qui vir, cum tum ob poeſin elegantiſſimam variamque eruditionem, tum ob res pro Civitate Gedanenſi præclare geſtas digniſſimus omnino ſit, cujus

cujus memoria nunquam in Republ. literaria intermoriatur, filius ejus Fridericus Fabricius apud Gedanenſes adhuc florens, faciundum ſibi exiſtimavit, ut quicquid ſcriptorum paternorum adhuc deliteſceret, erueret, & cum illis, quæ jamdudum, uti diximus, lucem aſpexerant, conjunctim evulgaret. Præmiſit itaque ſcripta ἄμετρα, orationes puta Civitatis Gedanenſis nomine ad Sereniſſ. Poloniæ Reges habitas; orationem item de obſidione & liberatione urbis Leidenſis anno 1632 in Academia Leidenſi publice recitatam; diſſertationem de divitiis, utrum videlicet eas vir ſapiens poſſidere, & quomodo tuto, ſine moleſtia, cum aliquo emolumento, honeſte habere poſſit; poſt hanc Pranſum paratum, ſeu Satyram in Poetas & eorum contemtores jam olim editam; Pauli Parutæ diſcurſus aliquot politicos ex Italico in Latinum ſermonem translatos; tractatulum de Parlamento Pariſienſi; Poſitiones Medicas Miſcellaneas de plerisque ac præcipuis cerebri affectibus, ſub Adolpho Vorſtio Medicinæ Profeſſore Lugduni Batavorum a. 1634 ventilatas; & epiſtolas nunquam antehac editas ad maximos ſeculi viros, Claudium Salmaſium, Conſtantinum Hugenium, Adrianum de Linda, Adrianum Bleienburgium, Petrum Cunæum, Nicolaum Heinſium aliosque plures perſcriptas, in quibus & una eſt ad celſiſſimum quendam Principem de Polonorum Comitiis. Terſa hæc ſcripta ἄμετρα (utinam non vitiis typographicis ita defœdata!) excipiunt ἔμμετρα ſeu Poematum partes II; quarum prima jam a. 1638 prodiit, altera nunc primum edita eſt una cum ſtrena ſeu voto pro pace, ad Illuſtriſſimum Claudium Memmium Comitem de Avaux &c. Regis Chriſtianiſſimi Legatum extraordinarium, circa auſpicia anni 1642 facto, & Tragœdiola, cui nomen eſt Themiſtocles. Adduntur his carmina adoptiva; Manes item Fabriciani Danielis Georgii Morhofii Profeſſoris Kilonienſis, & monumentum ſepulchrale a Godofrido de Peſchvitz Vincentio Fabricio erectum, ut & pietas Friderici Fabricii in parentem deſideratiſſimum, una cum pleniori rerum & verborum indice.

APOLOGIA PRO CIRCUITIONE SANGUINIS, QUA reſpondetur Æmilio Pariſano Medico Veneto. Autore Georgio Entio. Editio altera, auctior & correctior.

Londini, impenſis Gualteri Kettilby 1685, in 4.

QUod ſubitaneis & inſperatis rebus, juxta Senecæ effatum, raro conſtans ſit fortuna, id præprimis rixæ doctorum circa moderni ſeculi inventa nova anatomica ſufficientiſſime comprobant. Uſque enim adeo quidam ſunt ſuperſtitioſi, ut veteribus ulla in re adverſari pro crimine habeant horrendo, malintque potius cum Bartholomæo Euſtachio errare Galeno duce, quam cum his vel illis magiſtris novis vera ſentire. Mirum itaque non eſt, aureum circulationis ſanguinis inventum præſenti ſeculo præter omnium opinionem a Guilielmo Harvæo patefactum, idem manſiſſe fatum, h. e. a quibusdam Galeni mancipiis tanquam commentum frivolum atque ineptum fuiſſe exceptum. Stitit vero præ reliquis hujus inventi adverſarium acerrimum Æmylius Pariſanus Medicus Venetus, inque peculiari libro funditus illud evertere anniſus eſt. Sed quam infelici ſucceſſu id præſtiterit, præſens Apologia clariſſime monſtrat. Superſedemus autem prolixe contenta ac methodum exponere, cum circa annum currentis ſeculi XLI primam ejus editionem jamjam viderint Eruditi. Sufficiet igitur ſolum indigitaſſe de hac nova Editione, innumeris locis illam eſſe emendatam & locupletatam, ita ut jure nova facie indutam Apologiam hanc, ex multifariis neotericorum experimentis ac rationibus inſertis, quivis illam inſpiciens dixerit.

ELEVATION DES EAUX DU CHEVALIER Morland &c.


hoc eſt:

Samuelis Morlandi Elevatio aquarum reducta ad pondus & menſuram, &c.

Pariſiis apud Steph. Michallet 1685, in 4.

MOrlandum Tuba ſtentorophonica ab ipſo inventa celebrem reddidit. Is a Carolo Magnæ Britanniæ Rege commendatus n Galliam venit, ut Machinas quasdam ſuas Hydraulicas novas exequeretur, quarum & ſpecimen dedit in ædibus Præſidis de Maiſon apud Sequanam ſitis. Regi Chriſtianiſſimo librum præſentē dicat, & ſeparatū fuiſſe innuit exequi, quicquid liber promittit, ſi Regi jubere placuiſſet.

TAB. VIII
ad a. 1686. pag. 281.



J. C. Böcklin. ſculps.

cuisset. Ait se in castello Windsor viribus duodecim hominum aquam Tamesis eo usque elevasse, ut non tantum ad summam usque coronidem castelli ascenderet, sed & præterea jactu perpendiculari 80 pedum in aerem liberum exiliret, quæ in summa fuerat 150 pedum altitudo, eaque ratione circiter elevatos fuisse 40 modios (muys) intra spatium horæ. Exponit quomodo pro minori inclinatione tubi pondus aquæ minuatur, & quomodo quantacunque aquæ massa a quantulacunque, sed ex sufficientis altitudinis tubo descendente, elevari possit. Quæ quidem etsi non ignota sint Mathematicis, Autor tamen figuris elegantibus accommodate ad captum Mechanicorum declarat, quemadmodum & quasdam numerorum & progressionum proprietates oculis subjicit. Promittit 12 rotis a flumine impulsis, quod ex octo aut novem pedum altitudine decidat, duo millia pollicum cubicorum aquæ continue elevare ad altitudinem 400 pedum; & machinas ultra seculum annuo 500 aureorum Ludovisiorum sumtu sustentari posse. Tabulas subjicit in re Hydraulica utiles, calculandi tuborum contenta (seu circulorum areas) ex diametris, & contra; item æstimandi quantum ponderi decedat in plano inclinato pro angulo inclinationis, item ex mensuris pondera determinandi, aut contra.

Libellas hactenus usitatas erroribus crassis obnoxias esse ait, & mirum esse si in magna distantia, ubi per valles & montes eundum sit, ex 20 libellatoribus duo consentiant inter se, aut unus consentiat veritati. Et tamen Piccartus, aliique ex Academia scientiarum Regia Parisina, & scriptis & operibus aliud demonstrasse sibi sunt visi. Ansas in Machinis Hydraulicis plerumque usitatas, (Germani nostri vocant krumme Zapffen/ Galli manivelles) valde improbat, ob motus inæqualitatem, eisque substituit motum suum cyclo-ellipticum, quem ex Autore describere placet. Figura est pag. 42, ubi CN est diameter cujusdam cylindri sive prismatis Horizonti paralleli, sive arboris, cujus circumactu circa centrum immotum O, motus peragitur; huic affixa circumponitur Ellipsis, quæ, dum circumeunte arbore punctum L erigitur, seu succedit in locum C, attollit vectem BB viginti circiter pedum, mobilem circa centrum E, secumque attollentem pondus GH; quod rursus descendit, cum N (post L) succedit, atque ita B quavis circulatione bis attollitur & TAB. VIII

deprimitur. Ne autem ipsius B, Ellipsi incumbentis frictio noceat, annexa ibi est rotula ABCD. Elevatio semper tanta est, quanta est differentia semidiametrorum OC & OL, quod si sex antliæ sint elevandæ, sex Ellipses inter se parallelæ, eidem arbori circumponuntur. Ex omnibus motibus hactenus toto orbe adhibitis, nullum autor hujus & facilitati & durabilitati accedere ait, qua in re an fidem apud omnes impetraturus sit, sunt qui dubitant.

Subjiciemus *octo problemata mechanica, quæ excellentissimis nostri seculi Machinatoribus proponit Autor.*

1. Per punctum datum in superficie terræ exacte describere arcum circuli, ubique æqualiter remotum a centro terræ.

2. Per duo puncta in superficie terræ data inæqualiter a centro terræ distantia, describere partem lineæ spiralis in centrum terræ desinentis.

3. Posito spiralem lineam esse tubum, cujus diameter interior sit sex pollicum, & posito circa centrum terræ esse spatium vacuum diametri 1634648 hexapodarum, qualium ipsa telluris diameter habet 6538594, in quod aqua per tubum illabi debeat: quæritur quot aquæ pollicibus cubicis sit opus, ut tubus semper maneat plenus inter fluendum; & quot librarum vi seu pondere opus sit, ad aquam huic tubo intrudendam, & denique quanto tempore cavitas sphærica sit implenda.

4. Fontem salientem designare, in cujus medio sit ingens jactus aquæ, altitudine perpendiculari 200 pedum in aere libero, cum variis circum ex aqua ornamentis, quæ symmetria, pulchritudine, magnificentia vincant, quicquid hactenus, in hoc genere publice præstitum est.

5. Calculare exacte vim datæ quantitatis & qualitatis pulveris pyrii, ab uno, duobus, tribus granis &c. explosis, procedentem.

6. Ex data diametro interiore instrumenti pyroboli ferrei aut ænei, inde ab eo quod pera gestari potest, usque ad maximum tormentum, determinare veram longitudinem & crassitiem cujusque, ut quam longissime & quam maxima vi ex eo globus explodi possit.

7. Exhibere novum Molendini genus, quod farinam maxime albam & depuratam reddat, nec cortices frumenti secet (quod exiguæ molæ ferreæ in Anglia nuper in usum traductæ faciunt) nec pulverem lapidis molaris, aut quicquid corpori damnosum esse possit, admisceat, quod vulgo molendina faciunt, quæ nobis bonam partem lapidis in pane comedendam præbent.

8. Determinare omnes dimensiones ac totam fabricam Machinæ stentorophonicæ, per quam verba aut signa distincte audiri possint, ad distantiam sex leucarum Gallicarum.

TREATISE OF ALGEBRA BOTH HISTORICAL and Practical, with some Additional Treatises, by Iohan Wallis.

id est,

Johannis VValliſii Tractatus de Algebra Hiſtorico-practicus, cui nonnulli alii tractatus acceſſerunt.

Londini, apud Richardum Davis 1685, fol.

AUtor in his studiis celeberrimus, narrans quibus incrementis Algebra in præsentem statum devenerit, ubique præcepta interponit, quæ unusquisque autorum scientiæ adjecit. Algebram ait Arabibus significare artem restaurationis. Antiquos aliquid Algebræ similehabuisse, idque probatum esse a *Barrovio* dissertatione nondum edita, de Methodo inveniendi Archimedis. Sed ex Diophanto inprimis rem esse manifestam. Veteris Arithmeticæ practicæ specimina extant apud *Eutocium* in Archimedem de numero arenæ, apud *Bedam*, & in fragmento MS. libri secundi collectionum *Pappi*. Characteres numerorum decadici, quos vulgo Arabicos dicimus, ab ipsis Arabibus, ut & a *Maximo Planude* vocantur Indici. Hi jam Gerberto postea Papæ Sylvestro II noti fuisse videntur, & mox seculo undecimo in Europa in valuerunt, contra quam Mabillonio visum est. Sexagesimalis Arithmetica videtur jam a *Ptolemæo* introducta, deque ea extat & *Barlaami* monachi tractatus Græcus, sub Logisticæ titulo. *Joh. Mullerus* Regiomontanus primum semidiametrum posuit partium 60. 000. 000, tandem re melius considerata eam divisit in partes 10. 000. 000, quemadmodum narrat *Valentinus Otho* præfatione Operis Palatini de Triangulis, quod a Joachimo Rhætico cœptum ipse absolvit. Atque hæc est origo Logisticæ decimalis, cujus usum in extrahendis radicibus Ramus diserte explicuit, sed rē absolvit & peculiari libello in artem

artem redegit atque universaliter tradidit *Stevinus*. Porro occasione fractionum autor noster ingeniosam methodum tradit quantitatem vel proportionem datam exprimendi, ita ut nisi majoribus numeris exhibitis exactius in rationalibus exprimi non possit, quod peculiariter ad rationem diametri & circumferentiæ applicat. Exponit etiam inventionem & naturam Logarithmorum. Ac denique ab Algorithmo ad Algebram redit. Primus librum de Algebra typis edidit Frater *Lucas Paciolus* seu de Burgo S. sepulchri, ordinis Minorum, Venet. 1494. Citat is quendam *Leonardum* Pisanum, quem Vossius ad annum 1400 refert, & ex *Blancano* primum recentiorum de Algebra scripsisse arbitratur. Fratrem Lucam complures sunt secuti; in Germania *Christophorus Rudolphus*, *Adam Rise*, *Michael Stifelius*, *Joh. Scheubelius*; in Italia *Scipio Ferreus*, *Tartalea*, *Antonius Maria Floridus*, *Cardanus*, *Ludovicus Ferrarius*, *Raphael Bombellus*; in Gallia *Jacobus Peletarius*, *Johannes Buteo*, *Stephanus a Rupe* Lugdunensis, *Petrus Ramus*; in Anglia *Richardus Wentworth*, *Robert Record*, *Robert Norman*, *Leonard Digges*; in Lusitania *Petrus Nonius*. Quibus superveniens *Franciscus Vieta* circa finem superioris seculi, pro veteribus notis speciosam quam vocant, introduxit. Et licet Buteo atque alii subinde etiam literis utantur pro incognitis quantitatibus, primus tamen Vieta iis tam pro cognitis quam incognitis quantitatibus usus est, multaque alia utilia adjecit scientiæ. Vietæas notas adhuc compendiosius subinde expressit *Guilielmus Oughtredus* clavi Mathematica edita 1631, iisque alias addidit. Quibus narratis Autor noster, secundum Vietæ & Oughtredi methodum, ipsas operationes Algebræ speciosæ itemque proportionum & progressionum quarundam naturam tradit. Cæterum Oughtredum refert annos natum 87, obiisse Londini anno 1660, subita quadam gaudii ecstasi, cum ipsi Regem revocandum de improviso nuntiaretur. Sed Oughtredo multo prior alius Anglus *Thomas Harriotus*, qui anno 1621 sexagenarius obiit, licet ejus Algebra seu Analytica posthuma demum anno 1631 post Oughtredi Clavem fuerit publicata, scientiam longe magis promovit, & revera, quantum ex autoris nostri relatione intelligi potest, ea omnia jam invenit & tradidit, quæ circa genesin æquationum, tanquam propria inventa prodidit Cartesius; qui Geometriam suam anno 1637 publicavit.

Quod

Quod ut doceat Wallisius, fuse ostendit, jam Harriotum spatii lucrandi causa literas Vietæ majusculas in minusculas mutasse, pro A, Aq, Ac &c. scripsisse a, aa, a^3; totam æquationem posuisse æqualem nihilo, ut instar unius quantitatis posset considerari; & hinc jam veram duxisse originem seu genesin æquationum altiorum ex multiplicatione inferiorum in se invicem; earumque vicissim resolutionem vel depressionem per divisionem; & quomodo æquatio omnis producatur ex multiplicatione æquationum simplicium, radicalium (ubi incognita aucta vel minuta valore alicujus radicis ponitur æqualis nihilo) in se invicem; quæ est novæ hujus doctrinæ clavis. Unde porro collegit Harriotus tot esse radices, quot dimensiones æquationis, & modum ostendit inveniendi, quot in quavis æquatione sint radices positivæ, privativæ (quas Cartesius non admodum recte falsas vocat), aut impossibiles. Observavit primus, ex inductione, ut videtur, tot esse radices privativas (in æquatione scilicet meras radices reales seu possibiles habente, quam cautionem Cartesius cæteris descriptis non recte omisit) quot sunt mutationes signorum immediate sibi succedentium; tot positivas, quot eorundem consensus; coefficientem secundi termini fieri ex summis radicum, & tertii ex summis rectangulorum sub radicibus; quarti ex summis solidorum, &c. signis tantum pro radicum affirmativa aut privativa natura variatis; Homogeneum autem comparationis seu terminum absolutum esse factum ex omnibus radicibus, ac proinde radicem esse divisorem ultimi termini. Ostendit modum mutandi radices affirmativas in privativas; augendi aut minuendi radices incognitas, tollendi secundi termini aut etiam interdum plurium causa. (Quemadmodum sane ex æquatione $a^3 + 3bba = 2ccc$, ex qua jam sublatus est secundus terminus, tollit adhuc unum; ponendo $a = \frac{e+bb}{c}$, eaque arte æquationes cubicas resolvit) Multiplicat quoque radices incognitas per datam quantitatem, ad quasdam irrationales tollendas. Quibus usque adeo exacte consentiunt ea, quæ habet Cartesius in magna parte libri tertii Geometriæ suæ, ut ex Harrioto descripta non levis suspicio sit. Certe *Pellius* & *Wallisius* id pro certo habere videntur, eademque sententia fuit Domini *de Cavendish*, qui *Robervallio* miranti, unde Cartesius notionem hanc hausisset æquationes nihilo æquales ponendi (quod est hujus analyseos fundamentum) ostenso Harioti libro nullam am-

plius dubitationem reliquit, exclamante Robervallio, il l'a veu, il l'a veu. *Vidit. Vidit:* quemadmodum pluribus narrat Wallisius. Inde ad Carteſii Algebram progreſſus, notat Carteſium parum admodum, & ſi modo quicquam, ad Algebram ipſam per ſe adjeciſſe, ſed tantum applicationem ejus ad Geometriam promoviſſe. Et ſane Autor noſter ait cap. 59, nullum ſe facile ſperare incrementum Algebræ puræ, quod non fundamentis Harrioti ſit inædificatum. Laudat deinde *Huddenii* regulas, quas & a *Merrio* Anglo ait demonſtratas; quæ vero alii attulerint pro applicatione Algebræ ad Geometriam, nolle ſe hoc loco attingere monet. Poſtremo nominat Elementa Algebræ, Gallice edita ante aliquot annos, titulo: *Elemens de Mathematiques*, quæ (de quo tamen nonnulli dubitant) *Malebranchii* eſſe, ſed nihil novum, quod magni momenti ſit, in illis additum ait. A Carteſianis tranſit ad methodum calculandi, qua utitur *Joh. Pellius* Anglus, quæ in *Joh. Rhanii* Helvetii Algebræ introductione Germanice edita a. 1659, extat deſcripta; ubi tamen non tam doctrina peculiaris traditur, (quanquam non contemnenda habere Pellium credibile ſit, quæ tamen nondum publicavit) quam notæ aptæ conſtituuntur, & calculi tota diſpoſitio commoda admodum ratione ordinatur. Cujus ſpecimen potiſſimum in Diophanteis quibusdam ſolutionibus dedit, quæ ſunt indeterminatæ. Ubi notat Wallisius, in *Diophanto* & aliis plerumque imperfectas ſolutiones tradi, quæ non omnes poſſibiles reſponſiones comprehendant. Unde etiam quæſtiones regulæ alligationum communiter imperfecte ſolvuntur, ut notavit *Bachetus* ad quæſt. 41 lib. 4. Diophanti. Geometræ vero indeterminatas quæſtiones perfecte ſolvunt ope locorum. Explicat etiam naturam radicum imaginariarum, quæ oſtendunt non tantum nos aliquid quærere impoſſibile, ſed & in quo conſiſtat error; verbi gratia punctum non eſſe in recta aut plano, ubi a nobis quæritur, ſed ſupra & infra; pro ſinu quærendam forte tangentem fuiſſe, pro circulo adhibendam fuiſſe ellipſin aut hyperbolam, aliaque hujusmodi.

Cæterum Autor exhibet conſtructionem generalem æquationis cubicæ ſecundo termino carentis, perinter ſectionem rectæ & paraboloeidis cubicæ; quam non minus admittendam ſtatuit, quam quæ fit per circulum & parabolam. Etſi enim paraboloeidem conſtet uno gradu altiorem eſſe parabola, tamen viciſſim recta eſt uno gradu

gradu inferior circulo, itaque eadem utrobique eſt ſumma dimenſionum duarum linearum. His expoſitis tranſit Autor ad methodum exhauſtionum (quæ fundata eſt in prima decimi) ad Geometriam indiviſibilium *Cavalerii*, (quam ait tantum eſſe expreſſionem peculiarem breviorem illius Methodi) & ad ſuam metArithmeticam infinitorum; qua occaſione exponit dimenſiones curvarum ab *Heuratio Wrennio* & *Neilio* inventas. Et demonſtrandi methodum analyticam, quæ originem inventi oſtendit, præfert longis demonſtrationibus quæ eam tegunt, reſpondetque *Fermatio* contrarium tuenti. Et quod attinet ad methodum probandi per inductiones, ait Mathematicos ſolere ea eſſe contentos continuata aliquandiu ſerie, ut cum videmus numeros figuratos ordine provenire pro coefficientibus poteſtatum alicujus binomii. Verum cum talia quæ ſæpe per inductionem inveniuntur, utique accurate & generaliter demonſtrari deinde poſſint, idque non tantum ſecuritatis cauſa expetatur, ſed & ad fontes detegendos proſit, fatendum eſt Geometricas demonſtrationes tunc merito deſiderari, cum magni momenti aliquid ex eo, quod per inductionem repertum eſt, deducimus. Itaque ſi clariſſimus *Bullialdus* omnia demonſtraſſet in ſua Arithmetica infinitorum, quæ invenit Wallisius in ſua, feciſſet utique pretium operæ inſigne. Notat autem Wallisius, & Bullialdum uti tandem cogi inductione, cum in paucis tantum gradibus demonſtrationes attulerit. Quod ſane mirum eſt, cum dudum demonſtrationes Geometricæ univerſales pro omnium paraboloeidum aut Hyperboloeidum figura cujuscunque gradus dimetienda dentur. Sed quod demonſtrandum in Walliſiana Methodo potiſſimum ſupereſt, ſunt interpolationes. Putat autem Wallisius rationem circuli ad quadratum circumſcriptum ita exprimi poſſe, quod ſit media progreſſionalis inter 1 & $\frac{3}{2}$, in ſerie $\frac{1}{1}, \frac{3}{2}, \frac{15}{8}, \frac{105}{48}$ &c. quæ producitur ex continua multiplicatione terminorum $\frac{1}{1}, \frac{3}{2}, \frac{5}{4}, \frac{7}{6}$ &c ubi tamen difficultas ſubeſt, an terminus $\frac{1}{1}$ ſit terminus ſeriei, quoniam lege ſeriei ſervata debet ſtare $\frac{1}{0}$, unde medium inter $\frac{1}{1}$ & $\frac{3}{2}$ ex natura ſeriei determinari dubium eſt. Exponit deinde methodum ſane pulchram, qua Cl. *Neutonus* ad ſuas ſeries pervenit, tum interpolando, tum dividendo ac r. dices xtrahendo, continuata in infinitum operatione in ſpeciebus, quemadmodo, continuata in numeris. Quale quid in diviſione jam ante ipſum vulgo fit in numeris.

præstiterat Cl. *Mercator* Holsatus. Novissime quædam subjicit Autor de modo quæstiones numericas solvendi, ex suo cum Fermatio & Freniclio, in hoc studio exercitatissimis, commercio literario.

Tractatus accessorii sequuntur; quorum primus est de *Cenocuneo*, seu solido quodam singulari, quod *Guilielmus Pettius* judicaverat ad figuram navis aptum fore, & a Geometris considerari desideravit. Scilicet eadem recta sit communis duobus planis, angulum rectum facientibus; unum planorum sit quadrans circuli, cujus radius est recta illa, alterum planorum sit rectangulum, cujus basis est eadem recta. Et jam ex puncto quovis rectæ planorum communis educantur normaliter duæ rectæ, una in uno, altera in altero plano, quorum una extremitati rectanguli, altera extremitati quadrantis occurrat. Jungantur hæc duo puncta occursuum sibi respondentia, idque semper faciendo habebitur solidum rectangulo, quadrante, quodam triangulo & superficie gibba, in quam cadunt omnes jungentes, comprehensum, cujus sectiones perpendiculares ad rectangulum & quadrantem simul sunt triangula. Cæteras sectiones aliasque proprietates persequitur Autor. Alter Tractatus est de *Sectionibus angularibus*, ubi inprimis ostendit, quomodo plures arcus satisfaciant eidem quæsito, multaque alia elegantia habet. Tertius est de *Angulo contactus*. Nota est controversia inter *Peletarium* & *Clavium*, illo negante, hoc affirmante angulum contactus esse quantitatem, & populus quidem Mathematicorum fere pro Clavio stetit, proceres, Peletarium magis probarunt. Atque hos inter *Gregorius a S. Vincentio*, quanquam Jesuita, a Clavio recessit. Hunc cum *Vincentius Leotaudus* Jesuita sane doctus, etiam in hoc negotio impugnasset, eaque occasione calamum & in Wallisiana de angulo contactus strinxisset, ei Wallisius respondit. Summa huc redit. Angulum contactus, etsi suam habeat quantitatem, pro gradu curvitatis lineæ, (p. 99 tractatus) tamen non esse partem anguli rectilinei, adeoque nec magnitudinem, ejus respectu habere, & proinde duos angulos, qui differant solo angulo contactus, (exempli causa angulum rectum & angulum quem facit arcus circuli ad suum radium, vel generaliter arcum lineæ curvæ ad rectam tangenti perpendicularem) habendos esse pro uno eodemque. Qua occasione subjiciemus mox novam admodum meditationem, nobis submissam ab amico, qua doctrina de angulo contactus

tactus a contemplatione ad usum promovetur, excogitato quodam contactus genere perfectiore, quod *osculationem* illi appellare placuit. Ultimus est tractatus de *Combinationibus, Alternationibus & Partibus Aliquotis*. Ubi Autor calculo persequitur variationes versus Bauhusiani, *tot tibi sunt dotes virgo quot sidera cœlo*, quanquam non omnino determinare numerum profiteatur (constat vero nobis aliunde salva metri lege versum 2580gies variabilem esse). Numerus autem partium aliquotarum a combinationibus pendet. Et exhibet Tabulam numerorum, quorum quisque majorem habet numerum divisorum, quam alius quilibet, qui non est ipso major; qui numeri sunt triginta septem ab 1 ad 665280 (qui habet 224 divisores) & omnes formantur ex 1, 2, 3, 5, 7, 11 aut horum potestatibus. Ait sese accurate Tabulam compositionis numerorum a *Brankero* secundum Pellii directiones editam examinasse, per quam cujusque numeri imparis, infra 100000 positi divisores possunt inveniri, & pauca tantum errata deprehendisse, quorum tabulam subjicit, ut & nonnullas solutiones quæstionum a Fermatio propositarum; ubi queritur editorem operum posthumorum Fermatii provocationem quidem sibi factam posuisse, responsiones suas atque solutiones omisisse. Cæterum cum celeberrimus Autor (quemadmodum intelleximus) excellat in solvendis, sive, ut vulgo loquuntur, deciphrandis *Cryptographematibus*, eaque scientia magnam cum illis, quæ in hoc opere traduntur, affinitatem habeat, orandus magnopere est, ut præcepta ejus tradat, præsertim cum ea, quæ hactenus prostant, valde sint imperfecta. Ita in hoc quoque genere Vietæ laudes æquabit, imo vincet, si duraturo ad posteritatem specimine ostendat, quod illum fecisse solo Thuani testimonio credere cogimur. Sed nunc promissam paulo ante meditationem subjiciemus.

G. G. L. MEDITATIO NOVA DE NATURA Anguli contactus & osculi, horumque usu in practica Matheſi, ad figuras facíliores ſuccedaneas difficilioribus ſubſtituendas.

IN lineæ cujusque partibus infinite exiguis, considerari potest non tantum *directio*, sive declivitas aut inclinatio, ut hactenus factum est, sed & mutatio directionis sive *flexura*: & quemadmodum linearum directionem mensi sunt Geometræ, simplicissima linea in eo-

dem puncto eandem directionem habente, hoc est *recta tangente*; ita ego flexuram lineæ metior simplicissima linea in eodem puncto, non tantum directionem eandem, sed & eandem flexuram habente, hoc est *circulo* curvam propositam non tantum tangente, sed &, quod amplius est, *osculante*, quod mox explicabo. Est autem ut recta linea aptissima ad determinandam directionem, quia eadem ubique ejus directio est; ita circulus aptissimus ad determinandam flexuram, quia ubique eadem unius circuli est flexura. Circulus autem ille lineam propositam ejusdem plani in puncto proposito *osculari* a me dicitur, qui minimum cum ea facit angulum contactus. Ex infinitis enim circulis lineam, ubi ad easdem partes cava est, tangentibus in proposito puncto, semper determinari potest unus, qui maxime ibi lineæ assimilatur, & cum ea longissime quasi repit, hoc est, ut Geometrice loquar, ita ad eam accedit, ut inter ipsum & curvam propositam nullus alius arcus circuli, curvæ in puncto proposito occurrens describi possit. Et hunc minimum angulum contactus circuli ad lineam propositam, voco *angulum osculi*, uti minimus angulus rectæ ad lineam vocatur *angulus contactus*. Ut enim inter rectam & lineam, angulum contactus facientes, nulla cadere potest recta: ita inter circulum & lineam, angulum osculi facientes, nullus cadere potest arcus circuli. Ut autem habeatur & modus inveniendi circulum osculantem, sciendum est, quemadmodum *tangentes* inveniuntur per æquationes quæ habent duas radices æquales, seu duos occursus coincidentes, & *flexus contrarii* per tres radices æquales; ita circuli vel aliæ quævis lineæ datam *osculantes* inveniuntur per quatuor radices æquales, seu per duos contactus in unum coincidentes. Et quemadmodum duæ lineæ quæ eandem habent rectam tangentem se tangunt; ita eæ, quas idem osculatur circulus, se osculantur. Itaque ut linea quævis eundem ad lineam sibi occurrentem censetur facere angulum communem seu rectilineum, quem faciunt in puncto occursus earum tangentes rectæ, quia differentia consistit in angulo contactus, qui respectu anguli rectilinei est infinite exiguus, imo nullus; ita quando duæ rectæ tangentes duarum linearum curvarum sibi occurrentium coincidunt, seu quando duæ lineæ se tangunt, tunc linea ad lineam occurrentem eundem censetur facere angulum contactus, quem faciunt in puncto occursus earum

arum osculantes circuli, quia differentia consistit in angulo osculi, qui respectu anguli contactus duorum circulorum est infinite parvus, imo nullus. Ex quo intelligi potest, angulum communem seu duarum rectarum, angulum contactus duorum circulorum, & angulum osculi (primi gradus) quodammodo se habere, ut corpus, superficiem & lineam. Non tantum enim linea est minor quavis superficie, sed &ne quidem pars est superficiei, sed tantummodo minimum quoddam sive extremum. Quod si tres contactus coincidant, aut quatuor, aut plures, (radicibus sex aut octo aut pluribus existentibus æqualibus,) oriuntur osculationes secundi tertiive gradus aut adhuc altiores, in tantum perfectiores osculo primi gradus, in quantum prima osculatio *perfectiorem contactū* continet, quam contactus communis. Porro circulo rectā tangere potest, osculari non potest; si circulus circulū osculetur, non erunt diversi, sed coincident. De cætero omnem lineam ejusdē plani osculari poterit circulus, & in genere, ut sciri possit, quōnā contactus vel osculi gradu linea lineæ conjungi possit, considerandum est, in quot punctis possit eam secare. Hæc porro *insignem habent usum in praxi*. Ut enim ex consideratione, quod idem sit angulus, eadem inclinatio, vel directio linearum, quæ est rectarum tangentium, insignes consequentiæ in mechanicis, catoptricis & dioptricis ductæ sunt; nam si corpus motu composito feratur, directio ejus est in recta tangente lineæ quam describit, & si sibi relinquatur, continuat motum in tangente, & radius incidens eundem angulum facit ad superficiem excipientem, quem faceret ad planum eam tangens: ita ex consideratione quoque linearum osculantium insignes praxes duci possunt. Si enim linea aut figura egregiam quandam atque utilem habens proprietatem inventa sit, sed quam sive torno, sive alia ratione in materiam introducere sit difficile, licebit pro arcu ejus (scilicet non nimis magno, tamen ad praxin sufficturo) substituere arcum quasi coincidentem lineæ alterius descriptu facilioris, eam, quam perfectissime licet, tangentis sive osculantis, maxime autem circuli, qui omnium descriptu est facillimus. Et hinc jam oritur, quod in praxi catoptrica & dioptrica circulus est *succedaneum* parabolæ, hyperbolæ aut ellipseos, suosque ad earum imitationem habet quasi focos. Nam circulus cujus diameter æquatur parametro sectionis conicæ, & cujus centrum in axe intra curvam

vam ſumitur, circumferentia autem per verticem tranſit, ſectionem conicam in vertice oſculatur, adeoq; aſſumto arcu, quantum ſatis eſt parvo, ab ea non differt ad ſenſum. Quæ cauſa eſt, cur focus ſpeculi concavi circularis abſit a ſpeculo quarta parte diametri, quia focus parabolæ a vertice abeſt quarta parte parametri, & focus parabolæ atque circuli oſculantis coincidunt. Eadem in omni alio linearum & utilium proprietatum genere, pro re nata locum habent. Quæ *quantum conferant ad ſubtilitates Geometricas in uſum vitæ transferendas*, nemo talium intelligens non videt. Nobis vero aditum aperuiſſe, ne forte periret hæc meditatio, nunc quidem ſatis fuit. Nec injucundum erit conſiderare, quomodo ita tandem controverſia Geometrarum de Angulo contactus, quæ plerisque inanis viſa eſt, in veritates deſierit ſolidas & profuturas.

G. G. L. DE GEOMETRIA RECONDITA ET Analyſi Indiviſibilium atque infinitorum, Addenda his quæ dicta ſunt in Actis a. 1684, Maji p. 233; Octob. p. 264; Decemb. p. 586.

CUm intelligam nonnulla, quæ in his Actis ad Geometriæ profectum publicavi, non mediocriter a viris quibusdam doctis probari, quin & paulatim in uſum transferri, quædam tamen, ſive ſcribentis vitio, ſive aliam ob cauſam ab aliquibus non ſatis fuiſſe percepta, ideo pretium operæ putavi hoc loco adjicere, quæ illuſtrare priora poſſint. Accepi nimirum tractatum *Dn. Craigii* de dimenſione figurarum, Londini anno ſuperiore editum, ex quo ſane apparet, autorem non contemnendos in Geometria interiore progreſſus feciſſe. Is quidem valde approbat diſtinctionem a me aliquoties inculcatam, inter *dimenſiones figurarum generales & ſpeciales*, quam pag. 1 ait optime nuper a Geometris fuiſſe obſervatam, & neglectioni hujus diſtinctionis paralogismos complures tetragonismi impoſſibilitatem probare conantium, recte tribuit. Mecum etiam figuras, quas vulgo e Geometria rejiciunt, agnoſcit eſſe *Tranſcendentes* pag. 26; Methodum quoque *Tangentium* a me in Actis Octobr. 1684 publicatam, pro humanitate ſua plurimum laudat pag. 27 & 29, tanquam præſtantiſſimam & cujus ope Methodus dimenſionum valde juvetur,

vetur, optimo contra irrationalitates remedio ſuppeditato: Sunt tamen nonnulla, de quibus monere eum aliosque, nec inutile, nec ipſi ingratum fore putavi. Neſcio enim quomodo factum ſit, ut crediderit eum qui ſchediaſma Act. Maji 84 p. 233 ſcripſit, retractaſſe ſententiam, & cum initio Act. Octobr. 83 propoſuiſſet omnimodam dare demonſtrationem impoſſibilitatis tetragoniſmi circularis, poſtea agnoviſſe Majo anni ſequentis, nondum ſatis demonſtratam eſſe impoſſibilitatem tetragoniſmi ſpecialis. Cum tamen ſchediaſma Octobr. 83 ſit a Dn. D. T. ſchediaſma vero Maji 84 a me ſit profectum: qui partim eandem methodum & mihi aſſerebam, ne aliquando rei alienæ uſurpatæ accuſarer, partim ab uſu quem ei tribuebat Dn. D. T. amice diſſentiebam. Nam putabat ille ex indefiniti tetragoniſmi impoſſibilitate, ſequi & cujusque definiti impoſſibilitatem: meum vero conſtans dogma fuerat (jam tum indicatum, cum tetragoniſmum arithmeticum ederem menſe ſecundo anni primi actorũ, nempe 82) ab illa ad hanc non valere conſequentiam. Quod ut probarem, inſtantiam cujusdam figuræ attuli in Actis Maji 84, quæ tetragoniſmum ſpecialem recipit, (quod poſſum demonſtrare) non vero generalem, ut ex ipſis Dn. D. T. theorematis ibi oſtendere ſuſceperam; quanquam feſtinus & rei certus in modo probandi per calculum nonnihil aberraverim, quod poſtea explicabo & corrigam. Ad hæc Dn. D. T. privatim reſpondit, ſe methodum iſtam non ex meis hauſiſſe, ſed in eam proprio Marte deveniſſe, & quod ad objectionem attineret, ſe conſequentiam illam a tetragoniſmis indefinitis ad definitos poſſe demonſtrare, inque eo potiſſimum methodum ſuam eminere; inſtantiam vero meam pravo calculo niti. Ego vero lubens faſſus ſum (in Actis Decembr. 84 p. 587) ſi eam conſequentiam demonſtrare poſſit, facturum quod hactenus nemo; ſemper tamen ſubdubitavi, & correcto calculo poſtea inſtantiam meam roboravi, de quo mox. Quanquam autem ego hanc methodum jam habuerim ante decennium & amplius, cum una eſſemus Pariſiis, & de rebus Geometricis creberrime loqueremur, quo tempore ipſe per alias plane vias incedebat, mihi vero jam tum familiariſſimum erat æquationes generales adhibere pro exprimenda natura lineæ quæſitæ, progreſſu calculi determinandas, in quo methodi nervus conſiſtit, quale quid alibi nuſpiam animadverteram; attamen candori ejus pariter & ingenio

ingenio tantum tribuo, ut facile credam vel ipsum per se in hæc incidisse, vel saltem non amplius meminisse qua olim occasione talium meditationum semina fuerint jacta: præsertim cum sciam etiam difficiliora ipsum per se præstitisse, & multa præclara maximique momenti ab ejus ingenio posse expectari.

Quoniam vero in instantiæ supradictæ calculo erratum a me, ut dixi, admissum est, quod Dn. Craigius Dno. D.T (cui id tribuerat) tanquam argumentum opinor ad hominem objecit, ut ipsam methodum indefinitam refutaret, ideo corrigere calculum debeo. Inspiciatur Actorum anni 1684 pagina 239, ubi æquationem $4zz - 8hz$, &c. conferendo cum æquatione $bzz + ezz$ &c. debent in æquatione posteriore termini ubi abest z, extra fractionem positi, multiplicari per fractionis nominatorem, antequam comparatio instituatur, ut in utraque fractione omnes termini carentes litera z, una fractione comprehendantur. Ponatur & $b = 1$ quod semper fieri potest, & quia in æquatione priore terminus xz plane abest, fiat in posteriore $d = o$, dividatur & æquatio prior seu data per 4, & in posterioris seu supposititicæ æquationis fractione tam numerator quam nominator dividatur per g: ita tam terminus zz utrobique, quam terminus zz in nominatore fractionis utrobique consentient. Cætera comparando, ob terminum z, fiet $c = 2h : a$; ob x_4 fiet $g = 1 : 16$, seu $\frac{1}{16}$; ob x^3 fiet $f = -1 : 6a$; ob x in nominatore fiet $f = -h : 8a$. Ergo fit $h = 8 : 6$, seu $\frac{4}{3}$ quod absurdum, nam h est quantitas data. Oriuntur & aliæ ex comparatione continuata absurditates, nam fit vel c vel $f = o$, contra jam concluſa.

Cæterum placet hoc loco, ut magis profutura dicamus, *fontem aperire Transcendentium Quantitatum*, cur nimirum quædam problemata neque sint plana, neque solida, neque sursolida aut ullius certi gradus, sed omnem æquationem Algebraicam transcendant. Eademque opera modum ostendemus, quomodo sine calculo demonstrari possit, lineam quadratricem Algebraicam circuli & hyperbolæ esse impossibilem. Si enim ista daretur, sequeretur ejus ope angulum aut rationem sive logarithmum secari posse in data ratione rectæ ad rectam, idque una generali constructione, & proinde problema sectionis anguli vel inventionis quotcunque mediarum proportionalium foret certi gradus, cum tamen pro alio numero partium

partium anguli aut mediarum proportionalium, alius atque alius gradus æquationis Algebraicæ requiratur, & ideo problema intellectum in genere de numero partium aut mediarum quocunque, sit gradus indefiniti, & omnem Algebraicam æquationem transcendat. Quoniam tamen nihilominus talia problemata revera in Geometria proponi possunt, imo inter primaria haberi debent, & determinata sunt; ideo necesse utique est, eas quoque lineas recipi in Geometriam, per quales solas construi possunt; & cum eæ exacte continuoque motu describi possint, ut de cycloide & similibus patet, revera censendas esse non Mechanicas sed Geometricas; præsertim cum utilitate sua lineas communis Geometriæ (si rectam circulumque exceperis) multis parasangis post se relinquant, & maximi momenti proprietates habeant, quæ prorsus Geometricarum demonstrationum sunt capaces. *Non minor ergo Carteſii Geometria eas excludentis, quam veterum lapſus fuit*, qui loca solida aut linearia tanquam minus Geometrica rejiciebant.

Quoniam etiam methodus investigandi Tetragonismos indefinitos aut eorum impossibilitates, apud me casus tantum specialis est, (& quidem facilior) problematis multo majoris, quod appello *Methodum Tangentium inverſam*, in quo maxima pars totius Geometriæ transcendentis continetur, & quod si Algebraice semper posset solvi, omnia reperta haberentur, & vero nihil adhuc de eo extare video satisfaciens, ideo ostendam quomodo non minus absolvi possit, quam Tetragonismus ipse indefinitus. Cum igitur antea Algebraistæ assumerent literas seu numeros generales pro quantitatibus quæsitis, ego in talibus problematibus transcendentibus assumsi æquationes generales seu indefinitas pro lineis quæsitis v. g. abscissa & ordinata existentibus x & y, æquatio pro linea quæsita mihi est, $o = a + bx + cy + exy + fxx + gyy$ &c. ope hujus æquationis indefinite propositæ, revera finitæ (semper enim determinari potest, quousque assurgi opus sit) quæro lineæ tangentem, & quod invenio, id cum proprietate tangentium data conferens, reperio valorem literarum assumtitiarum, a, b, c, &c. atque adeo æquationem lineæ quæsitæ definio, ubi tamen interdum quædam manent arbitrariæ; quo casu etiam innumeræ lineæ reperiri possunt, quæsito satisfacientes, quod in causa fuit, ut multi problema non satis definitum a posteriori videntes, putarent,

nec in potestate esse. Eadem per series quoque præstantur. Ad calculum autem contrahendum multa habeo, de quibus alias. Quod si comparatio non procedat, pronuntio lineam quæsitam non esse Algebraicam, sed transcendentem.

Quo posito, ut ipsam *Transcendentiæ speciem* reperiam, (aliæ enim transcendentes pendent a sectione generali rationis, seu a Logarithmis, aliæ a sectione generali anguli, seu ab arcubus circuli, aliæ ab aliis indefinitis quæstionibus magis compositis) ideo præter literas x & y assumo adhuc tertiam ut v, quæ transcendentem quantitatem significat, & ex his tribus formo æquationem generalem ad lineam quæsitam, ex qua lineæ tangentem quæro, secundum meam methodum tangentium in Actis Octobr. 84 publicatam, quæ nec transcendentes moratur. Deinde id quod invenio comparans cum data proprietate tangentium curvæ, reperio non tantum literas assumtitias a,b,c,&c. sed & specialem transcendentis naturam. Quamquam autem aliquando fieri possit, ut plures adhibendæ sint transcendentes, naturæ quandoque inter se diversæ, & dentur transcendentes transcendentium, & omnino talia procedant in infinitum, tamen facilioribus & utilioribus contenti esse possumus; & plerumq; peculiaribus artificiis uti licet ad calculum contrahendum, problemaque quoad licet ad terminos simplices revocandum, quæ non sunt hujus loci. Hac autem methodo ad Tetragonismos applicata, seu ad inventionem linearum quadratricium (in quibus utique semper tangentium proprietas data est) patet non tantum, quomodo inveniatur, an quadratura indefinita sit Algebraice impossibilis, sed & quomodo impossibilitate hac deprehensa reperiri possit quadratrix transcendens, quod hactenus traditum non fuit. Adeo ut videar non vane asseruisse, Geometriam hac methodo ultra terminos a Vieta & Cartesio positos in immensum promoveri. Cum hac ratione Analysis certa & generalis ad ea porrigatur problemata, quæ nullius sunt certi gradus, atque adeo Algebraicis æquationibus non comprehenduntur.

Porro quoniam ad problemata Transcendentia, ubicunque dimensiones tangentesque occurrunt, calculo tractanda, vix quicquam utilius, brevius, universalius fingi potest *calculo* meo *differentiali* seu *analysi indivisibilium atque infinitorum*, cujus exiguum tantum velut specimen

specimen sive corollarium continetur in Methodo illa mea Tangentium in Actis Octobr. 84 edita, & Dn. Craigio tantopere probata; & ipse Dn. Craigius suspicatus est, aliquid altius in ea latere, ac proinde pag. 29 sui libelli inde derivare conatus est theorema Barrovianum (quod summa intervallorum, inter ordinatas & curvæ perpendiculares in axe sumtorum, & ad axem applicatorum, æquetur semiquadrato ordinatæ ultimæ) in cujus executione tamen nonnihil a scopo deflexit, quod in nova methodo non miror; ideo gratissimum ipsi aliisq; fore arbitror, *si hoc loco aditum rei, cujus tam late patet utilitas, patefecero.* Nam inde omnia hujusmodi theoremata ac problemata, quæ admirationi merito fuere, ea facilitate fluunt, ut jam non magis ea discI teneriq; necesse sit, quam plurima vulgaris Geometriæ theoremata illi ediscenda sunt, qui speciosam tenet. Sic ergo in casu prædicto procedo. Sit ordinata x, abscissa y, intervallum inter perpendicularem & ordinatam quod dixi sit p, patet statim methodo mea fore $pdy = xdx$ quod & Dn. Craigius ex ea observavit; qua æquatione differentiali versa in summatricem, fit $\int pdy = \int xdx$. Sed ex iis quæ in methodo tangentium exposui, patet esse $d, \frac{1}{2}xx = xdx$; ergo contra $\frac{1}{2}xx = \int xdx$ (ut enim potestates & radices in vulgaribus calculis, sic nobis summæ & differentiæ seu $\int$ & d, reciprocæ sunt). Habemus ergo $\int pdy = \frac{1}{2}xx$. Quod erat dem. Malo autem dx & similia adhibere, quam literas pro illis, quia istud dx est modificatio quædam ipsius x, & ita ope ejus fit, ut sola quando id fieri opus est litera x, cum suis scilicet potestatibus & differentialibus calculum ingrediatur, & relationes transcendentes inter x & aliud exprimantur. Qua ratione etiam lineas transcendentes æquatione explicare licet, verbi grat. Sit arcus a, sinus versus x, fiet $a = \int dx : \sqrt{2x - xx}$, & si cycloidis ordinata sit y, fiet $y = \sqrt{2x - xx} + \int dx : \sqrt{2x - xx}$, quæ æquatio perfecte exprimit relationem inter ordinatam y & abscissam x, & ex ea omnes cycloidis proprietates demonstrari possunt; promotusque est hoc modo calculus analyticus ad eas lineas, quæ non aliam magis ob causam hactenus exclusæ sunt, quam quod ejus incapaces crederentur: Interpolationes quoque Wallisianæ & alia innumera hinc derivantur.

Quod superest, ne nimium mihi ascribere aut detrahere aliis

videar, paucis dicam quid potiſſimum inſignibus noſtri ſeculi Mathematicis in hoc Geometriæ genere mea ſententia debeatur. Primi *Galilæus* & *Cavallerius* involutiſſimas *Cononis & Archimedis* artes detegere cœperunt. Sed Geometria indiviſibilium Cavalleriana, ſcientiæ renaſcentis non niſi infantia fuit. Majora ſubſidia attulerunt triumviri celebres, *Fermatius* inventa methodo de maximis & minimis, *Carteſius* oſtenſa ratione lineas Geometriæ communis (tranſcendentes enim excluſit) exprimendi per æquationes, & *P. Gregorius a S. Vincentio* multis præclaris inventis. Quibus egregiam *Guldini* regulam de motu centri gravitatis addo. Sed & hi intra certos limites conſtitere, quos transgreſſi ſunt novo aditu aperto, *Hugenius* & *Walliſius*, Geometræ inclyti. Satis enim probabile eſt, Hugeniana *Heuratio*, Walliſiana *Neilio* & *Wrennio*, qui primi curvis æquales rectas demonſtravere, pulcherrimorum inventorum occaſionem dediſſe. Quod tamen meritiſſimæ laudi inventionum nil detrahit. Secuti hos ſunt *Jacobus Gregorius* Scotus, & *Iſaacus Barrovius* Anglus, qui præclaris in hoc genere theorematibus ſcientiam mire locupletarunt. Interea *Nicolaus Mercator*, Holſatus, Mathematicus & ipſe præſtantiſſimus, primus, quod ſciam, quadraturam aliquam dedit per ſeriem infinitam. At idem inventum non ſuo tantum Marte aſſecutus eſt, ſed & univerſali quadam ratione abſolvit profundiſſimi ingenii Geometra, *Iſaacus Neutonus*, qui ſi ſua cogitata ederet, quæ illum adhuc premere intelligo, haud dubie nobis novos aditus ad magna ſcientiæ incrementa compendiaque aperiret.

Mihi contigit adhuc tironi in his ſtudiis, ut ex uno aſpectu cujusdam demonſtrationis de magnitudine ſuperficiei ſphæricæ, ſubito magna lux oboriretur. Videbam enim generaliter figuram factam ex perpendicularibus ad curvam, axi ordinatim applicatis, (in circulo radiis) eſſe proportionalem ſuperficiei ipſius ſolidi, rotatione figuræ circa axem geniti. Quo primo theoremate (cum aliis tale quid innotuiſſe ignorarem) mirifice delectatus, ſtatim comminiſcebar triangulum, quod in omni curva vocabam characteriſticum, cujus latera eſſent indiviſibilia (vel accuratius loquendo infinite parva) ſeu quantitates differentiales; unde ſtatim innumera theoremata nullo negotio condebam, quorum partem poſtea apud Gregorios & Barrovium deprehendi. Nec dum vero Algebraico calculo utebar, quem

quem cum adjeciſſem, mox quadraturam meam Arithmeticam aliaque multa inveni. Sed neſcio quomodo non ſatisfaciebat mihi calculus Algebraicus in hoc negotio, multaque quæ analyſi voluiſſem, præſtare adhuc cogebar figurarum ambagibus, donec tandem verum Algebræ ſupplementum pro tranſcendentibus inveni, ſcilicet meum calculum indefinite parvorum, quem & differentialem aut ſummatorium aut tetragoniſticum, & ni fallor, ſatis apte *analyſin indiviſibilium & infinitorum* voco, quo ſemel detecto, jam ludus jocusque viſum eſt, quicquid in hoc genere ipſe antea fueram admiratus. Unde non tantum inſignia compendia, ſed & methodum generaliſſimam paulo ante expoſitam condere licuit, qua ſive quadratrices, ſive aliæ quæſitæ lineæ algebraicæ vel tranſcendentes, prout poſſibile eſt, determinantur. Antequam finiam, illud adhuc admoneo, ne quis in æquationibus differentialibus, qualis paulo ante erat $a = \overline{\overline{ſd x : \sqrt{1 - xx}}}$ ipſam dx temere negligat, quia in caſu illo, quo ipſæ x uniformiter creſcentes aſſumuntur, negligi poteſt: nam in hoc ipſo peccarunt plerique, & ſibi viam ad ulteriora præcluſere, quod indiviſibilibus iſtiusmodi, velut dx, univerſalitatem ſuam (ut ſcilicet progreſſio ipſarum x aſſumi poſſet qualiscunque) non reliquerunt; cum tamen ex hoc uno innumerabiles figurarum transfigurationes & æquipollentiæ oriantur.

Scriptiuncula hac jam abſoluta, venere in manus meas, quæ Dn. D. T in Martio hujus anni Actorum pag. 176 communicavit. Ubi nonnullas quæſtiones elegantes propoſuit, & ſolvi dignas. Video autem lineam ACI (fig. VIII ibi) eſſe quandam ex lineis ſinuum, ſemperque rectangulum AH in GD eſſe æquale ſpatio ABCA. Et in fig. IX ſi quadratum BC in BD ſeu X ſemper æquale debeat eſſe dato cubo ab a, ſatisfacere paraboloeidem, cujus æquatio eſt $4a^3yy = 25X^5$. Similiter rem determinare licet pro aliis potentiis. Sin AD, DB, BC = cubo dato, res redit ad quadratricem figuræ, cujus ordinatæ valor eſt aX^3 diviſ. per $\sqrt{a^6 - X^6}$. In genere autem data relatione quacunque inter rectas AB, BC, CD, AD, DB in dicta fig. IX invenire lineam, problema eſt, quod coincidit cum inventione quadraturarum. Sed ſi in recta AC aſſumatur punctum fixum L, novæ

oriun-

oriuntur alterius naturæ relationes, ut si data sit relatio inter LC & CD, quod problema tamen itidem solutionem recipit.


VVILHELMI MOLYNEUX OBSERVATIO DE Insecto Hibernico, vocato Connough-VVorm.

Excerpta ex Transact. Philos. Ang. M. Febr. 1685. num. 168. pag. 876. seqq.

HAud exiguum naturæ privilegium est, quod experientia teste, Hiberniæ regnum animalibus venenatis in totum carere deprehenditur: id quod eo usque etiam aliqui extensum volunt, ut extranea quoque animantia veneno prædita, illuc vel casu vel data opera advecta, continuo expirare perhibeant, quamprimum solum contingant Hibernicum. Quemadmodum vero alias vix ulla regula ab omni exceptione immunis est; ita & generalem hujus ptærogativæ attributum, unico licet exemplo, limitare hactenus ausi sunt ejus regni incolæ, dum certam vermis speciem, quam *Connough-Worm* appellant, communi suffragio pro venenosa agnoverunt, pecoribus inprimis eam summe noxiam judicantes. Non indignum proinde sua curiositate putavit Molyneusius, Societatis Philosophicæ Dublinensis Secretarius, si in rei hujus veritatem curatius inquireret. Hinc non afferri solum sibi jussit vermem ejusmodi, tametsi patria ejus prope 40 milliaribus Dublino distaret; sed & naturam ac historiam ipsius ab hominibus istius regionis sedulo scisitatus est. Et figuTAB. IX. ram quidem insecti talem deprehendit, qualem *Fig. 1 & 2.* exhibent:
FIG. 1 & 2. compertum tamen est, id quandoque ad pollicis crassitiem & longitudinem tribus unciis majorem excrescere. At de natura ejus ac speciatim de noxa vermi huic imputata certi nihil, sed cuncta meris saltem conjecturis nixa perdiscere percontanti licuit. Cæterum morbus, quem pecoribus infligere creditur insectum hoc, consistit in tumore capitis, &, quæ peculiaris ipsius nota characteristica habetur, ingenti inflatione ac procidentia ani, in tantum, ut aliquando plus quam semipedis longitudine propendeat Rectum. Pecoribus ita affectis Angli quidem patres familias medicinam adhibent ex acantho, ruta, allio, butyro & cerevisia, in unum commixtis: verum Hiberni,








TAB. IX
ad a. 1686.
pag. 300.
Sqq.













Hiberni, uti non dubitant, quin vermi prædicto accepta ferenda sint ista symptomata, ita & in curatione eorundem remedia sympathetica inde petita, lubrico utut fundamento fulta, præferunt. Videlicet existimant, si foramini in arbore quadam facto indatur vermis ejusmodi, ibidemque obturato rursus foramine fame moriatur, non folia tantum, sed & corticem ejus omni post tempore, si aqua macerentur, ac pecoribus ita morbidis præbeantur, eadem restituere: id quod adeo firmiter ipsis persuasum est, ut vel decem milliaribus dissiti non omittant arborem taliter medicatam requirere. Pariter si quis intra manus suas conterat istiusmodi animalculum, sinatque succum inde expressum in manibus exsiccari, hac imposterum virtute pollere creditur, ut aqua, qua hic quolibet mane primum abluit manus, pecoribus infectis medicinæ loco propinari valeat. Atque hoc quidem posterius experimentum a nobili quodam viro, (qui & ipse vermem hic delineatum ei transmisit,) in gratiam vicinorum in propria persona factum narrat Noster, nec rem successu caruisse, cum a diversis regionis locis incolæ ejus remedii causa se ad ipsum multoties contulissent. Tametsi vero ista sic vulgo perhibeantur, non tamen ullum comperire potuit Molyneusius, qui vidisset ipse pecudem insectum tale deglutientem, aut ab eodem se inspiciente ictam. Cæterum suspiciones, quæ vermem sæpe dictum eo nomine incusare putantur, hæ sunt: 1. Quod morbus antea memoratus raro aut nunquam pecora afficit, nisi autumno durante; sed & tunc unice insectum hoc reperitur; 2. Quod pecora vix nisi in convallibus paludosis pascentia hæc noxa invadit; at & ibi solum animalculum istud reptare solet; 3. Quod ea tantum pecora, quæ avidius & largioribus bucceis pabulum carpunt, uti boves ac speciatim sues, luem istam experiuntur; 4. Denique quod uti morbus, ita & vermis admodum raro, & vix singulis septenniis comparere aut observari hactenus sueverit. Hæ omnes tamen rationes nondum inducere satis valuerunt Nostrum, ut crederet vermem veneno præditum, aut morbi supra dicti causam esse: quin potius ex erucarum genere eundem esse suspicatur, nec magis quam illas virus habere conjicit; in quarum classe etiam a *Godartio, in libro de Insectis n. 125 aut 126*, vult exhibitum, ac descriptum sub nomine Erucæ Elephantis. Siniſtram vero istam de insecto hoc suspicionem maximam par-

tem putat deberi tetricæ ejus formæ, ac colori obscure fusco ac venenatis animantibus quodammodo familiari: nec mirum videri debere ait, si incolæ istarum terrarum falsa imaginatione hac in parte delusi dicantur, cum in ipsis etiam vermis hujus partibus ac membris non unum admiserint errorem. Sic v. g. narrat, *d d in fig. 1* communi suffragio haberi pro oculis extuberantibus, cum tamen non sint nisi duæ maculæ diversi a reliquo dorso coloris; pariter particulam *e in fig. 1* aculeum vulgo reputari, cum tamen acuta ejusmodi & prominula cuspis in caudis plerarumque fere erucarum reperiatur. Certiora procul dubio hac de re experimenta cepisset Molyneusius noster, si plura hujus speciei insecta ipsi transmissa fuissent: unicum enim illud, quod fuerat nactus, fumo sulphuris enecare necesse habuerat; cum alioqui continuus bestiolæ motus accuratiorem ejus delineationem impediret. Non diffitetur tamen, periculum ejus rei factum esse ab alio quopiam Nobili, qui vermem ejusmodi duobus canibus devorandum præbuerit, alteri quidem pellem, alteri vero succum inde expressum dando: successum talem fuisse, ut posterior quidem omnino evaserit indemnis, prior vero triduo post mortuus fuerit inventus; dubium tamen mansisse, an ex veneno deglutito, an alio quodam casu mors ipsi obtigisset, cum libere eo tempore hinc inde discurrisset.

Figura 1. AB repræsentatur Vermis ventri incumbens, longus duos pollices cum dimidio fere; *c* ejus caput; *d d* maculæ duæ variegatæ vulgo, sed falso pro oculis habitæ; *e* exigua protuberantia caudam versus, unde surgit velut corniculum quoddam, communiter pro aculeo acceptum.

Fig. 2. exhibetur Vermis supinus fere ac in dorsum reclinatus. *F* ejus os simile, microscopio teste, ori aliarum erucarum. *gg &c.* sex pediculi seu ungulæ corneæ, tres in quolibet latere, ut in aliis erucis. *hh &c.* octo papillæ, mediantibus quibus adhæret locis, quæ perreptat. *ii* duæ largiores papillæ, quibus quidem etiam eundem in finem utitur; communiter tamen mediantibus his arripit caulem graminis aut herbæ, versus cujus summitatem ascendere laborat.

PAL-

PALLAS ARMATA. MILITARY ESSAYES of the ancient Grecian, Roman, and modern Art of War.

id est:

Specimina varia Artis Militaris, tum veterum Græcorum ac Romanorum, tum hodiernæ. Autore Jacobo Turnero, Equite Aurato.

Londini, apud R. Chiswellium, 1683, in fol.

Quascunque artes ac disciplinas incrementa sua paulatim cepisse, nec uno temporis momento summum perfectionis culmen attigisse, vel ex ipso rerum naturalium ordine colligimus. De arte bellica id recte ac tuto affirmari, Jacobus Turner, Anglus luculenter ante hos tres annos demonstravit, cum ab antiquissimis temporibus ad hæc usque secula militiæ variam rationem descripsit. Comparavit nimirum Israelitarum, Assyriorum, Lydorum, Ægyptiorum, Græcorumque instituta cum Romanis, Romana cum nostris, ut quantum hæc illis præstent, eluceseeret. Quicquid ergo vel ad defensionem patriæ, vel ad invasionem terræ hostilis, vel ad profligationem exercitus inimici olim putatum est facere, id primum e veteris historiæ monumentis collectum quibusdam regulis inclusit, exemplisque firmavit: postea vero novæ disciplinæ hodiernam faciem delineatam pristino mori opposuit. In quibus omnibus nobilissimus Autor patefecit, se non minus historiæ notitia, quam ingenio & rerum militarium usu pollere.

LA PRATIQUE DES ACCOUCHEMENS soutenue d' un grand nombre d' observations, composée par Paul Portal, Maitre Chirurgien juré.

hoc est:

Praxis Partuum magno observationum numero suffulta, auctore Paulo Portal, Magistro Chirurgiæ jurato.

Parisiis, apud Auctorem, 1685 in 8.

QUanta obstetricum circa partum delicta sint, & quam sæpenumero per illarum imperitiam vel vitæ, vel valetudinis periculo exponantur miseræ parturientes, norunt qui consilia rogantur suggerere in tale discrimen adductis. Neque tamen id mirum est, cum vix centesima obstetricum unquam oculis usurpaverit partes muliebres cultello Anatomico subjectas, ut inde figuram, situm, connexionem &c. addiscere valuerit, sine quorum tamen cognitione non possunt non insigniter errare, variisque læsionibus facillime ansam dare, ac infantes sæpe aut opportuna nascendi occasione, aut plane vita privare. Miseriarum vero cumulum adauget intempestivus nostratium muliercularum pudor, cujus suasu in partu licet laboriosissimo constitutæ malunt sub ineptæ obstetricis cura perire, quam chirurgi opitulaturi manum admittere. Feliciores, si non prudentiores, hac in parte sunt in Gallia parientes, dum susque deque habito pudore, & suæ, & infantis vitæ melius prospiciunt, conquirendo commodum ex utroque sexu ministerium. Hinc vero duplex bonum: obstetrices scilicet a chirurgis Anatomiæ partuumque juvandorum gnaris sic informantur, evaduntque cordatiores ad similem juvandi necessitatem requisitæ: & literis deinde mandantur observationes rariores, quæ diligenter relectæ utilitatem non exiguam spondent iis, qui operam suam parientibus addicunt. Ita permulta hujus argumenti scripta prodiere, auctoribus inprimis Gallis, inter quos, qui recentiores laude mactantur, Dominus *Viardel* & *Mauriceau* hactenus eminuerunt. Nunc autem superiori anno libri præsentis auctor emisit observationes suas, quas quidem in dedicatione ad Cl. D. *Moreau*, Professorem ac Medicum primarium Nurus Regiæ, fatetur non tam sibi, quam huic deberi, cum in istis, quas tractant rebus, ipse facem prætulerit, consilia suggesserit. Nec se idoneum scribendis libris in monito ad Lectorem modeste perhibet; suasu tamen doctiorum quorundam ait se adductum esse, ut has observationes evulgaret, cum illis visæ fuerint inservire cum utilitate posse curationes circa partum obeuntibus. Addit quoque se nihil scripsisse, quod ipse non fecerit, vel adhuc facere data occasione queat. Ut autem libri totius ratio breviter constet, observabimus, quod scriptum integrum sex capitibus, & 81 observationibus absolvatur. Cap. 1. agit de partu naturali. Cap. 2. explicat, quid faciendum

dum in partu terminum ordinarium anticipante? Cap. 3. quid fieri expediat, quando infans faciem primo exhibet? Cap. 4. quid agendum, quando pedes infantis primo prodeunt, aut anus vel podex? Cap. 5. quomodo procedendum, si manus aut brachium se primo offerat? Cap. 6. quid moliendum, quando diversæ corporis partes se primo ostendunt. Ex cæteris, quæ annotatu digna in hisce 6 capitibus occurrunt, vel unicum saltem huc transferemus. Cap. 2. pag. 20. describit modum, quo speculum uterinum trium digitorum diductione possit formari, ita ut integra manus blande in uterum inseri queat, cujus theoriæ praxin inferius videre est observ. 51. pag. 234. it. observ. 79. pag. 344. Eadem quoque pagina 20 ait, quod perforatis facile extremitate digitorum membranis advertatur, ecquod membrum infantis se se primo offerat. Verum, inquit, quæcunque demum pars se primo exhibuerit, non aliam arripere fas est, quam pedes, quos ad orificium perducere oportet, atque eo momento, quo hi in conspectum veniunt, baptizandus est infans aqua purissima, & hanc superfundenti talia verba proferenda: *Infans, si tu vivis, ego te baptizo in nomine Patris, Filii & Spiritus sancti.* Atque hoc fundamento innituntur observationes subsequentes, quarum plerisque memorat auctor, quod semper extrahere primo pedes laboraverit, & vel unico horum extracto statim sub conditione infantem baptizaverit, cujus consuetudinis rationem Theologorum arbitrio excutiendam relinquimus. Cæterum recensitis modo 6 capitibus generalioribus subnectit speciales annotationes, circa varios partus præternaturales collectas, ubi non modo infantes vario situ, & aliis, quam debebant, partibus impertinenter se exhibuerunt; sed & molæ, & gemelli, & tres sæpe uno partu infantes, & monstra sunt exclusa. Notatu tamen dignum inprimis est, quod auctor in singulis fere casibus memoret, se blando & succedaneo nisu manum integram, in uteri fundum usque immisisse, atque sic tam partui promovendo, quam extrahendis placentæ ac secundinis, imo grumis sanguinis grandioribus, ac fœtibus corruptis frustulatim eximendis operam navasse; id quod multis nostratium obstetricum fere paradoxum videretur. Syllabum hic reddere integrum observationum omnium, prolixum nimis foret. Inveniet passim Lector, si evolvere eas velit, quæ curiositate quadam placere queant. Ut vel

cum addamus, memorat auctor observ. 90, pag. 353, quod anno 1683 permultæ mulieres duos vel tres infantes uno partu ediderint, & quod a longo tempore simile quid tam copioso numero non fuerit observatum. Describit quoque partum, cui præfuit, quo pariens enixa est infantem vivum justo termino, ac duos alios, quorum alter extractus est instar halecis juxta caudam apprehensi. Nam & hujus figuram quoad crassitiem expresserat, longitudine pedem regium circiter æquante. Fuit autem putridus, & ferme desiccatus, ac quoad partem coopertus excremento plane flavo. Corporis crassities vix digitum transversum æmulata est, caput complanatum & contusum, complicantibus se invicem ossibus juxta longitudinem, instar auriculeporis. Tertius horum infantium adhuc minor priori, sed pariter valde complanatus, crassitie halecem passam seu fumo duratam, longitudine autem vix 7 aut 6 pollices æquavit, magis exiccatus quam alter, caput habens planum instar taleri, sine ulla cerebri substantia, mentum versus humerum dextrum reflexum. Putredine non tam valde corruptus fuit, ceu prior. Existimat autem auctor, quod superfœtationem hic factam esse forsan quis dixerit. Sed cum doctissimos æque ac se hic difficultatem inventuros putet, judicio Medicorum rem totam relinquit, quam tamen mereri ait, ut Lectores hujus observationis attentius considerent. Quare figuram trium infantium æri incisam simul exhibuit, quam & nos hic annectere sub fine voluimus. De regimine autem puerperarum curandique eas methodo, qua auctor ex more in Galliis usitato usus, nil addimus, cum lector facile sit adversurus, eam crebritate venæsectionum & clysterum totam niti, exhibitis simul interne largiori manu sirupis in aquis destillatis dissolutis, ac interdum cum succo aurantiorum & oleo amygdalarum dulcium remixtis.

TAB. IX. Fig. 9.

Figura trium infantium unius partus, quorum primus justo tempore excluſus est vivus; reliqui autem duo mortui & exiccati prodiere:

A. Exhiber filiam vivam.
B. Placenta est hujus uterina cum secundinis.
C. Repræsentat infantem mortuum.
D. Alter est infans pariter mortuus.
E. Placenta utriusque infantis.

TRA-

TRACTATUS DE SENSU ET AUCTORITATE Decretorum Concilii Constantiensis, Sessione quarta & quinta circa Potestatem Ecclesiasticam editorum, cum actis & gestis ad illa spectantibus, & ex MSS. Italicis, Germanicis & Gallicis nunc primum in lucem erutis opera & studio D. Emanuelis a Schelstrate S. T. D. Bibliothecæ Vaticanæ præfecti.

Romæ, typis Congregationis de propaganda fide, 1686 in 4.

POsteaquam Clerus Gallicanus anno 1682 Parisiis congregatus inter alia statuisset: *Sic inesse Apostolicæ Sedi ac Successoribus Christi vicariis rerum spiritualium plenam potestatem, ut simul valeant atque immota consistant Sanctæ Oecumenicæ Synodi Constantiensis a Sede Apostolica comprobata, ipsoque Romanorum Pontificum ac totius Ecclesiæ usu confirmata, atque ab Ecclesia Gallicana perpetua religione custodita decreta, de autoritate Conciliorum generalium, quæ sessione quarta & quinta continentur, nec probari a Gallicana Ecclesia, qui eorum decretorum, quasi dubiæ sint auctoritatis, ac minus approbata, robur infringant, aut ad solum schismatis tempus Concilii dicta detorqueant;* concoquere id minime potuit, qui Pontificiæ seu Vaticanæ Bibliothecæ hodie præfectus est, D. *Schelstratenus*, utque Cleri Gallicani statutum isthoc elideret, ex codicibus quibusdam hactenus ἀνεκδότοις Acta quædam Concilii Constantiensis, quæ ad decreta quartæ & quintæ sessionis pertinent, excerpsit, & peculiari dissertatione probatum ivit, decreta ista non justi valoris esse ac roboris; quæ dissertatio eodem anno, quo edita est, 1683 in Actis nostris pag. 50 & seqq. recensita est. Hæc cum destruere velle videretur, quicquid Clerus Gallicanus de decretis Concilii Constantiensis statuerat, oppugnata mox fuit a *Maimburgio* in tractatu historico de Romana Ecclesia Gallice scripto, & Parisiis anno 1685 edito, ac a nobis in Actis illius anni p. 216. seqq. memorato, a capite 22 usque ad 26. Nam in eo præter alia asserit, fundamentum dissertationis Schelstratinæ valde ruinosum esse, & quamvis antiqua Manuscripta, Regestum & Acta Concilii Constantiensis continentia hactenus inedita pro autoritate

ritate Papæ adducat, ea tamen post possessionem ducentorum & septuaginta annorum non debere admitti amplius, neque præstare illis, ex quibus Acta & decreta Constantiensis Concilii, quæ jam edita habeamus, sint extracta; demonstrandum etiam esse Schelstrateno, manuscripta sua meliora esse Gallicanis, quibus fuerit usus. Consequentias præterea ex iis, quæ in manuscriptis suis repererit Schelstratenus, deductas esse falsas, eumque argumentando omnem ab omnibus conciliis œcumenicis, quam eadem habere debeant, & hucusque obtinuerint in Ecclesia, auferre autoritatem. Sed ut autoritatem Pontificis Romani, & quæ semel in dissertatione jam dicta pro ea attulerat, propugnaret Schelstratenus, tractatum, cujus rubricam præmisimus, tractatui historico Maimburgiano opposuit. In hoc de iisdem Concilii Constantiensis decretis sessionis 4 & 5 agens, dissertationibus tribus sententiam suam contra Maimburgium confirmare nititur; quarum ista sunt contenta, prout ab ipso autore in fronte libri sunt indicata; *quod nempe primum Sessionis quartæ decretum corruptum ad manus nostras pervenerit, nihilque, si juxta Acta manuscripta corrigatur, ad quæstionem de superioritate Concilii faciat: decreta vero duo priora sessionis quintæ sine deliberatione tantæ rei debita, contradicentibus Cardinalibus & Regis Galliæ Oratoribus, edita sint ab una duntaxat ex tribus Obedientiis, quæ generale Concilium non constituit: quod demum post trium Obedientiarum unionem, neque a Concilio in auctoritatem admissa, neque a Martino Quinto unquam comprobata fuerint.* His 3 dissertationibus, præter dedicationem ad *Bonitatem* & *Veritatem æternam* directam, præmisit Schelstratenus præfationem ad lectorem, in qua & alia a Maimburgio in eodem tractatu historico falsitatis arguere conatur; quod dixerit videlicet cap. V & XX, potestatem Pontificiam a Concilio Florentino certis verbis fuisse limitatam; cap. IX Johannem XXII decidere in senectute voluisse, animas beatorum ante extremum diem non videre clare & intuitive Deum; cap. XV Concilium Basileense sessione II superioritatem Concilii decidisse &c. Præfationem excipit Compendium Chronologicum rerum ad decreta Constantiensia, eorumque sensum & auctoritatem spectantium; sequuntur hoc XVIII veritates, ut Schelstratenus vocat, ad Acta Constantiensis Concilii spectantes, & nunc primum ex manuscriptis codicibus in lu-

in lucem erutæ, aut eorundem codicum auctoritate firmatæ; ut & XI errores, quos quoad Concilium Constantiense Maimburgius in historia ejusdem commiserit, nec non Synopsis dissertationum & capitum subsequentium. Dissertationibus tribus, quarum contenta jam indicavimus, annexa sunt Acta & Gesta Constantiensis Concilii ad sensum & auctoritatem decretorum de potestate Ecclesiastica sessionibus quarta & quinta editorum spectantia, ex plurimis Manuscriptis indubitatæ fidei (verbis Schelstrateni utimur) Codicibus pro majori parte nunc primum in lucem edita; quibus & Index Actorum rerumque memorabilium adjectus est.

Sufficere hæc poterant, quod recensionem tractatus hujusce attinet. Quandoquidem vero in Paulina quoque nostra Acta Concilii Constantiensis asservantur cum sessionibus omnibus, non potuimus non illa, occasione a Dn. Schelstrateno accepta, inspicere atque consulere. Et sane verba illa, quæ a Basilienſibus decreto primo sessionis IV adjecta esse contendit: *& ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris*, in nostro quoq; Manuscripto non comparent. Ita enim habent decreti primi in eo verba: *Et primo* (declarat) *quod ipsa Synodus in Spiritu Sancto legitime congregata, generale concilium faciens, Ecclesiam Catholicam militantem repræsentans, potestatem a Christo immediate habet, cui quilibet cujus, cunque status vel dignitatis, etiamsi Papalis existat, obedire tenetur in his quæ pertinent ad fidem, & extirpationem præsentis schismatis.* Secundum vero sessionis V decretum ita legitur in Paulino Manuscripto: *Item declarat, quod quicunque cujuscunque conditionis, status, dignitatis, etiamsi Papalis, qui mandatis, statutis seu ordinationibus aut præceptis hujus sacræ Synodi, & cujuscunque alterius Concilii generalis legitime congregati, super præmissis seu ad ea pertinentibus factis vel faciendis obedire contumaciter contemserit, nisi resipuerit, condignæ pœnitentiæ subjiciatur, & debite puniatur, etiam ad alia juris subsidia, si opus fuerit, recurrendo.* Quanquam vero verba illa, *& ad reformationem generalem Ecclesiæ Dei in capite & in membris*, in decreto sessionis V, ceu diximus, non addita sunt in Manuscripto nostro, leguntur tamen eadem tum in verbis id proxime antecedentibus, tum in pluribus decretis Concilii ejusdem aliis. Sic autem habent verba decreti antecedentia: *Hæc sancta synodus Constantiensis*

Generale Concilium faciens pro extirpatione præsentis schismatis, & unione ac reformatione Ecclesiæ Dei in capite & in membris fienda &c. Sed nolumus illud nunc agere. Decætero cum primum Acta Concilii Constantiensis, quæ Venetiis a. 1585, & Coloniæ Agrippinæ 1617 edita sunt, cum Manuscriptis nostris Paulinis a capite ad calcem usque conferremus, omissa in impressis illis quamplurima fuisse ad Historiam Concilii vel maxime facientia, non absque stupore deprehendebamus; omissæ enim in illis protestationes non Cardinalium tantum aliquot, sed Ambassiatorum, ut vocantur, Regis Portugalliæ, Neapoliæ, Franciæ &c. procuratoria item Ambassatorum variorum, Congregationes in certis causis factæ vel Commissiones, decreta quædam, tot schedulæ unionis, convocationis, &c. literæ ad Patres Concilii missæ, & bullæ aliquot, nec non processus totus isque prolixus contra Benedictum XIII seu Petrum de Luna usque ad sessionem XLVI; ut differentias circa dies sessionum, decretorumque non paucas taceamus. Posteaquam autem editionis novissimæ, quæ Lutetiæ Parisiorum a. 1672 prodiit, Acta Concilii Constantiensis cum operosa Appendice, quæ a fol. 1434 incipit, & ad fol. usque 1864 excurrit, introspeximus, tum in pleraque omnia, quæ deesse diximus Actis Constantiensibus olim editis, incidimus. Descripta hæc fuit a Felice Contelerio, Viro insignis eruditionis ac diligentiæ, ex Copranicensi aliisque Codicibus manuscriptis Concilii Constantiensis, & per Franciscum Barberinum Cardinalem, & purpuratorum Patrum tum Decanum, Parisios missa ad Philippum Labbeum, & Gabriel. Cossartium, Jesuitas, qui & eam Tomo Conciliorum suorum XII annexuerunt. Plus autem adhuc Actorum, quam Appendix illa Conteleriana, Manuscriptum Paulinum nostrum continet; est etiam longe emendatius, imo & completius, ut facile adeo lacunæ, quæ in Appendice illa Parisiensi hinc inde obveniunt, suppleri ex nostro possint. Accedit tertio loco & ordo longe melior atque certior. Nam quæ in Appendice illa per miscellam & tanquam gesta hinc inde Actis Constantiensibus inserenda afferuntur, ea in nostro Manuscripto justo ordine, prout omnia quot diebus & quot-septimanis factitata sunt, ἄνευ παθῶν recensita exhibentur. Nihil falsi nos dicere, luculentissime aliquando apparebit, si

si obstetricantes Bibliopolæ cujusdam manus manuscriptus Codex noster expertus fuerit.

MARTINI DIFENBACHII DISSERTATIO DE vero mortis genere, ex quo Henricus VII Imp. obiit, qua quicquid ejus apud antiquos pariter ac recentiores historicos reperiri potuit, discutitur, variaq; scitu non injucunda admiscentur.

Francofurti apud Joh. David. Zunnerum, 1685, in 4.

POntificiæ in Imperatores impietatis, & sanctitatis monachalis falso jactatæ exempla licet non desint alia, atrocius tamen & magis memorabile vix ullum, quam in rerum ab Henrico VII Imp. gestarum ejusque obitus commemoratione, reperitur; dum is anno Domini 1313, sacra cœna usus, a monacho Dominicano, cui nomen Paulini vel Bernhardi, qui impulsu Pontificis Clementis V calicem & hostiam veneno infecerit, necatus traditur. Insignem igitur veritati historicæ ejusque studiosis operam eruditissimus Dissertationis hujus auctor præstitit, dum super hoc argumento antiquorum pariter & recentiorum monumenta, præcipue vero horridiuscula barbari ævi istius scripta summo studio excusit. In tres sectiones Dissertationem dispescuit; quarum *prima* scriptores seculi XIV, XV, XVI, & XVII magno numero adducuntur, qui partim illis ipsis quibus perpetratum fuit hoc scelus temporibus æquales extiterunt, partim sequentibus annis veritatem a parentibus acceptam ad posteros propagarunt. Omnes autem quos affert, sunt scriptores Pontificii, ac inter hos nonnulli Abbates, Episcopi, ipseque Pontifex tandem factus Æneas Sylvius; qui sedi Romanæ peculiariter devincti scelus omnino reticuissent, nisi veritatis amor apud eos prævaluisset. Sed & præter istos non dubitat Auctor longe plures extitisse hujus facti testes, qui in literas istud miserint, quos tamen vel temporum injuria consumserit, vel Pontificiorum fraus & libraria tyrannis captivos in bibliothecarum custodia teneat. Conjecturas etiam quasdam affert, haud obscura facinoris Dominicani indicia suppeditantes, petitas a prohibitione intoxicationis in Conciliis facta Cle-

ricis §. 38. more item isto monachorum ordinis Prædicatorum, sinistra manu hostiam & calicem præbentium § 39. quo loco §. 40. seqq. multa de Dominicanorum sceleribus profert. Ab excommunicatione Henrici, quam a Clemente passus est pag. 45. ab effigie denique, quæ conspicitur in turri Argentinensi pag. 47. In sectione *secunda* eorum, qui in hac historia diversum sentiunt, sententiam expendit, eorumque argumenta confutat. Ac primo silentium quorundam συγχρόνων scriptorum admodum infirmum ut alias, sic in hoc negotio nullum prorsus argumentum negando facto idoneum præbere inde demonstrat, quod multo plures coævi scriptores facinus isthoc commemorent, quam taceant. Ad literas apologeticas, quas ordo Dominicanorum, post obitum Henrici, innocentiæ suæ probandæ, a Joanne Bohemiæ Rege (exhibitas in Baluzii tomo 1 Miscell. pag. 162) Joanne Episcopo Argentinensi, aut Balduino Archiep. Trevirensi obtentas præ se fert, respondet vel metu extortas fuisse, vel posterioribus temporibus confictas, multis sane nominibus suspectas videri. Ad objectionem de variatione facinoris hujus reponit, in substantia facti omnes convenire historicos, nec veritatem ejus collabi, si quid in circumstantia una alterave varietur. Quæ sigillatim a nonnullis objiciantur, a pag. 10. usque ad pag. 29. pluribus persequitur, eaque ficulnea non solum ac falsa, sed & insulsa sæpius atque ex affectu animi huc illuc flexo dicta esse ostendit. Dum vero inter dissentientes & celeberrimum Baluzium recenset, lætatur omnino, quod lumen illud eruditorum non perinde, ut alio Pontificios modernos scriptores, habeat contrarium. Dedisse aliquid Virum hunc incomparabilem amori erga Dominicanos, nec cum diploma illud Regis Bohemiæ evulgaret, tam quid ipse sentiret, quam quæ mens Henrici filio Joanni fuerit, expressisse putat pag. 259. In sectione *tertia* ea, quæ in prioribus duabus probata responsaque fuere, in rem & usum deducit. Et quanquam veritati historicæ sive illustrandæ, sive confirmandæ, plurima colligi ex præcedentibus possint, multum tamen lucis assertione ista de intoxicatione Henrici VII, venenato sive pane, sive vino, sive utroque in sacra eucharistia, monachorum scelere interemti, disputationibus inprimis adversus Pontificios de *transsubstantiatione* & *communione sub una* affulgere, late demonstrat. De *ablutione* etiam *calicis*, tum a sacerdotibus quæ fit, tum a laicis quæ peragitur, ante & post sacramenti usum, per digressionem quandam a § 5 ad finem usque differit, ejusque originem & causas indagat, impietatemque ostendit; in plura etiam argumento huic affinia passim digreditur, & in notis asteriscis signatis haud vulgaria affert, quæ insignem cum in omni litteratura, tum ecclesiastica potissimum historia, ejusque scriptorum exacta cognitione, auctoris doctrinam indicant, a qua hujus generis plura ingenii monumenta exspectamus.

HISTOIRE DE FRANCE, PAR M. DE CORDEMOY, Conseiller du Roy, Lecteur ordinaire de Monseign. le Dauphin, de l' Academie Francoise,

sive,

Historia Franciæ, autore Giraldo de Cordemoy, Consiliario Regio, Lectore Delphini ordinario & Academiæ Francicæ Socio.

Tomus. I.

Parisiis, apud Joh. Bapt. Coignard. 1685, in fol.

NEgari quidem vix potest, sat multos hactenus extitisse, qui consignandis historiæ Gallicæ monumentis semet impenderint; necdum annus elapsus est, ex quo spissum satis opus Caroli le Cointe a nobis commemoratum meminimus: ut adeo facile quispiam mirari possit, quare præsentis libri autori post tot Homeros Iliadem componere fuerit visum. Quicquid tamen ejus sit, certum est, eundem excusatione hac in parte neutiquam indigere, cum non nisi Christianissimi Regis jussu laborem hunc susceperit, cui sane reniti absque sacrilegio vix ac ne vix quidem potuisset. Nec putandum est, nihil illum quod non ab aliis jam dictum fuerit, tradere valuisse: nam non tantum quæ in illis sparsim continebantur, in unum colligere fasciculum allaboravit; sed & hinc inde obscura historiæ hujus capita dilucidare, incognita nonnulla detegere, quin & falso hactenus credita dissipare studuit. Sic v.g. *pag. 142* vulgatam de ampulla Rhemensi traditionem haud obscure fictionis incusat; ostenderis vix

alium nisi Hincmarum hujus fabellæ fabrum fuisse, cum nec Gregorius Turonensis, nec Fredegarius, nec ullus reliquorum, qui ante illum scripserint, vel minimam hujus rei fecerint mentionem. Pariter *pag. 199* narrationem istam falsitatis arguit, quæ vult irruptionem Longobardorum in Italiam sub imperio Justini, factam fuisse consilio Narsetis, vindictam ob injurias quasdam a Sophia Imperatrice sibi illatas spirantis: demonstrat enim, Narsetem jam ante famosam illam irruptionem vita functum, maxima cum pompa in urbe Constantinopolitana sepultum fuisse; id quod fieri potuisse negat, si aut hic Imperatricem sibi adeo infensam habuisset, aut tam atroci in Cæsarem proditione semet commaculasset. In historia Clotarii II pluribus evincit, crimina quæ Brunehildi Austrasiæ Reginæ vulgo imputantur satis enormia, meris superstructa fabulis esse, quin potius eandem plurima pietatis virtutisque haud vulgaris specimina passim edidisse. Childericum II una cum conjuge Bilihilde, non Rotomagi, ut quidem Fredegarius perhibet, sepultos esse docet, sed Parisiis in Abbatia S. Germani Pratensis, idque ex monumentis eorum anno 1656 casu ibidem erutis comprobat *pag. 358*. Denique Carolum M. quem polygamum & concubinatui deditum fuisse, ex vita ejus ab Eginhardo scripta plurimi colligunt, ab istis criminationibus penitus absolvit *pag. 650*, ostendens alium plane verborum Eginhardi sensum esse, quam qui vulgo ex iis exsculpitur. Plura hujus generis allegare, prolixitatis evitandæ gratia, supersedemus. Methodum ab autore servatam quod attinet, præmisit ille succinctam antiquæ Galliæ historiam, ubi de ejusdem situ, institutis, exercitiis, ditionibus, coloniis, expeditionibus tractat: huic subjungit Francorum gentis descriptionem ac gesta; atque his ita fundamenti loco præstructis ad Regum historiam progreditur, quorum singulis singula adsignavit capita, allegatis ubivis in margine fontibus, ex quibus, quæ de iis commemorantur, hausta fuere. Pertractat vero primus hicce tomus omnes primæ familiæ reges, & ex secunda Pipinum & Carolum M. Cæterum tametsi autor ipse morte præventus, in pertexenda hac historia, ultra finem lineæ regum secundæ procedere non potuerit: ejus tamen filio, Abbati de Feniers, Regis mandato injunctum est, parentis laborem ad nostra usque tempora continuare: quo ipso etiam obstetricante posthumus hic Autoris fœtus cultu adeo nitido nunc in

lucem publicam prodit. Quemadmodum vero hac ratione filius defuncti patris manibus parentare laudabiliter cœpit, ita majores inposterum & laudes & gratias merebitur, si residua pariter edendo & filum historiæ ad umbilicum usque producendo, Regis sui jussum & eruditi orbis desiderium explere, de quo nulli dubitamus, strenue perget.

JUS REGIUM: OR THE JUST AND SOLID foundations of Monarchy &c.

id est,

Justa ac solida tum Monarchiæ in genere, cum Speciatim Scoticæ fundamenta: autore Georgio Mackenzie, Regio in Scotia Advocato.

Londini apud R. Chisvvel. 1684, in 8.

CUm litium ac seditionis in Scotia ministri, ad excitandos animos plebis, libertatis & novarum rerum studiosissimæ, Buchanani librum de jure regni e tenebris iterum protraxissent, atque ut ab omnibus, quem ille solis eruditis scripsisse videri poterat, legeretur, ex Latino fecissent Anglicum; suas esse has partes Advocatus Regius putavit, ut majestatem Domini sui dicendo propugnaret, caveretque, ne Monarchomachorum veneno incautæ mentes inquinarentur. Ostendit ergo in eo, quem nominavimus, libro, neque cum naturalium legum principiis, neque cum divino jure positivo, neque cum sanctionibus Scotiæ consentire, quæ Buchananus, & eum secuti, Miltonus, Dolemannus, aliiq; persuadere satagunt; utque apertius de veritate constet, distinguit dictorum virorum asserta, quorum primum est, Monarchas Scotiæ jus imperandi habere a populo; secundum, merito ab ipsis exigi rationem administrati imperii; tertium, posse populum immutare leges pro lubitu, eundemque arma recte capere in Regem hujus libertatis hostem; quartum, populo jus esse, excluso proximo hærede ad regnum vocare quemcunque libuerit, ex universæ Regiæ familiæ multitudine. Tria priora junctim in prima libri parte convellit, postremo peculiare caput destinat. Circa illa memorato ordine procedit, ut ad triplicis juris regulas, imprimis vero ad acta Parliamentorum, de quibus apud Blackwoodium & Barclajum, qui antehac eundem Buchanani librum oppugnarunt, vix quicquam reperitur,

peritur, provocet, & ita, quæ omnibus Monarchis e natura dignitatis, quam tenent, divinaque voluntate competunt, Scotiæ quoque Regibus asserenda esse, partim apertis sanctionum verbis, partim eo argumento comprobat, quod summa potestas illa nullis Scotorum legibus limitata deprehendatur. Allegat autem sola recentiorum Parliamentorum testimonia, adeoque illis, qui Buchananum olim errantem excusant, quando nihil adhuc decretum erat, satisfacit partim objecto priscorum hæreticorum exemplo, quos non ante damnari contigit, quam suorum dogmatum venena sparsissent; partim quod potius asserta Buchanani refellere, quam Buchananum accusare sit animus. Parliamenti autoritatem non æqualem Regiæ, sed inferiorem esse, tum e legibus Scotiæ demonstrat, tum ex historiæ monumentis, ad quæ alias etiam non raro lectorem ducit; veluti cum primum Monarchomachorum assertum confutaturus, Fergusii Hiberni expeditionem describit, qua ille novos Scotiæ incolas adversus Britannos Pictosque olim defendit, & sibi jus quoddam, paterno in liberos imperio simile, regnum capiendi comparavit. Ad finem primæ partis erudite disserit, quantum liceat populo pro religione, ubi acta motuum civilium, quibus protestantes Galli, Germani, Batavi, in Romano-Catholicos gentis suæ surrexerunt, examinat, & nihil inde præsidii Monarchomachos expectare debere docet.

Pars altera evincit, populum non posse spem successionis Regiæ frustrari, neque ordinem naturæ interrumpere, quem & divinæ leges, & jus commune gentium approbaverunt. Urgetur cumprimis, potestatem Regis & Parliamenti in Scotia non esse minorem ea, qua quicunque Monarcha liberius imperans in regno suo pollet, & hinc externis Hispaniæ, Galliæ, Germaniæ exemplis firmatur dicta assertio. Respondetur deinde ad argumenta adversariorum, & maxime ad Parl. 13. Elisab. c. 2 quæ proditorem patriæ declarat, qui dixerit, Parliamento Anglicano non licere disponere pro arbitrio de successione Imperii. Regerit Autor, verba ejus constitutionis sic esse explicanda, ut ne legibus ante latis & necessariis contradicant, adeoque nihil aliud a Parliamento decerni, quam quod sit competens forum ventilandi controversias de regno litigantium. Addit, cum ea constitutio ad tuenda jura populi tendat adversus Mariam Reginam Scotiæ, quæ tum Elisabethæ casum moliri videbatur, referendam

dam esse ipsam inter statuta ad terrorem & ex terrore, non serio nec deliberato animo condita. Cæterum solent Monarchomachi Scotiæ ex historia potissimum illud opponere, quod Robertus III Davidi & Waltero fratribus majoribus natu prælatus Parliamenti autoritate fuerit. Hinc enim colligunt, eandem libertatem populo hodieque integram esse. Verum Autor noster antiquorum monumentorum fide confirmat, Robertum III fuisse liberorum omnium, quos Robertus II ex utraque conjuge suscepit, nascendi ordine primum, & eundem Robertum II priori matrimonio junctam habuisse Elisabetham Moram, Johannis, qui postmodum Roberti nomen assumsit, matrem; sed cum fœminæ conditio multum esset regia dignitate inferior, dissimulato tantisper conjugio, duxisse ad conciliandos sibi proceres Euphemiam illam, quam primam uxorem adversarii nominant, & ea demum mortua Elisabethæ suæ regios titulos ac honores indulsisse.

A DEFENCE OF THE ANTIQUITY OF THE Royal line of Scotland,

hoc est:

Vindiciæ antiquitatis Regiæ Familiæ Scotorum, Autore Georgio Mackenzio, Equite Aurato, & Advocato Regio in Scotia.

Londini, apud Richardum Chiſvvellium, 1685, in 8.

DIximus superioris anni mense Aprili (pag. 120) nonnulla de libro Reverendi maxime Viri *Wilhelmi Luddi*, Præsulis Assaphopolitani, in quo ille Presbyterianos Ecclesiæ Scoticæ antiquum regimen adversus Episcopos urgentes repressurus, omnem de Culdæis in Scotia viventibus historiam, ad quam antehac Blondellus, & non ita pridem Baxterus magna cum fiducia provocarant, falsam & male intellectam esse ostendit, Culdæos in Hibernia, antiqua Scotorum patria, fuisse probat, altiusque rem repetens, Scotos sexto demum post Christum natum seculo Scotiam inhabitasse asserit. Quod postremum, cum præsentis scripti Auctor quodammodo in universam na-

tionem, & cumprimis in familiam regiam, quod ex ejus serie XLIV Monarchæ eximantur, injurium esse putaret, prodiit in aciem adversus Luddum, & postquam in exordio ejus libri, cujus titulum exhibuimus, docere annisus est, sine causa Præsulem Historiæ Scoticæ fidem impugnasse, ut responderet argumento adversariorum, cui longe felicius alia via satisfieri queat; Scriptorum suæ gentis auctoritatem & vetustatem regni Scotici, quibus potest modis vindicat. Primum paucis disserit, cujus generis probationes Historia quævis requirat; deinde speciatim evincere laborat, optimo fundamento niti traditiones Scotorum de iis, quæ ante scriptos rerum ibi gestarum commentarios contigerunt; vetustos in gente Scotica annales extare, quorum conditores fuerint viri omni exceptione majores; capita singula Historiæ Scotorum testimoniis non Britannorum tantum, sed exterorum quoque hominum abunde confirmari, nec ab ullo unquam Criticorum aut Philologorum vocata esse in dubium; pro iisdem denique rationes probabiles, quales historiæ admittant, quamplurimas militare. Hisce omnibus propositis, adversæ partis munimina dejicienda suscipit, & ad calcem libri explicat varia jura, ob quæ ad Reges Scotiæ universum imperium insularum Britannicarum pertineat.

GUILIELMI BRIGGS OPHTHALMOGRAPHIA & Nova Visionis Theoria.

Lugd. Bat. apud Petrum van der A. 1686, in 12.

SI quis Acta Eruditorum Cal. Octobr. 1683 a nobis publicata evolvit, & Ophthalmographiæ, & novæ Visionis Theoriæ mentionem factam deprehendet, occasionem scilicet atque materiam submi-nistrantibus Transactionibus Anglicanis. Cumque Auctori non una difficultas, rationem visus concernens, objiceretur ab aliis, factum est, ut porro theoriam suam continuare, & imprimis ab objectis dubiis liberare necessum habuerit. Id vero egregie præstitisse Dominum Briggs, satis testatur ejusdem Theoriæ continuatio, quam primum quidem in Philos. Transact. num. 147 a. 1683, & postmodum ex Anglico in Latinum translatam, una cum Observatione circa visum non

non ineleganti, nunc quidem secunda vice editam deprehendimus. Non possumus tamen, quin adjiciamus Excerpta ex Epistola Medici cujusdam, quæ ad illustrandum idem argumentum facere visa sunt.

EXCERPTA EX EPISTOLA GUENELLONI Medici Amstelodamensis ad Charletonum Nobilem Anglum, die 15 Martii a. 1686 exarata, Anatomiam oculi concernentia.

Translata ex Novellis Reipubl. Litterariæ.

Amstelodamensibus, artic. VIII, mensis Martii, 1686.

RECens ille Domini Briggii de Visu liber, quem ex benevolentia tua Londino mihi missum possideo, me, ut de novo in structuram tunicæ reticularis inquirerem, obligavit.

Et postquam in sectionem oculi piscis cujusdam, qui Latino idiomate asellus major, Belgico cabeljau, & nisi fallor, apud Anglos Codde audit, incidissem, admiratione & gaudio simul correptus sum, quod oculum invenerim, in quo structura retinæ ita manifeste se prodit, ut contradicentem non patiatur.

Quam primum humor Crystallinus sublatus est, alba sub humore vitreo filamenta manifestissime diutissimeque apparent, quæ a nervo optico tanquam centro quodam plenarie in radios versus processum ciliarem assurgunt. Hoc figura tertia videtur. Remoto humore vitreo, & filamentis ea ratione, quæ schemate quarto exhibetur, dispositis, tam apte ordinata atque distincta apparent, ut attolli, & de membrana, in qua jacent, separari possint. TAB. IX. Fig. 3. sqq.

Hæc operatio facilius procedet, si aquam in partem eam disco impositam effuderis, ita ut aqua queat supernatare.

Hæc filamenta sufficienti soliditate gaudent, & sine ulla ruptione se dimoveri patiuntur. Membranæ super qua jacent, faciem extimā figura quinta sistit: separatam vero eam & infra filamenta pendentem sexta, ut adeo membrana & filamenta, res duæ in hoc animali distinctissimæ sint.

Hæc demonstratio eo majoris consequentiæ est, quo plures ho-

hominum ingenio pollentium dantur, qui, an retina sit fibrosa in terrestribus animantibus, ambigunt. Et ut verum fatear, non possum cū Domino Briggio statuere, fibras adeo, ut quidem ait, manifestas esse, sive de bovis, sive de hominis oculis loquatur. Cum attentione illos dissecui, adjunctis plurium aliarum, quas terra generat animantium, oculis: Inter alias methodum ab illo præscriptam secutus sum, bonis insuper utebar lentibus. Et ausim dicere, me adhibita omnium sensuum ope rem examinasse. Et nihilominus haud tam felici esse mihi licuit, ut fibrarum regularium ullas viderem, ne dicam in parallelismo collocatas, hac ratione uti Dominus Briggius illas supponit.

Fateor tamen, detectionem a nobis modo factam systemati ipsius admodum favere, hocque cum aliis observationibus, quas institui, junctum, hypothesin Domini Mariotti funditus subvertere, visionem opinantis in choroide fieri. Inter reticularem enim & choroidem, substantia quædam crassa & nigra reperitur, quæ universam choroidem tegit; deinde allevata hac substantia, hæc membrana mira ratione e vasculis contexta denudatur, quæ structuræ glandularis & perdensæ est. Sic dici potest, choroidem nullo modo ad visionis usum, quem Dominus Mariottus illi tribuere voluit, posse adaptari. Distinctio, quæ in oculo hoc inter membranam fibras super impositas continentem, fibrasque ipsas reperitur, Domino Briggio cogitandum dabit, an idem in animantibus terrestribus inveniatur.

Certus sum, fibras, si structura in animantibus terrestribus simili modo se habet, multo tenuiores esse debere, & Dominus Briggius laudabili officio sibi universos obstringet, si oculis interiorem retinæ hujus structuram exposuerit. Et si res alio ordine diversaque dispositione reperiuntur, nova materia iis præbebitur, qui rationem mechanicam horum filamentorum in differentibus animalibus daturi sunt. Tota structura quam asserui, in asello minore etiam reperitur, qui a Belgis Shelvis, in Anglia Haddok appellatur, &, uti videtur, illa in pluribus piscibus eadem est, quos ut examinarem nondum vacavit.

Multa præterea in piscium oculis specialia reperio, quæ multum evidentiæ aliis partibus detegendis conciliare possunt. Inter alia duæ

duæ ibi uveæ videntur, quarum altera e vasis contexta est, cujus supra mentionem fecimus, altera exterius admodum distincta, colorem argenteum refert, & pupillæ formandæ inservit.

Scrupulosiores disputatores in hac membranarum divisione mira pro cerebello suo pabula invenient, quoniam illæ multis in locis dividi possunt: & absque dubio prolixæ, unde nascantur, orientur lites inter illos, qui omnes eas ad duram & ad piam matrem referunt, quæ sententia meo judicio erronea est.

Plures autem observationes super cornea eleganter institui possunt, quæ ex tribus membranis revera distinctis constat, & quarum secunda manifeste a tertia separatur. Hæc, aliaque particularia in membrana sclerotica occurrentia, quæ hic cartilaginosa & in interstitiis suis adipe repleta est; magna distantia, quæ inter hanc & uveam externam apparet; cellulæ, quas ibi videre est; aqua, quæ complet illas; facilitas, qua nervus opticus se in oculum derelictis involucris suis insinuat; tunica conjunctiva manifeste glandulosa & infinitis tubulis perforata, pluresque aliæ curiosæ circumstantiæ me aliquando inducere poterunt, ut exactam integramque oculi historiam concinnem.

Explicatio Figurarum.

Figura III partem oculi anteriorem naturalemque retinæ situationem refert.

A pars est nervi optici.

BB oculus a parte anteriori apertus & ab humoribus suis vacuus.

CC retina cum fibris suis.

D quædam lineola perquam sensibilis, coloris subobscuri, per vas sanguiferum quod inferius recubat formata. Hoc in loco retina choroidi magis quam ulla alia in parte adhæret. Linea obliq; ad anteriora se confert.

E ingressus nervi optici, qui sub schemate ovali apparet.

Figura IV membranas oculi apertas & in plano locatas cum retina tota, ut extensa est, sistit.

A est nervus opticus.

B B B tunicæ oculi discissæ.
C C C fibræ nervi optici admodum visibiles & distinctæ, tanquam radii super retinam extensæ.
D linea.
E ingressus nervio pici.

SChema V nervum opticum a toto reliquo oculo separatum exhibet; excepta retina, quæ tantummodo a parte posteriori videtur. Sic filamenta non apparent; supponendum enim est, retinam in aqua videri.

A nervus opticus.
B B retina a parte posteriori visa.
C pars retinæ interior, super qua filamenta nervi optici sita sunt.
D parva quædam & nigra lineola, quæ oblique filamenta nervi optici constringit, ubi explicare se incipiunt.

FIgura VI nervum opticum cum retina repræsentat, cujus membrana ferme ad extremum usque soluta est, ita ut filamenta, quæ anterius erant, manifeste conspiciantur.

A nervus opticus.
B membrana soluta.
C filamenta nervi optici in aperto.
D linea obliqua.

FiguraVII oculum ad medietatem fere tunicarum suarum perpendiculariter ad axin discissum, & ab humoribus suis evacuatum exponit.

A est nervus opticus.
B retina nervo optico adhærens, & choroidi impendens.
C C choroides manifeste post nigram, qua tegitur, substantiam remotam apparens.
D linea nigra (radius niger) qua parte retina adhæret.
E secunda tunica uvea a choroide separata.

FIgura VIIIexplicatas quasdam oculi a parte postica portionesexhibet.
A est nervus opticus.
B lineola nervi optici nigra.
C uvea externa in situatione naturali.

DD pars

D D pars uveæ externæ evoluta.
E E uvea interna vel choroides visa a parte posteriori.
F F pars fundum versus spissior, & sensibiliter glandulosior.
G G pars scleroticæ anterior.

JOH. PETRI ACTOLINI, JCTI CARFIGNAnensis Resolutiones Forenses.

Genevæ, sumtibus Sam. de Tournes, 1686, in fol.

FABII CAPYCII GALEOTÆ, PATRITII NEAPOlitani Responsa Fiscalia selectiora.

Genevæ, apud eundem, 1686, in fol.

J. MARIÆ NOVARII, JCTI LUCANI, TRACtatus de Vasallorum Gravaminibus.

Tomi Tres.

Genevæ, apud J. Ant. Chouet, 1686, in fol.

STerilem satis per aliquot abhinc menses in actis nostris librorum juridicorum messem comparuisse, haud diffitemur. Nec tamen id mirum facile cuiquam videri poterit consideranti, nec frumenti singula genera æquali omnibus annis proventu succrescere. Certe etenim librorum istiusmodi recens editorum pauci satis aliquo abhinc tempore sese nobis obtulerunt, quorum quidem commemoratio lectorem valde juvare potuisset. Nunc vero largior se juridicorum etiam scriptorum seges ostendit, quâ ut in tempore demetere non sumus neglecturi; ita interim impræsentiarum trigam Jureconsultorum Italorum, dudum quidem notorum, sed de novo saltem nunc in scenam prodeuntium commemorare volumus. Ac primo quidem loco sistimus *Actolini* Resolutiones forenses variorum casuum juris, tam ecclesiastici, quam civilis & feudalis, numero 120, prout scilicet in diversis foris Italiæ decisionem receperunt: exhibitis una istorum tribunalium, ac præsertim Rotæ Romanæ ipsis decisionibus desuper editis. Secundo sistimus Responsa Fiscalia a *F. Capycio Galeota* composita, pro defensione regii patrimonii in regno Neapolitano, ac in supremis Italiæ dicasteriis reddita. Triginta solum in

uni-

universum sunt, sed, uti titulus mox innuit, selectiora, quæque multam in materia fiscali lucem accendere queant, maxime quod autorem habeant in hoc causarum genere exercitatum, ut qui in regno Neapolitano multo tempore munus Patroni fisci sustinuit. Denique comparet rursus *Novarii* tractatus de Vasallorum gravaminibus, satis certe prolixus, ut qui, ceu notum, plus quam sexcenta Vasallorum gravamina exponit: id quod tanto facilius præstare potuit autor, cum Vasalli vocem tam late acceperit, ut omnem subditum aut qui alio modo ab altero dependet, complectatur. Cæterum de trium horum librorum utilitate, contentis item, relatu alioqui dignissimis, cum dudum in eruditorum versentur manibus, dicere nil attinet: primus enim eorum jam anno 1670, & secundus anno 1643 in lucem editi, tertius quoque plus vice simplici prelo subjectus est: constat enim anno 1634 Neapoli, & 1656 Venetiis impressum prodiisse.

LIBRI NOVI

J. C. D. Caroli Antonii de Luca, Melphitensis, Praxis Judiciaria in Civilem divisa & Criminalem. Genevæ apud J. A. Chouet 1686, in fol.

Casparis Ziegleri de Episcopis eorumque juribus, privilegiis & vivendi ratione liber commentarius. Noribergæ, apud Joh. Hofman, 1686, in 4.

Don Isaaci Abarbenelis Ebræorum doctissimi Commentarius in Prophetas priores, h. e. Josuam, Judices, Librum utrumque Samuelis & Regum. Lipsiæ apud M. G. VVeidman, 1686, in fol.

D. Joh. Christoph. Herolds singulares Consultationes Forenses, sive Consilia Decisiva. Lipsiæ apud Fr. Lanckisium, 1686, in 4.

Le vray Systeme de l' Eglise & la veritable Analyse de Foy. Par le Sieur Jurieu. A Dordrecht chez Theod. Goris, 1686. in 8.

Supplementum de Scriptoribus vel scriptis Ecclesiasticis a Bellarmino omissis ad a. 1460, Collectore F. Casimiro Oudin. Paris. apud A. Dezallier, 1686, in 8.

Vita di Sisto V Pontefici Romano, scritta da Gregorio Leti. in Amsterd. pes G. & C. Jansonio a VVaesberge, 1686. in 12.

Joh. Ludov. Praschii Dissertatio de origine Germanica Latinæ linguæ. Ratisbonæ apud J. G. Hofman 1686, in 4.

Petri Petiti de Sibylla libri tres. Lipsiæ, apud Fr. Lanckisium, 1686. in 8.

Histoire de l' Eglise ecrite par Eusebe Evêque de Cesarée, traduite par M. Cousin. a Paris 1686, in 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Julii A. M DC LXXXVI.

JOHANNIS LUDOVICI PRASCHII DISSERtatio de Origine Germanica Latinæ Linguæ.

Ratisponæ, literis Joh. Georg. Hofmanni, 1686, in 4.

LAtinæ linguæ radices accurate, si quisquam, eruere hoc seculo sategit *Christianus Daumius*, Scholæ Cygneæ Rector optime meritus, & Philologus etiam apud exteros famigerabilis, in libello *de causis amissarum quarundam Latinæ Linguæ radicum, ut & multarum vocum derivatarum*, Cygneæ anno 1642 edito, & propter exemplarium raritatem omnino digno, qui denuo cum accessionibus Autoris evulgetur. Sed ante eum doctissimus Belga, *Cornelius Giselbertus Plempius in Orthographia Belgica*, quæ Amstelodami anno 1637 prodiit, præter alia id ostendit, quamplurimas Celtarum priscorum voces Latinas fuisse redditas, ducentis & triginta admodum exemplis in medium productis. Hujus vestigiis insistere jam videtur *Joh. Ludovicus Praschius*, justis alias laudibus in Actis superiorum temporum a nobis mactatus. Scripsit enim hic *Onomasticon Latino-Germanicum* (cujus editionem minatur) non ex aliis vocabulis conflatum, quam quæ sono, sensu, origineque cum Germanicis conveniunt. Est autem hæc ejus sententia sane [illegible], quam & fundamenti loco præstruit, Germanicam linguam habere instar matris, Latinam filiæ, imo Germaniam esse, quæ radices veras Latinæ Linguæ possideat; sancte etiam affirmat, se nullum hactenus vocabulum Latinum tentavisse, quin radice Teutonicum repererit. Et hoc ipsum est, quod hac dissertatione veluti præliminari ante Onomasticci jam dicti evulgationem, exponere uberius voluit. Est autem persuasissimus hic Autor, non Tuscos tantum, a quibus Germanica vocabula in Latium transierint, sed &

Gallos & Galatas, Hiſpanos, Britannos, Celtas & Scythas Germanicæ eſſe originis, nec linguam Celticam a Scythica cum Olao Rudbeckio eſſe ſecernendam; cauſam etiam quadruplicem allegat, quæ Germanicas voces in Latium detulerit, bella videlicet Celtarum cum Italis crebra, commercia, hoſpitia, & colonias partim neceſſarias, partim violentas. His nempe occaſionibus totam Germanicam factam eſſe Romam, nec ſine divino Numine hoc linguæ Germanicæ fatum vices & compagem Imperii Romano-Germanici anteceſſiſſe. Decætero oſtenſa Germanicæ linguæ cum Latina convenientia in eo, quod adjectiva utrinq; ſubſtantivis licite poſtponantur, radices aliquot, ſeu, ut ipſe vocat, ſcaturigines proponit, & ex iis voces alias qua Latinas, qua Germanicas deducit; quæ ſunt Mohn vel Mund/ Ur/ vox Belgica Aes/ Sud / Mag vel Macht/ Fur vel Feuer/ Spáh/ Mul vel Maul/ Lad/ Fonte/ Post/ Weg/ Mehl/ Fang/ Ein/ Baß/ Polß/ Fehde/ Fond/ &c. Profert deinde vocabula ex lingua Britannorum vetere Latinis conſimilia v. g. *adfein*, advena, *afais*, avis, *aur*, aurum, *avvyr*, aer, *gem*, gemma, *hvvyl*, velum, *jau*, jugum, *Llaith*, lethum, *magl*, macula, *næſe*, naſus, *or*, ora, *padell*, patella, *rhod*, rota, *ſug*, ſuccus, *tarvv*, Taurus *&c.* Subjungit etiam vocabula linguæ Suecicæ cum Latinis convenientia, v. g. (ut aliqua tantum & hic excerpamus) Aſna/ *Aſinus*, Kalck/ *calx*, ferla/ *ferula*, form/ *forma*, Kloot/ *globus*, Läpp/ *labium*, poort/ *porta*, rappa/ *rapio*, Spott/ *ſputum*, Toor/ *torridus*, Wall/ *vallis*, ankar/ *uncus &c.* His præmiſſis paulo preſſius inſiſtit viæ comparationis, & quantum hactenus viri alias doctiſſimi, Feſtus, Iſidorus, Perottus, Scaliger, Voſſius, aliique in Etymologia aberraverint, exemplis aliquot declarat. Revertitur poſtmodum ad linguam Tuſcam, eamque vocibus Germanicis principium in Italia dediſſe, pro virili ſua oſtendit. Nam *vidua* ipſi eadem eſt cum voce Witbe/ & *hiſter* vel *hiſtrio* cum Hitſcher h.e. corporis agitatore, ut alia ab eo adducta taceamus. Subjicit etiam poſtulata quædam, quibus conceſſis facile obtenturum ſe ſperat, Latinis vix ullam remanere vocem propriam; quanquam nec illud abnuit, unam eandemque nationem novas ſubinde voces ſibi fingere. Eſt autem poſtulatum ejus I iſthoc: Quæcunque vocabula Latina a probatis ſcriptoribus, a Latinis ipſis, barbara habentur, ſive ortu peregrina, & attribuuntur Celtis aut Germanis, ea pro talibus merito accipiuntur, nec

nec a lingua Græca debent repeti. II Quæ res in Germanis atque Celtis natæ vel inventæ ſunt, vel quæ ibi ſemper fuere, & neceſſario habuere nomen, earum nomina merito Germanica credimus. III Quæ vocabula radices ſuas ſimplices oſtendere poſſunt in Teutonica lingua, ſignificantes aliquid, uſitatas, & parientes derivata, compoſita, decompoſita, (ut vocant) non ſpernendo numero, ea Germanica habenda ſunt. IV Quæ vocabula cunctis populis aut dialectis Germanicis, aut multis certe, dudum cognita, ea ſimiliter Germanica putabimus. V Quæ vocabula in terris remotioribus, in receſſu Septentrionis, quo Romani aut Germani Romanenſes nunquam penetrarunt, aut infrequentius certe commearunt, pridem cognita, uſitata, vel exoleta; Germanica itidem fatenda ſunt. VI Quæ vocabula non tam civibus primariis, quam vulgo ſordido ruſticisque in ore ſunt, ea, utut Latina videantur, ſunt exiſtimanda patria. His poſtulatis, quæ exemplis ubique illuſtravit, addit id, quod Boxhornius Povello aliquando reſpondit, Germanorum ſcilicet linguam non Græcæ aut Romanæ deberi, ſed ex eadem gente tanquam matre, h.e. Scythica, prodiiſſe has nationes, & ab eadem eundem ſermonem, ſed dialecto fere tantum diſtantem, deſumpſiſſe. Addit etiam *Notas*, quibus ea, quæ tum in præfatione, tum in diſſertatione aſſeruerat, melius elucidantur; quin & *Appendicem* adjicit, in qua id contendit, quod aliquoties indicaverat, antiquarium eſſe debere in utraque lingua, qui de utraque recte judicare & origines venari velit; clarum etiam id reddit exemplis adhibitis, utque vetuſtiſſimam linguam Germanicam Latinæ fuiſſe proximam oſtendat, ſpeciminis loco affert ex MSS. Palat. abdicationem Diaboli & profeſſionem fidei, Concilio Liftinenſi A. Chriſti DCCXLIII celebrato, quod monumentum Caroli M. tempora ſuperat, & quo vix ullum in Germania vetuſtius extare creditur.

RENATUM E MYSTERIO PRINCIPIUM Philologicum, in quo vocum, ſignorum & punctorum, tum & literarum maxime ac numerorum origo, nec non novum variarum rerum ſpecimen Etymologicum propalatur; auctore Joh. Petro Erico Iſenacenſi Thuringo, Ling. & Geograph. Prof. & Correct. Publ.

Patavii, ex Typographia Seminarii, anno 1686, in 8.

PAradoxo paradoxon subjungimus. Statuit *Clarissimus Praschius*, Latinam Linguam Germanorum esse, sique postulata sibi sua, quæ attulimus, concedantur, Romam omni ex parte cingi ac premi, ut Germaniæ filiam se esse fateatur. Sed eoce παράδοξον *Erici* Germani nunc aliud! Is grande opus moliens *de omnium vocabulorum Europæorum originibus*, ea nonnisi ex Ægyptiaco & Græco fonte, tanquam prima & unica scaturigine derivare instituit; utque conatuum horum antesignanum veluti quendam præmitteret, principium hoc, ut vocat, Philologicum literario orbi examinandum propinavit. Propalavit autem mysteria hæc sua in forma dialogi, in quo *Philologus* interrogans, & *Theopranicus* respondens docensque introducitur. Sunt autem hæc ejus veluti postulata aut præsupposita, Adamum artem nominandi invenisse, qui & suum cuivis animalium nomen indiderit; ejus deinde posteros adinvenisse modum sonorum ac verborum, signa item & literas, quæ tonos ac verba significanter exprimerent; hæc in artem deinceps redacta excrevisse in figuras, linguas, scientiasque multifarias. Historiam sacram juxtim ac profanam quod attinet, Patres ævi illius sua nomina & facta ad memoriam sui conservandam astris adscripsisse; sed inventam postea fuisse *Graphicen*, cujus beneficio vel duabus Sethi columnis, quarum alteram lapideam, alteram lateritiam fuisse Josephus refert, vel aliis ejusdem materiæ monumentis inscripta hæc omnia fuerint. Probabile etiam ipsi vel maxime est, primævos homines idem cœli systema, quod Aristoteli & Ptolemæo adscribitur, agnovisse, septemque Planetis, dignissimorum septem hominum nomina imposuisse, Saturnumq; vocatum illis Adamum, Jovem Sethum, Martem Cainum, Solem Abelem, Venerem Naemam, Mercurium Tubalcain, Lunam Hevam; & quia primum sacrificium Deo acceptum arietis ab Abele fuerit oblatum, ab eodemmet primum in cœlo anni vel zodiaci signum fuisse indigitatum.

Graphices principia ut monstret; ad denotandum arietem sola ejus cornua, sicut ad figurandum taurum solum caput cornibus ornatum, ad exprimenda elementa crucem repræsentatam, & ex his cæterorum planetarum figuras efformatas esse ait. Literas deinde constructurus Adamum introducit nomina animalibus secundum sonum cujusque seu sonorum voces imponentem, & a volatilium

concentu vocales, a terrestrium strepitu consonantes semivocales, & a mutis natatilibus mutas mutuatum. Adamum postea ex animalium rugitu & grunnitu loquelæ elementa composuisse, eaque intelligibilia reddidisse; Jubalem autem, Musices inventorem, vocales jam inventas harmonice dispositisse, sonorumque differentias, quas cornu vel fistulam gradatim inflando deprehenderit, punctulis, iisq; septem ascendentib9, totidemq; descendentib9 (nam octavū sonū esse repetitionē primi) notasse. Septem itaque claves vocesq; Musicas a primis septem illis vocalibus fuisse suppeditatas, ortumq; exinde modū canendi duplicem, matutinum & vespertinum, sive durum & mollem. Cæterum cum duplex vocalium secundum Syros sit signatura, punctata & figurata, inventionem hujus Tubalcaino, illius Jubali, vel potius Setho adscribit, & primum quidem, cur puncta Hebræorum sic & non aliter formata fuerint; dein cur literæ qua Hebraicæ, qua Græcæ & Latinæ, hanc & non aliam figuram acceperint, satis audacter hariolatur, & quemadmodum mera paradoxa in toto hoc libello profert, ita asserere inter alia p. 60 non dubitat, linguarum unionem Spiritui S. non minus fuisse cordi, quam Salvatori totius humani generis a primæva labe redemtionem, quod Theologis orthodoxis examinandum relinquimus. Literarum forma exposita, declarat & numeros, & cur v. g. apud Latinos C centum, D quingenta, M mille, apud Græcos Π quinque, H centum significet, quem item numerum literæ Græcorum aliæ denotent, & unde forma Græcarum literarum enata sit, enarrat. Cabalisticæ Hebraicæ mentionem dum facit, eam in aliis quoque linguis ac numeris dari ostendit. Nam MACER JURISCONSULTUS, qui Ciceronis ætate apud Romanos erat vir valde spectabilis, κατ' ἀνάγραμμα est ipsi VOLCMARUS KIRSTENIUS, JCtus Isenacensis, & qui hodie Curiæ Romanæ præsidet, ODESCALCUS, est ΔΤΚΟΣ ΔΑΚΗΣ, h. e. *lupus mordens*, ob meritum de liberandis ab infidelium insultu Christianis, de quo & S. Malachias, Archiepiscopus Armacanus vaticinatus fuerat, quod nomen ei futurum sit: *Bellua insatiabilis*. Tacemus, quæ de Cabala non pauca affert in numeris Arithmeticis. Quod superest, uti primum, ita ultimum quoque Erici hujus effatum est, cujusque linguæ voces omnes ex uno principio originem sumsisse, & unam tantum linguam radicalem in universo mundo hodienum conservari, quod

& in opere deinceps publicando se ostensurum pollicetur. Specimînis interim loco producit Mosen. Hic ipsi videtur dictus a μοχὸς, *vitulus*, ob tuberculos in fronte ejus prominentes, unde & frater Aaron in absentia ejus ansam arripuerit, vitulum in honorem ejus exauro conflandi; videtur etiam exinde Moschorum Mexicanorum idolum *Vituli Patuli* (corrupte *Vizili puzili*) deducere. Nec obstat ipsi, quod Moses nomen ab eductione ex aquis, teste Scriptura, a Pharaonis filia sit indeptus, cum una eademque vox v. g. *Cæsar*, multis deductionibus sit obnoxia. Sic Adamus ipsi est ab ἄδημος, peregrinans, quia exul erat a Paradiso, sive peregrinus in terra; & Cainus, qui primitias frugum obtulit, ἀκεανὸς, *leguminis genus*, quod varie postea mutatum Græcis pronunciatum fuerit ὠκεανὸς, Latinis *Oceanus*, Italis & Hispanis *Oceano*, Gallis *Ocean*, Anglis *Zea*, Belgis *Zee*, Germanis *See*. Videantur exempla hujus farinæ apud autorem ipsum plura. Postremo, quia nomen *Theopranici* a T, *Philologi* a P incipit, decem Latinas a t, & bis decem a p incipientes producit, originemque illarum ex Græcia arcessit. Quod priores X attinet, *tabanus*, quod fucum significat, est ipsi a καταφανὴς h. e. qui apparet; *taberna* a ταφὴ, sepultura, *tabes* a καταφέω, h. e. sum vultu demisso; *tabula* a καταβολὴ, fundamentum; *talitrum* a σκανδάλητρον, lignum decipulæ incurvum, cui esca alligatur; *tartarus* ab ἀτάρτης, noxius; *tellus telluris*, a τηλυρὸς, cujus termini procul sunt; *tempus* per aphæresin a παραμηκόρ, fluvium trajiciens, *testis* per antistæchon a θέσις, divinus; & *titulo* ab ἀντιτολὴ, album juxta unguium radices. Quod alteras bis decem, a p incipientes, *petus* per aphæresin ab ἱππάετος, monstrosum animal ex aquila & equo; *palumbes* a παλίμπης, pedem reflectens; *papyrus* a πέπειρος, coctus a sole; *par* a παρίσι, æqualis (unde & *Pares Francia* & *urbem Parisiorum* denuncupatam conjicit;) *paradisus* a πυροδαίσιον, i. e. locus, ubi ignis; *pars partis*, ab ἀπάρτισις, verbi ἀπαρτίζω, perfectum reddo; *paucus* a ἐαυκὸς, delicatus; *pavo* ab ὀπάων, comes; *pelagus* ab ἀπλεγὴς, atrox; *pestis* ab ὑπόστασις, sedimentum, &c. Sequitur hanc decada decas Latinarum vocum altera ex Græco fonte deducta, quæ videri a lectore potest. Nimirum hæc illa Ericiani operis est promulsis, quæ an palato eruditi Orbis sese sit approbatura, magistra optima docebit experientia.

JOHAN-

JOHANNIS DANIELIS MAJORIS URATISlavienſis de Nummis Græce inſcriptis epiſtola, qua præcipue paradoxum Cl. V. Henrici Chriſtiani Henninii, ac ante ipſum Voſſii utriusque & J. C. Scaligeri, de lingua Græca non ſecundum accentus pronuncianda, ulterius orbi literato conſiderandum committitur, cum appendice de ſuſpecta Jotorum ſubſcriptione.

Kiliæ Holsatorum, apud Joh. Sebast. Richelium anno 1685, in 4.

AT nondum paradoxa retulimus omnia, judicio eruditi orbis non ita pridem exposita. Recensita a nobis est mense Aprili superioris anni p. 147 & seqq. *Henrici Christiani Henninii* dissertatio paradoxa de lingua Græca secundum accentus non pronuncianda. In hanc cum forte fortuna incidisset *Johannes Daniel Major*, Medicus Kilionensis Academiæ primicerius, & antiquarius non incelebris, dici vix potest, in quantum & sibi & universæ Reip. literariæ fuerit gratulatus. Toto enim animo discedit in Henninii sententiam, nec inutiles tantum ac inficetos accentuum Græcorum vocat apices, qui ferramentorum ac trabium instar antiquis ruderibus implexi fuerint, sed & magnopere dolet, voces Græcas in pronunciatione contra naturam suarum vocalium per accentus, de quibus ne γρὺ quidem antiqua Græcia cum Demosthene aut Isocrate sciverit, ad genus modulationis plane insipidum fuisse detortas, quin & sibi non minus, quam tot Nummographis aliis, *Huberto* inprimis *Golzio*, & *Johanni Vaillant*, qui tot millia nummorum Græcorum & manibus palparint, & oculis viderint, indignatur, quod ante Henninium, Vossios, & Scaligerum in tanta evidentiæ luce in tantum cœcutiverint; cumque ingentem nummorum id genus veterum & ipse possideat supellectilem, ex istis quoque Henninii sententiam it confirmatum. Nam & illis nihil accentuum Græcorum est adjectum; quemadmodum & Jacobus Sponius, Medicus Lugdunensis, (cujus immaturum obitum merito docti omnes dolent,) qui in Italiam, Dalmatiam,

Græ-

Græciam, Asiam minorem, & Orientem exspatiatus Inscriptiones ubique fide dignas collegit, attestatur, quod in plerisque marmoribus & saxis verba Græca citra ullam accentuum appositionem offenderit. Invehitur itaque in Grammaticos Major experientissimus, quod, cum voces Græcæ sine ullo apicum id genus appositorum auxilio juxta vocalium suarum naturam pronunciari debuissent, fictis accentibus vim maximam syllabis in pronunciatione intulerint, eas natura vel positione longas v. g. in vocibus ἄνθρωπος & τέτυπται corripiendo; probatque insimul verba J. Cæs. Scaligeri in de causis L. L. scribentis, *accentuum cantillationem ridiculam non natura, sed usu quodam gesticulatorio constare*; & quamvis non diffiteatur, accentus in quibusdam Nummis Romanis Græce inscriptis, ut & in inconditis quibusdam, ut vocat Henninius, v. g. Gothorum, Slavorum, & Danorum reperiri, obliquum tamen recti judicem non esse debere ait; pseudographa etiam antiqui temporis, non eruditis, sed artificibus esse adscribenda. His & aliis commentarii vicem dissertationi Cl. Henninii jam dictæ attextis concludit tandem, aut rejiciendos iterum esse accentus, aut aliter, pro natura scilicet vocalium brevium aut longarum, ac positione esse collocandos; addit etiam duo postscripta, ut vocat, quorum in primo Isaaci Vossii sententiam de accentibus Græcorum, in altero patris Joh. Gerhardi Vossii verba ex Aristarcho ad eandem rem facientia adduxit.

Et hactenus quidem ea tantum approbavit confirmavitque Major, quæ post Scaligerum & Vossium Henninius de pronunciandа absq; accentibus Græca lingua scripserat. Nunc de suo aliquid addit, idque & ipsum in Grammaticorum scholis παράδοξον, appendicem videlicet de Jotorum subscriptione suspecta, eorumque ex nummis præsertim veterum Græcorum perpetuo exilio. Nimirum ostenso velut in vestibulo, loca quædam sacræ scripturæ absque rei nummariæ notitia non intelligi satis recte aut explicari posse, asserere non veretur, suppositum illud punctum, quod Jota subscriptum dicitur, ex Græcia non minus, quam accentus, esse eliminandum, quia neq; Dativi Græci in α, η vel ω finientes, neq; secunda præsentis passivi τύπτῃ pro τύπτεσαι, aut huic similes, neque contracta tam

tam nomina quam verba, (qualia sunt ἐπῳδός, παρῳδή, ζῶμεν, ζῶσι, ζῶν,) aut vocabula quævis alia, quæ jota alias juxta censum vulgarem admittunt, habeant Jota subscriptū aliquod in nummis antiquis (quorū aliquot ex Nummographis producit) cumq; præsidiū aliquod Jotistis in eo esse videatur, quod non paucæ Inscriptiones extēt jota finale præ se ferentes; cujusmodi & ex Cupero, Reinesio, ac Sponio afferuntur, constanter tamen statuit, *nullum exemplum ullius Jota subscripti ex ullo fide digno monumento antiquitatis facile, omnium minime ex nummis antiquis Græcis, aut aliarum gentium, Hellenismo utcunque adhuc vigente percussis, adduci posse.* Quamvis enim lateralis Jotorum ad vocales quasdam adscriptio in cippis & tabulis majuscule inscriptis, posterioribus seculis propagata ad nos fuerit, negat tamen exinde consequi, quod adscriptio ista primitivæ ullius subscriptionis vicaria, aut coæva eidem extiterit. Nam primo nullum autorem classicum, vel antiquissimo ævo, adeo eleganter, distincte & pure membranæ fuisse inscriptum, quin ob valde discrepantem olim Transcriptorum aptitudinem & diligentiam variæ in eo lectiones enatæ fuerint; nec aliter de Inscriptionibus ex veteri aliquo saxo vel tabula deductis sentiendum. Secundo deprehendi mirificam inscriptionum quarundam, ratione positionis Jotorum, inconstantiam; in una siquidem inscriptione Jota uni Dativo additum, alteri minus sit adjectum. Tertio jota ipsum non eodem semper modo fuisse scriptum, sed jam consueta ac vetusta figura, jam instar inversi in altum commatis, jam in forma puncti lateralis. Quarto veteres viatores ad locorum interdum inscriptiones delatos, modum in describendis illis eum, ad quem in juventute manuducti a præceptoribus Græculis fuerint, retinere. Quinto nec scriptores priscos ab imperitiæ reatu omnimodis absolvendos, quippe qui grandia interdum errata, qualia Reinesius in præfatione operi inscriptionum præmissa annotavit, commiserint. Hisce contra Jotistas diphthongificos, ut vocat, prolatis ob argumenti affinitatem & aliquid addit de *apostrophis*, qui tanquam signa aut notæ rejectæ vocalis ad latera literarum hodieque apponuntur, eosque non minus, quam accentus, & jotorum adscriptionem, novitiæ inventionis accusat, quia & isti in nummis Græcorum veteribus non visantur; ut & *de spiritu aspero & leni*; nam & hos in nummis, quorum aliquot exempla

profert, non fuisse expressos demonstrat. Subnectit etiam & huic epistolæ sive appendici *Postscriptum* aliquod, inque eo non schema tantum triginta & duarum diametrorum, quibus totidem magnitudines Numismatum orbicularium suorum denotantur, sed & seriem dissertationum suarum Nummographicarum tam editarum, quam adhuc edendarum exhibet. Edidit autem Vir clarissimus præter duas hasce epistolas, quarum prima Viro summe reverendo *Johanni Dieckmanno*, Superintedenti in Bremensi ac Verdensi Ducatibus Generali, altera *Johanni Hudemanno*, pastori Ecclesiæ Botfletanæ in districtu Regio Gluckstadiensi primario, inscripta est, I *de nummis Rhedigerianis desiderium*, II de *nummo Regis Oddonis* (Saxonici) *conjecturam*, III *Romæ in Nummis Augustalibus Germanizantis partem priorem*, & IV *de Nummorum ærugine consultationem epistolicam* ad illustrem virum Ezech. Spanhemium; quæ scripta quatuor intra triennium, ab anno nempe 1681, usque ad 1684, Kiliæ Holsatorum prodierunt. Hæc deincipe tempore excipiet, prout ipse Autor in fine indicat, *Romæ in Nummis Augustalibus Germanizantis pars posterior*, ut & *Monstri larvati, in Sarda sculpti*, *consideratio*; quæ duo scripta & avide a rei nummariæ & antiquariæ amasiis jam expectantur.

HISTOIRE DE FRANCE DEPUIS FARAmond jusqu' au regne de Louis le Juste, par le Sieur F. de Mezeray, &c.

sive,

Franc. de Mezeray Historia Franciæ a Pharamundo usque ad regnum Ludovici Justi.

Tomi tres.

Parisiis, apud Dionys. Thierry, Joh. Guignard & Claud. Barbin, 1686, in fol.

Prostat Lipsiæ, apud Gleditschium.

UTi novum Gallicæ historiæ systema mense proximo pag. Actorum 313 commemoravimus a Domino de Cordemoy conditum, ita non

non possumus quin recentem hanc ejusdem gentis historiæ editionem nunc indicemus, a Francisco Mezeraio Consiliario Regio ac Historiographo Franciæ ordinario quondam concinnatæ. Notum est quanto liber hic in pretio haberi soleat, cum non tantum ea, quæ ab aliis perhibita historicis reperiuntur, succincta methodo & congrua serie exhibeat, sed & insuper, quod plerique scriptores antehac neglexerant, Reginarum Galliæ vitas breviter descriptas, ut alia taceamus, contineat. Præterea Autor id egit, ut non animos tantum legentium, sed & oculos intuentium oblectaret: hinc effigies Regum, Reginarumque, ut & Delphinorum plurimorum affabre deligum, Reginarumque, ut & Delphinorum plurimorum affabre delineatas adjicere sategit, ac tales quidem, quæ non in cerebro forte pictoris, ut plerumque fieri adsolet, ad delectandos modo aut deludendos potius simpliciorum oculos natæ, sed ex archetypis fide dignis erutæ dici possent; quamobrem etiam cuilibet fere imagini additum reperitur, cuinam loco aut monumento ejusdem communicatio accepta ferenda sit. Ut adeo non actiones solum Regum ex discursu autoris, sed & innatus eorundem genius quodammodo expictura physiognomis patere queant. Numismata quoque a Regibus cusa locis congruis delineata inseruntur plusquam octingenta, una cum dilucida singulorum explicatione. In nova nunc hac editione ab Autore ipso magno cum studio recognita & plurimis in locis adaucta accesit Volumen de Origine Francorum, in quo, post Germaniæ antiquæ statum accurate descriptum, res in ea a Julii Cæsaris tempore ad annum usque Christi 420, quo Francicum Regnum conditum perhibetur, gestæ secundum seriem Romanorum Imperatorum studiose ex optimis quibusque scriptoribus enarrantur. Statuerat Autor, uti ex præmisso regis privilegio apparet, tribus hactenus extantibus quartum Volumen addere, expositurum ea, quæ a pacificatione Vervinensi, ubi historia hæc desinit, ad hæc usque tempora contigerunt. Sed cum nihil de eo in hac editione compareat, periculum est ne a morte, ipsum præveniente, manum operi huic admovere, aut eandem certe ultimam ipsi imponere fuerit præpeditus.

CLEMENTIS GALANI, SURRENTINI, Clerici Regularis Theologi, & S. Sedis Apostolicæ ad Armenos Missionarii, HISTORIA ARMENA, Ecclesiastica & Politica, nunc primum in Germania excusa &c.

Coloniæ, anno 1686, in 8.

QUo diligentius auctor res Armenorum complexus esse censetur apud Romanæ religionis homines, eo pressius fidem ejus sequuti sunt alii, inter quos præcipuus est Cardinalis Bona in Rerum Liturgicarum libris. Quia vero opus Galani historicum non seorsim hactenus prodierat, sed grandi volumini de Conciliatione Ecclesiæ Armenæ cum Romana anno 1650 Romæ edito inserta reperiebatur, Bibliopola industrius (ut in nova præfatione libro præmissa legitur) copiam ejusdem aliis historiarum, præsertim exoticarum, cultoribus liberaliter facere instituit. In dicto autem Prologo utiliras scripti hujus prolixius commonstratur, quod faciat ad augmentum historiæ synodorum, quum in eo recenseantur synodi Manaschiertensis, Theuensis, & Tarsensis, in quibus decreta decretis contraria, fixa & refixa, aliaque notabilia reperiantur: tum Concilium Charnense, Sisense, & Adanense, nec non certamina ob Concilium Chalcedonense, quæ totum orbem & Ecclesias etiam Armenas concusserunt, prolixe describantur. Additur ea non minus historiæ Ecclesiasticæ conducere, quæ de schismate Armenorum eorumque hodienum durante pertinacia ibi contineantur. Ad Politicam etiam historiam illustrandam pertinere, quæ apud alios scriptores haud obvia proferat Galanus de Iberis & Colchis, sive Georgianis, de ipsorum odio, quo adversus Armenos flagrant &c. Præcipue autem commendatur ipse Galanus, ut testis αὐτοπτης, qui duodecim annorum spatio in Armenia versatus linguam Latinis asperam & difficilem addidicerit, & scriptores apud Armenos primarios sequutus fuerit, laudans præcipue antiquissimum & immensum librum narrationum *Giarrentir* Armenis vocatum, quem Romæ excusum maxime desideraverunt novi editores, sed amicos in Italia negasse referunt,

runt, eum vel in ipsa urbe uspiam esse parabilem. Nec tamen se destitisse aurem iisdem nuperrime velicare, ut accuratius inquirerent. Spem proinde faciunt, ut quum opus hoc Armenicum impetraverint, vel integrum, vel pars saltem in supplementum historiæ Galani prelo subjiciatur. Posthæc Præfatio ipsius Galani sequitur, qui refert, se historiam Armenam texere secundum seriem Patriarcharum Armenorum ex anonymi libro depromptam, qui cum cæteris Armenorum traditionibus & Codicibus exacte consentiat &c. Librum illum Armenicum in Latinum transtulit Galanus, & copiosis annotationibus illustravit a capite primo usque ad trigesimum & ultimum, quo de progressibus Fratrum Prædicatorum in reducendis ad Catholicam fidem Armeniis egit. Recensentur autem in Armenico scripto LXXIV Patriarchæ, a prædicationis Evangelicæ initio usque ad Concilium Adanense, quod A. C. 1316 habitum esse dicitur. In fine Operis subnectitur Index rerum potissimarum, quas in Annotationibus præcipue persequitur Galanus, unde earum cognitionem facile petent lectores curiosi, quibus instituti nostri memores judicium de toto hoc opere ferendum libenter relinquimus, neutiquam tamen dissimulantes, plurima in Annotationibus commemoraria Galano, quæ sive antiquæ historiæ fidem pulsant, sive unionem Armeniorum cum Latinis nimium extollunt, & a prudentioribus hodie Pontificiis communi consensu rejiciuntur.

CAROLI ANTONII DE LUCA, MELPHItensis, Praxis Judiciaria, in Civilem divisa & Criminalem.

Genevæ, apud Joh. Ant. Chouet, 1686, in fol.

NOn errabimus forte, si præter autoris nomen parum aut nihil novi hoc libro exhiberi dixerimus. Præterquam enim quod post tot in hoc genere scriptores haud facile quid dici potest, quod non multoties jam dictum fuerit prius: ipse mox operis titulus indicat, id medullam solum & succum propinare Marantæ, Vestrii, Muscatelli, Ridolphini, Farinacii, Guazzini, Ambrosini, Chartarii

aliorumque tam veterum, quam recentissimorum scriptorum. Ac certe ex perlectione apparet, autorem id inprimis egisse, ut in qualibet materia occurrentes optimas quasque quæstiones ex prædictis Jurisconsultis petitas, ac ab iisdem decisas colligeret, & in gratiam causidicorum ac jus dicentium in aliqualem redactas ordinem exponeret. Non omisit etiam passim formulas addere in quavis actione & judicii parte adhiberi solitas novissime; in tribunalibus tamen Italiæ maxime, quorum etiam stylum liber hic undique sapere videtur.

COMMENTARIUS THEORETICO-PRACTICUS in quatuor libros Institutionum, opera Ernesti Theophili Majeri, Crusiani.

II. J. D.

Tubingæ, Anno 1686, in 4.

INstitutionum Libros, in quibus prima legum rudimenta discendi cupidæ Juventuti Imperator exponi curavit, infinita fere doctorũ multitudo commentariis varia methodo adornatis explicare hactenus aggressus est. Sunt, quibus curæ fuit textuum singulos paragraphos interpretari, obscurius dicta declarando, & quæ illis asserta sunt, conciliando cum legibus Digestorum & Codicis; alii singula argumenta ordine disciplinari pertractarunt; alii denique nucleum rejecto cortice exhibituri, universum hoc opus Elementorum Juris Romani redegerunt in regulas. Sed uti nihil toties dictum est, quin absque tædio sæpius repeti queat, si vel adjiciatur aliquid, vel nova forma novusque habitus accommodetur; ita clarissimum Majerum a proposito Institutiones Imperatorias annotationibus illustrandi vastus scribentium numerus, qui idem ante ipsum tentarunt, haudquaquam deterrere debuit. Sane illorum omnium, qui vel systematice vel analytice commentati sunt, nullus materias Institutionum secundum genera causarum tradidit, cum tamen ea methodus docentium laborem juvet, discentiumque captui maxime sit apta. Id ergo doctissimus Vir non sine spe publici emolumenti ad rem litterariam redundaturi nunc effecit. Præterea plurimorum in

in eo vicit industriam, quod e probatis & recentioribus imprimis scriptoribus Juris, notatu digna undique collegit, & in certos ordines digessit, ut inde magno laborum compendio depromi queant.

D. JOH. CHRISTOPH. HEROLDI, POTENTISS. Electori Brandenb. a Consiliis Status, Aulæ, Justitiæ, Consistorii, Finium & Foresto-Venatoriis in Regimine Ducatus Magdeburgensis, Consilia Decisiva.

Lipsiæ, Sumtibus Frid. Lanckisii, 1686, in 4.

REcentem hic lectori sistimus casuum juridicorum, consiliis Jurisprudentum decisorum syllogen, non dubitantes, quin applausum eorum, quibus hæc studia cordi sunt, facile sit impetratura, cum non Autoris solum meritis, sed & intrinseca sui bonitate semet commendet. Nam Autor quidem, ne de plurimis iisque amplissimis, quibus nunc fulget, muneribus dicamus, jam per triginta annos, ut ipse profitetur, Ictorum collegiis consulendo & de jure respondendo interfuit, ut adeo ab ipso certe proletarii nihil expectari queat. Opus vero ipsum quod concernit, constat id decisionibus quinquaginta, casuum sane non ubivis obviorum, in quibus ea servata est methodus, ut præmissa brevibus facti specie, quæstio quælibet secundum rationes tam dubitandi quam decidendi sufficienter & quandoque prolixe satis pertractetur, ac tandem sententiis Collegiorum Juridicorum ad verbum exhibitis, & nonnunquam plus quam uno in loco latis, definita corroboretur. Speciminis loco decisionum harum nonnullas, ex quibus de reliquis judicium fieri poterit, per compendium commemorabimus. *Consilio I* decisum legitur: exercitium juris patronatus in prædio, cujus usufructus alteri precario & ad alimenta concessus est, non ad usufructuarium spectare, sed ad proprietarium. *Cons. V*: Jus nominandi & vocandi ministrum ecclesiæ bene a jure patronatus abesse, & alii quam patrono competere posse. *Cons. VIII*: Ex possessione defuncti in rebus quidem corporalibus non competere heredibus manutentionem absque nova apprehensione; bene

bene tamen in incorporalibus. *Conf. X*: Usufructuarium sylvæ etiam grandiores arbores cædere & earum ligna vendere posse, dummodo id faciat juxta arbitrium boni patris familias. *Conf. XIII*: Possessores prædiorum, de quibus pensio annua promobilis, ein Gefahr oder Rutzscher-Zinß / solvitur, non teneri literas investituræ petere, nec laudemium solvere, sive dominus fuerit mutatus, sive possessor. *Conf. XV*: Ecclesiæ Metropolitanæ contra gesta aut concessa a capitulo competere non saltem condictionem indebiti & sine causa, sed & restitutionem ex capite erroris & quasi minorennitatis. *Conf. XXIII*: Statutum disponens, ut Dominus Vasalli sine heredibus masculis decedentis filias ex feudo caduco dotet, non extendi ad eum casum, si nubat filia Vasalli jam decrepiti, per cujus mortem feudum demum caducum est futurum. *Conf. XXIV*: Debitum a primo acquirente ratione feudi transigendo contractum haberi quasi in rem scriptum, adeoque non ab allodialibus, sed feudalibus heredibus exsolvendum esse. *Conf. XXV*: Pactum matris sponsæ super ejus Gerada successorium, non impedire liberam sponsæ inter vivos de Gerada dispositionem. *Conf. XXVII*: Venditionem Geradæ imaginariam animo donandi inter virum & uxorem celebratam, non minus quam ejus donationem inter matrem & filios minus solenniter peractam, in præjudicium cognatarum subsistere. *Consil. XXX*: Creditorem immissū in redditione rationum jurata adstrictum non esse ad consueta in juramentis fatalia. *Consil. XXXVI*: Juratam specificationem de jure quoque Saxonico communi æque impedire confusionem actionum ac solenne inventarium, etiam post quinquennium separationis a die immixtionis elapsum. *Consil. XL*: Non omne compascuum pro mutuo precario habendum esse; sed dari etiam compascuum irrevocabile ex jure servitutis vel consuetudinis. *Conf. XLI*: Dominum feudi caduci, vel qui ab eo causam habet, non teneri ad patiendam servitutem pascendi, quam demortuus Vasallus etiam per tempus præscriptum fundo feudali imponi passus est. Atque hæc quidem attulisse sufficiat, ex quibus abunde apparet, in Decisionibus his non materias solum juris civilis aut feudalis, sed ecclesiastici etiam & Saxonici pertractari. De cætero cum plura hujus generis & his, ut ait, meliora in autographis suis adhuc delitescentia cum tempore nos expectare jubeat Consultissimus Autor, non possumus quin publico

blico eundem rogemus nomine, ut promissi fidem quam primum liberare satagat, vitam ipsi, vires & otium a dhoc ex animo precati.

JOHANNES LAUNOJUS, THEOLOGUS Parisiensis, Testis & Confessor Veritatis Evangelico-Catholicæ adversus Bellarminum & alios Sedis R. defensores egregius & luculentus, nunc post obitum contra nonnullos Pontificios vindicatus opera & studio D. Antonii Reiseri, Augustani, Pastoris Hamburgensis.

Amstelodami, apud Jansonio-Waesbergios, 1685, in 4.

GRavior, inquit Seneca, testis esse solet, qui a reo surgit. Exemplo esse potest Johannes Launojus, Vir (ex elogio Ægidii Menagii) doctissimus, humanissimus, & inter Theologos Parisienses (nam talem esse Launojum, nevel ipse livor negaverit,) celeberrimus, productus hic e media Pontificiorum phalange contra Romanam Ecclesiam, præcipuumque ejus promachum Bellarminum. Videns nimirum Autor doctissimus, quam Ecclesiæ profuerit labor suus haud dissimilis, quem olim in Thoma Aquinate, confessore Veritatis Evangelicæ a B. Dorscheo exhibito, & a se vindicato; & recentius in Augustino, teste fidei nostræ orthodoxæ in lucem publicam emisso, utiliter non minus quam erudite adhibuit; post hos, alterum e prioribus seculis, alterum e media ætate, Duum-Viros, nunc e nostra Launojum producere, & per testem, qui ab ipsa rea R. Ecclesia surgeret, veritatem comprobare voluit. Præstat autem id per unum & sexaginta capita, in quibus 1 thesin Bellarmini, & 2 antithesin Launoji clare adducit, subjungens suas deinde annotationes, titulo appendicum aut additionum usus; imo vindicans Launojum non raro contra adversarios domesticos Christianum Lupum Lovanienſem, Immanualem a Schelstrate Antwerpiensem, Natalem Alexandrum Paris. Dominicum Galesium & Francisc. Marchesium Romanos; aut si occasio tulit, digressus etiam longius, ad dissertationes eruditissimas de materiis cognatis; quod inprimis fecit

cit p. 132. seqq. & p. 431. seqq. Utinam vero diutius vixisset Autor non minus doctissimus quam diligentissimus, ut hos aliosque labores suos utilissimos continuare absolvereque potuisset! Nos qui mortem ejus beatam, sed immaturam acerbe lugemus, huic ejus elogio elogium ipsius etiam Launoji, quod nuper accepimus, proxime subjicimus.

JOH. LAUNOJI PARISIENSIS THEOLOGI Elogium; una cum ejusdem Notationibus in Censuram duarum Propositionum A. A. D. S.

Londini, A. 1685, in 8.

AUtor hujus elogii est anonymus, teste vero ejus editore in præfatione Launojo amicitia conjunctissimus, cujus ut mores omnes perspectos habuit, ita singula ipsius vitæ momenta & mutationes perfecte novit. Describit autem ille Launojum nobis, si de natalibus quæras, tanquam obscurum, natum nimirum in obscuro agri Constantiensis vico, ne patriæ quidem aut parentum nominibus expressis; si ad eruditionem ejus & merita respicias, tanquam celebrem & cordatum valde Theologum. Postquam enim Parisiis Doctoris Theologi titulum assumserat, sacris literis tanta cum cura incubuit, ut ne officium quidem, quod ipsi potuisset impedimento esse, acceptare voluerit; tantaque libertate libros non paucos scripsit, ut quamplurimi fidei ejus consanguinei haud leviter offenderentur. Catalogus eorum tum seorsim impressus extat, tum huic Elogio insertus, & maximam quidem partem p. 23. reperitur. Per compendium vero tum amorem tum odium, quo diversi viventem mortuumque sunt prosecuti, intelligis ex iis, quæ de Epitaphio ejus pag. 36. seqq. narrantur. Epitaphium ipsum hoc est: *D. O. M. Hic jacet Launojus Constantiensis, Parisiensis Theologus: Qui veritatis assertor perpetuus, furium Ecclesiæ & Regis acerrimus vindex, vitam innoxiam exegit: Opes neglexit, & quantulumcunque, ut reliturus, satis habuit: Multa scripsit nulla spe, nullo timore: Optimam famam maximamque venerationem apud probos adeptus. Annum septimum & septuagesimum excessit; Animam Christo consignavit d. 10. Mart.*

Mart. A. 1678. Hoc monumentum Amico jucundissimo poni curavit Nicolaus le Camus, supremæ subsidiorum Curiæ princeps. Quanto vero amore hic Vir Illustrissimus cum aliis nonnullis ipsum complexus est, tantum aliorum post fata etiam odium in ipsum fuit; ne monachis quidem illis, quos Minimos vocant, exceptis, tametsi ducentos illis nummos aureos, Ritualia sua omnia, & mediam reliquorum librorum partem legasset. Nam frustra petiit ab ipsis Camusius locum pro Epitaphio, frustra pro ullo apice, quo Launoji nomen commendaretur. Vid. pag. 38. Notationes, quæ alteram tituli partem faciunt, conscriptæ ab ipso sunt in Censuram duarum Antonii Arnaldi, Doctoris Sorbonici, propositionum, quarum una facti (contra infallibilitatem Papæ in quæstionibus de facto) altera juris (de defectu gratiæ divinæ in lapsu Petri,) appellatur. Has Censuras demonstrat ille frivolas plane atque iniquas esse, ita quidem, ut augmentum inde Launoji Confessoris Reiseriani facile peti possit; e. g. quando expresse pag. 86. asserit, Romanum Pontificem in quæstionibus etiam de jure errare posse, &c. Sed de his similibusque ejus effatis, post mortem B. Reiseri, viderint alii.

HISTOIRE DU PONTIFICAT DE S. Gregoire le Grand, par Mons. Maimbourg.

id est:

Ludovici Maimburgii Historia Pontificatus S. Gregorii Magni.

Ad exemplar Parisiense Claud. Barbini, 1686, in 12.

CUrsum suum finiturus, ut scribit Autor, post editos, quos recenset, historiarum libros, hunc exhibet, pulcherrimam, ut ait, Historiæ Pontificum partem repræsentantem: in hac enim effulgere veram Pontificatus majestatem, circa totam gubernationem & disciplinam Ecclesiæ, & quicquid in Imperio Romano, *orientis & occidentis*, ut & in Gallia, Britannia, Hispania & Africa,

dignum obſervatione, & ad perfectum officii & morum exemplum, quod omnium ordinum Chriſtiani, maxime vero Epiſcopi & Pontifices ſequi debeant, geſtum fuerit. Habituros igitur Prælatos Eccleſiæ veluti ſpeculum, in quo & virtutes, typo iſti ſimiles, & defectus, ſi quos habeant, deprehendant. Abſolvitur autem hiſtoria iſta *libris quatuor*. In primo præmittitur brevis deſcriptio, quam miſero ſtatu res Italiæ & Romæ fuerint ſub finem *ſeculi ſexti:* ipſius dein Gregorii genus, ſtudia, officia, dignitates, ut & anno 586 collatus invito Pontificatus memorantur. Electionem vero Pontificum eo tempore diverſo a veteri obſervantia modo peractam fuiſſe notat Autor, nondum reperto conclavium uſu, quo factum eſſe ait, ut S. Sedes diutius ſæpe, quam expediret Eccleſiæ, vacua manſerit, & factionibus inter eligentes certatum fuerit: neque tacet, Imperatorum conſenſum neceſſarium tunc fuiſſe, antequam Electus conſecraretur, eosque in poſſeſſione juris iſtius ultra ſexcentos poſthac annos manſiſſe, donec *Gregorius VII* ſpoliare illo Henricum IV. Imp. aggreſſus eſt. Electus Gregorius, peſtis avertendæ cauſa proceſſiones ad Litanias cantandas inſtituit, non ſine aliquo, ut narratur, mali levamento: dubitat tamen Maimburgius de apparitione Angeli (quam alii tradidere) gladium in vaginam recondentis, unde caſtello S. Angeli nomen ortum ſit; quanquam verum eſſe exiſtimat, quod Gregorius ex ſede Pontificali clam ſe ſubducens miraculoſo ſigno in ſylva ubi latitabat, repertus fuerit. Librum inde Gregorii *de Cura Paſtorali* ſub initium pontificatus conſcriptum commendat, in quo, ut ante eum *Auguſtinus* & poſtea *Bernardus* fecerint, dominatus Prælatorum condemnetur, & oſtendatur officium eorum, ex præſcripto Chriſti & Apoſtolorum, non eſſe niſi *humile, laborioſum & Eccleſiæ proficuum miniſterium*. Hoc cum agnoſceret Gregorius, titulum *Servi Servorum* ſumſiſſe, *quia filius hominis ipſe non venit miniſtrari, ſed miniſtrare*. Inſeritur poſtea narratio de duobus, qui eodem tempore Patriarchæ titulum Antiochiæ gerebant, eaque occaſione explicatur, quo jure duo ante annos quadraginta Epiſcopatum *Leonenſem* in Gallia Aremorica habuerint, non violato canone primo concilii Niceni; uno nempe ſedem ipſam, altero jus & titulum tenente. Agit inde de famoſa illa cauſa *trium ca-*

capitulorum, & de *Concilio Quinto*, & quomodo Gregorii prudentia ſchiſma, quod annos centum Eccleſiam vexaverat, finitum fuerit. Laudat inter alia, quod diſſentientibus permiſerit Gregorius, ut tuti Romam venirent, & regrederentur, ſtatuitque, etiam hæreticis inviolabiliter ſervari debere promiſſa, modo ipſi conditionibus adjectis non contraveniant; quod cum in concilio Conſtantienſi non feciſſe dicat Huſſum & Hieronymum Pragenſem, merito putat punitos eſſe. Relatis poſtmodum quæ Gregorius pro convertendis in Africa *Donatiſtarum* reliquiis haud magno ſucceſſu fecerit, gaudium illius memorat, cum *Recaredus* Hiſpaniæ Rex, ſubditos ſuos ab Arianiſmo ad fidem Catholicam reduxit, & ſedi Romanæ obedientiam pollicitus fuit, anno Chriſti 589. Cum vero Gregorius in epiſtola ad *Recaredum* inter alia induſtriam ejus in cauſa religionis valde extollat, hac quoque occaſione, ut multis in hoc libro aliis, ita utitur Maimburgius, ut in laudes eorum quos demereri vult, excurrere, aut ad alias materias & epicriſes digredi queat. Itaque Regem ſuum encomio inſigni mactat, quod, ut ſcribit, ex una parte, errantibus circa religionem ſubditis ſuis libertatem in regno ſuo permittat, quam Principes Lutherani & Calviniani in ſuis ditionibus non concedant Catholicis; ex altera vero, juſtitiam adminiſtrans auferat, quæ contra Edicta uſurpaverint; *maxime vero quod zelo & charitate ſua eos validiſſime movere, pluresque brevi tempore in Eccleſiam Catholicam reducere noverit, quam Prædeceſſores ejus, imo & prædicatores & ſcriptores controverſiarum integro ſeculo præſtiterint; Regi itaque prærogativam in extremo olim judicio tribuit, in quo tanto Calviniſtarum converſorum numero comitatus comparaturus ſit.* Eadem induſtria, ubi Gregorii exemplum, qui ipſe homilias ad populum, tot licet curis & occupationibus diſtractus, habere ſolebat, Pontificibus & Epiſcopis propoſuit, anſam ſumit illuſtriſſimi Archiepiſcopi Pariſienſis *Franciſci Harlæi* ingentes dotes commendandi, qui, ut refert, habitis publice doctorum virorum colloquiis, ipſe plus Gregorio præſtans, dicta cæterorum omnium, cum ſummo judicio & eloquentia examinaverit, & quæ probanda & præferenda erant, ſeligere & confirmare noverit. Laudat Gregorium, quod ex more jam tum recepto Regibus munuſcula aurea conſecrata, reliquias Sanctorum & phylacteria, Evangelii nimirum

S. Johannis principium, chartæ inſcriptum & thecis pretioſis ſic incluſum, collo appendenda miſerit; ſic enim paganorum morem correxiſſe, qui ſchedulis utebantur, quibus carmina faſcinatoria inſcribi ſolebant. Non improbat, quod invito Imperatore, quem tamen pro Domino ſuo, cui parendum eſſet, agnoſcebat, pacem cum Longobardis fecerit, eaque urbem Romam ab exitio ſervaverit; dein quod edixerit, ut clerici omnes, ſi vis hoſtilis ingruat, absque ulla exemtione, ad cuſtodiam urbium militibus & civibus jungerentur.

Libro ſecundo Mauritium Imperatorem debita non fraudat laude Autor, etſi a *Johanne Diacono*, qui trecentos poſt annos hiſtoriam Gregorii ſcripſit (quæ Manuſcripta in membrana extat in Paulina noſtra) vehementer culpatum; officium enim hiſtorici eſſe agnoſcit, affectibus moderari, nec *Legendarum* concinnatoribus ſimilem fieri, qui ſanctos viros in omnibus, quæ fecerunt, irreprehenſibiles fingunt. Refert dein quomodo Epiſcopi Conſtantinopolitani, ob urbis prærogativam & favore aulico, poſt concilii Nicæni tempora, ſupra Patriarchas aſcenderint, & ita ſecundum poſt Romanum locum, imo poſtea æqualem cum eo dignitatem & Diœceſin latiorem ſibi arrogaverint, aſſumto etiam *œcumenici* titulo, quem primum omnium Græci in concilio Chalcedonenſi anno 451 Romano tribuerant. Iſtum titulum cum *Johannes* Patriarcha Conſtantinopolitanus, cognomen Jejunatoris vitæ auſteritate adeptus, ex juris paritate gereret, eoque fretus concilium orientalium Eccleſiarum habuiſſet, Pelagii II. Pont. Romani indignationes & contradictiones incurrit, quibus acrius inſiſtere cœpit Gregorius, Pelagio ſuccedens. Hic enim ſcriptis ad Imperatorem & Patriarchas epiſtolis, Johannem tanto zelo reprehendit, ac ſi hæc controverſia arcem fidei Chriſtianæ everteret, de qua tamen Maimburgius (corrigens quæ in hiſtoria de Schiſmate Græcorum pro Gregorio ſcripſerat, & in Johannis laudes eximias digreſſus) ita nunc ſentit, ut eam exigui momenti & non niſi verborum pugnam fuiſſe contendat. Explicat autem pluribus diverſas tituli illius acceptiones, & Pontifici quidem Romano eo ſenſu vindicat, ut æquipolleat illi, quo Leo (quem Sanctum vocant) uſus eſt: *Epiſcopus Eccleſiæ univerſalis.* Neque tamen negat alios quoque Epiſcopos eundem haud male uſurpaſſe, ea ſcilicet interpretatione, ut ſe *partem Epiſcopatus* univerſalis obtinere indicarent, eaque ratione non

non vicarii aut ſubſtituti Pontificis Romani, ſed ejus quatenus Epiſcopus eſt, ipſi Coœpiſcopi ſint, in ordine tamen Hierarchico eundem pro capite agnoſcentes. At ſynecdochico ſenſu œcumenici titulum ſumſiſſe Conſtantinopolitanos dicit Patriarchas, ita ſcilicet, ut magnæ parti terrarum præeſſe intelligerentur, quemadmodum Imperatores *œcumenicæ* & *orbis* vocabulis uti ſolebant: minime vero ait tertio, quem notat, quemque Gregorius carpebat, ſenſu uſurpaſſe, ac ſi ſoli epiſcopi eſſent, ſed æquale jus omnibus, (in diœceſi ſcilicet cuique ſua) ſalva ſolummodo appellatione tribuiſſe. Aperte itaque hic definit Autor, quod patres Tridentini ſedulo evitarunt, Epiſcopos omnes inſtitutionis divinæ eſſe, & in hac lite pro Mauritio Imperatore & Johanne Patriarcha, nunc quidem retractatis quæ alibi ſtatuerat, pronunciandum eſſe innuit, diſtinctionibus quas affert, adhibitis. Concedi ſcilicet potuiſſe & debuiſſe putat *Johanni* Oecumenici vel Generalis titulum, non ut caput eſſet totius Eccleſiæ (quam prærogativam poſt Petrum ſoli adſcribit Romano Pontifici) ſed ut ſalvo illo jure, cæteris Patriarchis & Epiſcopis orientis præpoſitus haberetur, non excluſis tamen his a proprii Epiſcopatus divino jure, pro quo unice Gregorium contendiſſe tradit, metuentem ne illis titulus *Univerſalis*, *Generalis* & *Oecumenici* officeret. Quapropter adulationes veterum & recentiorum, qui Pontifici Romano jurisdictionem immediatam in omnibus & ſingulis Epiſcopatibus attribuunt, improbat, & Mauritium (cui in rebus, ubi de Eccleſiaſticæ poteſtatis legitimo uſu controvertitur, judicium a Gregorio merito delatum fuiſſe aſſeverat,) ab injuſtitiæ imputatione abſolvit, licet ſucceſſor ejus *Phocas* inſtanti *Bonifacio* III, qui poſt Gregorium Pontifex fuit, gratificatus, titulū *Oecumenici* ſoli Romano aſſignaverit, & Conſtantinopolitano ademerit. In Proteſtantes autem acriter irruit autor, qui ex hoc *Phocæ* & *Bonifacii* facto adverſus primatum Romani Papæ, quaſi is a nequiſſimi iſtius Tyranni conceſſione ortum haberet, argumentantur; cum tamen de primatu nulla Romano Pontifici quæſtio mota, ſed de ſolo *œcumenici* vocabulo certatum fuerit, quod rejecerat Gregorius, ſano vero ſenſu acceptaverat Bonifacius; unde conficit noſter, Gregorium ut ut Pontificem & ſanctum, falli tamen potuiſſe & falſum eſſe, tuendo opinionem, quæ ſucceſſoribus & conciliis quoque ſecutis diſplicuerit, quippe quæ poſtea titulum illum

illum utrique Patriarchæ tam Romano quam CP. detulerint. In aliis cum Imperatore disceptationibus laudatur Gregorius, quod renitente licet Mauritio, Episcopum Salonensem, *Maximum*, censura perculerit, & ad pœnitentiam permoverit; & quod a calumnia, quasi alii cuidam Episcopo mortis causam dederit, ita se purgaverit, ut scriberet se *reformidare in cujuslibet hominis mortem se miscere*; unde canon ortus est, quo *irregularitatem* (quam vocant) omnes Ecclesiastici incurrunt, qui ad mortem cujuscunque hominis cooperantur. Multa commentatur de legibus Mauritii adversus eos, qui ad declinanda militiæ aut alia publica onera ordines sacros suscipiebant, aut qui jam milites & pro more temporum *manu signati*, in monasteria sese abdebant. Hic campus aperitur Maimburgio, ad encomium magni illius palatii (*hostel des invalides*) in quo regio sumtu milites ex vulneribus aut ætate debiles egregie nutriuntur. Sed non minus laude dignum is habet Gregorium, quod licet in legibus imperatoriis reperiret & ostenderet, quæ displicerent, parere tamen non recusaverit. Adscribit verba Pontificis ex Ep. 7. lib. XI. *Ego quidem jussioni subjectus, eandem legem per diversas terrarum partes transmitti feci, & quia lex ipsa omnipotenti Deo minime concordat, ecce per suggestionis meæ paginam serenissimis dominis nunciavi. Utrobique ergo quæ debui, exolvi, qui & Imperatori obedientiam præbui & pro Deo quod sensi, minime tacui.* Miratur inde nec leviter taxat, quod Baronius ad annum 593. n. 19. hujus obedientiæ, quam Papa ut subditus Imperatori suo præstiterit, honore Gregorium privaverit, adversus historiæ fidem asserens, Papam leges Imperatoris correxisse, imo in hoc maximum specimen Pontificiæ autoritatis edidisse, ita ut *super Imperium potestatis censor & arbiter, exemplum egregium posteris reliquerit, ut quicquid leges sanciendo Imperatores ac Reges delirent, Romanis Pontificibus protinus sit emendandum & corrigendum.* Contra hanc assertionem Gregorii ipsius verba ex aliis citat epistolis Lib. II. ep. 62. & 65, in quibus fatetur, *Deum etiam Sacerdotes Imperatoris potestati subdidisse.* Indignatur autem, quod Baronius d. l. n. 15. hæc interpretetur de facto & violentia, *quemadmodum Christus subjectum se agnoverit Pilato, aut quomodo viatores subjiciantur latronibus in sylvis.* : imo quod non veritus sit scribere : *Imperatores sacerdotibus subditos esse, & Mauritium inter Imperatores non habendum, quia regiam*

gram potestatem adversus Dei sacerdotes exerceret. Ecce ait, *quo Autor iste affectu pro temporali Pontificum majestate abreptus est!* Testimonium postea, quod ex commentario in Psalmos excerpsit Baronius, enervat, dum librum illum Gregorio Sancto, falso adscribi demonstrat, Gregorio VII potius tribuendum; addens severam in Baronium censuram, & ex dicto Apostolico : *omnis anima, &c.* itemque ab exemplo episcoporum Gallorum, obsequium Cleri, quod Regibus debetur, fortiter defendens. Firmat dicta ipsius Gregorii exemplo, cum Phocam pessimum Tyrannum, pro Domino colit, & laudibus demulcet; Mauritii vero virtutes, & in morte constantiam eleganter narrat & commendat. Finitur hic liber (cum ad narrationem de misso a Gregorio ad Phocam, id exigentem, *apocrisiario* sive nuntio, perventum est) dissertatione de Legatis Pontificum, eorumque quam postea sibi arrogarunt potestas examinatur, commendata, quæ in Gallia per Regis imperium adhibetur, moderatione.

Libro Tertio refertur ab initio, quomodo Gregorius in Britanniam, ad convertendos Anglo-Saxones, Augustinum monachum cum sociis miserit; mentio etiam fit martyrii *S. Ursulæ*, sed ita ut in dubio relinquatur, an *undecim tantum*, vel *undecim mille* virgines socias habuerit. Laudatur Gregorius, quod in conversione Anglorum vim nullam adhiberi permiserit; *didicerat enim a doctoribus autoribusque suæ salutis* (inquit Beda) *servitium Christi voluntarium, non coactitium esse debere.* Subjungit huic observationi Maimburgius : *Hæc plane eadem Methodus est, quam hodie Rex Ludovicus Magnus in convertendis Reformatis sequitur, ita ut nullam querendi causam habeant. Nemini enim vis infertur. Neque injustum est, ut beneficiis, quæ conversis exhibentur, non afficiantur qui in hæresi perseverant; aut auferantur iis, quæ contra Edicta usurpaverint; vel denique puniantur, qui contra leges sibi præscriptas peccant. Apparet itaque, hanc viam tam mitem, sapientem & efficacem, eundem effectum sub Ludovico Magno in Gallia habituram esse, ad reducendos Calvinianos, quam habuit sub Ethelredo Rege in conversione Anglorum.* Hæc ille; quæ & alia hujusmodi an agnoscant, qui methodū illam experti sunt, nunc non inquirimus. Magis serio loqui videtur, cum paulo post (ubi retulerat, Gregorium Judæos ad baptismum cogi noluisse) distinctionem

nem ſuggerit, inter infideles & hæreticos, & hos *tanquam rebelles perfidos, perjuros, qui fidem Deo & Eccleſiæ Cath. datam violant, cogi poſſe & debere ſtatuit, ut in Eccleſiam redeant, aut ni faciant, ex præſcripto Legum Imp. & ex ſententia patrum, imo ipſius Calvini puniri.* Porro, cum Beda referat, Gregorium ad miniſterium Eccleſiæ non ſolum vaſa ſacra, veſtimenta, altarium aliaque ornamenta, ſed & reliquias martyrum in Britanniam miſiſſe, eommodus Autori locus dari viſus eſt compellandi Epiſcopos Anglos, ut antiquitatem ejusmodi rerum a majoribus ſuis admiſſarum agnoſcentes, ad reſtabilienda ea, quæ nongentis poſt Gregorii tempora annis per ſchiſma ſublata fuerunt, animum applicent: in ſequentibus vero, ubi Gregorii leges contra Simoniam commendat, antiquitatem conſuetudinis errori minime patrocinari, ipſius Papæ teſtimonio & exemplo oſtendit. Vapulat Baronius, quod in hiſtoria Gregorii Hiberniam cum Iberia, Aſiæ provincia confuderit, ut & Damaſcenus & Johannes Diaconus, ut fabulæ impiæ autores, de anima Trajani a Gregorio ex inferno liberata. Relatis dein quæ Gregorius *Sereno* Maſſilienſi Epiſcopo imagines ex templis tollenti reſcripſit, multus eſt in approbando imaginum cultu, cum ad perſonas, quas illæ repræſentant, refertur, eoque reſpectu in concilio Francofurtenſi admiſſum narrat, librum ſuum de Iconoclaſtis allegans. Exemtionem bonorum Eccleſiaſticorum a tributis, ut & palliorum quæ vocant, quibus Archiepiſcopi, & alii primarii ex Epiſcopis ornari ſolent, conceſſiones a privilegiis Imperatorum & Principum profectas eſſe tradit. Molinæum & alium quendam ex Reformatis corrigit, quod ſcripſerint Gregorium contraria de reliquiis Sanctorum ſtatuiſſe, cum aliquando nollet eas petentibus concedere, aliquando ultro mitteret. Ait enim corporum partem poſcentibus tunc negatam, & non niſi particulas veſtium aut linteorum (corporalia vocabant) quibus Sanctorum corpora tegi ſolebant, miſſas fuiſſe: quanquam id poſterioribus ſeculis, ut in re libera, aliter (datis ſcilicet corporibus) obſervari cœptum ſit. Epiſcoporum jurisdictionem in monachos ita adſtruit, ut Gregorii tempore nullæ monaſteriis, niſi in adminiſtratione bonorum, libertates aut exemtiones ab Epiſcoporum poteſtate conceſſæ fuerint; itaque falſa & conficta eſſe arguit diplomata, quæ ab aliquibus monaſteriis in Gallia Gregorio adſcribuntur: cujus ſuppoſitionis manifeſtum

nifeſtum exiſtimat indicium eſſe clauſulam pœnalem, qua Regibus pontificias conceſſiones violantibus privatio regni indicitur. Hic iterum vehementer improbat Baronii effata, qui ad annum 593. n. 16. & ad annum 603. n. 17. Pontificum poteſtatem in Reges ex ſuppoſititiis illis ſcriptis Gregorii tueri voluit; & hanc doctrinam in Gallia ſemper, ut ſceleratam & pernicioſam, condemnatam eſſe aſſeverat. Subditum vero Gregorium Imperatori fuiſſe, nullumque ſpatium terræ ſupremo jure poſſediſſe, plus una hoc libro tertio docet vice, & ſub ejus finem, rejecta donatione Chimærica, ut loquitur, Conſtantini Magni, de patrimonio D. Petri, quod vocant, ſive de Pontificatus fundis & reditibus ita diſſerit, ut omnia liberalitati Principum & populorum attribuat, & ad alendos pauperes primario impendenda eſſe evincat. Gallorum Regum prærogativam Gregorii verbis ex Lib. V. Ep. 56. inde potiſſimum ſtabilit, quod primi & tunc quidem ſoli (cum cæteri Reges vel pagani vel hæretici eſſent,) Catholicam fidem ſint profeſſi, unde primogeniti Eccleſiæ filii merito dicantur. Unum adhuc ex iſthoc libro notatu non indignum eſt, quod de ſe ipſo ſcribit autor, poſtquam Gregorii ſententiam adverſus ſtudia literarum profanarum retuliſſet; ait enim ſe nunc in ſenectute ſua deplorare, *quod juvenis tot fabulis, nugis, chimæris, & ideis de falſis diis, ingenium & memoriam repleviſſet, cum pulcherrima & ſolida cognitione earum rerum locupletare mentem potuiſſet, quæ ad verum Deum ducunt, & ex ſacris literis, ex patribus, ex conciliis, & ex hiſtoria rerum, legum & praxis Eccleſiæ habentur: ſed ita ſibi præſcriptum fuiſſe, pro excuſatione allegat.*

In *Librum Quartum* Autor conjecit, quæ Gregorius ad tuendam diſciplinam Eccleſiaſticam, & adverſus pravos cleri mores laudabiliter conſtituit. Inter præcipua habet, quod a ſervitiis cubiculi, ſive aulæ, omnes ſeculares removerit, tantumque clericis & monachis uſus fuerit. Junxit itaque primus diverſi inſtituti eccleſiaſticos homines, ex quibus monachi ab initio inſtituti ſui, a clericorum ordine & munere remoti erant, ipſaque officia ſacra ab aliquibus ex clero, quibus Epiſcopus ea delegabat, ſumebant. Primus qui ex monachis clericos congregavit, ab autore nominatur *Euſebius* Epiſcopus Vercellenſis. Diverſo inſtituto Auguſtinum celeberrimum Epiſcopum Hipponenſem, ex clericorum ordinibus ſuperioribus,

Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis conventus illos collegisse refert, qui Regularium Augustinianorum nomen postea obtinuerunt. Hi præter cœlibatum & obedientiam Episcopo debitam, quæ duæ ordinationum omnium conditiones sunt, etiam ad abdicandam rerum proprietatem, ad instar monachorum voto obstringebantur. Augustinum vero, etsi plurima monasteria fundaverit, & regulis formaverit, monachum fuisse negat, imo monachos omnes clero postposuisse & subjecisse statuit. Elogio suo hac occasione ornat *Abbatiam Regalem S. Victoris* Parisiensem, in qua hospitium adeptus est. Post hæc Gregorii curam laudat de reformatione *Cameræ & Datariæ* quam vocant Apostolicæ, in qua omnia gratis scribi & expediri voluit; dein novam Psalmodiæ sive hymnologiæ ordinationem, quæ *cantus Gregoriani* nomine adhuc durat: quanquam cantandi Psalmos per alternos choros, ut & septem orationum & hymnorum singulis diebus tempora, monachorum qui seculo quarto sub Antonio orti sunt, invento tribui debere non inficietur. De *Episcopatu* universali, cujus partem omnes Episcopi pari jure teneant, primatu solum Romani Pontificis salvo, sueta & aliunde nota repetit. Electionum ritus veteres novosque, eorumque commoda & incommoda refert, ita quidem ut *nominationes* regias non minus probet, quam populi olim & cleri, aut Canonicorum postea suffragia. Gregorii vero sollicitudinem in cavendis electionum vitiis, & severis contra *Simoniam*, quam vocant, legibus summopere extollit, præsertim quod pro Simonia habuerit, non solum crassam corruptionem quæ pecunia fit, sed & quæ precibus, blanditiis & prensationibus quibuscunque. Memorabile ejus dictum ex Lib. 2. ep. 29. adducit, quo ad Mediolanenses scribens profitetur ab antiquo sibi præfixum esse, ut nec commendatione juvet, qui Episcopatum petunt, sed sola oratione electiones prosequatur. Strictissime vero castitatem a Clericis exegisse scribitur, ita ut simplex fornicationis casus ad amittendos ordines & dignitates sufficeret, cui rigori hodie locum non esse agnoscit noster. Eadem severitate Episcopos ad præsentiam, sive *residentiam* quam vocant, obligavit; sed hoc ita probat Maimburgius, nisi ob concilia, vel ad legationes obeundas, aut ob ministeria Regibus præstanda, abesse aliquando Episcopos ab Ecclesiis suis expediat. Cæterum leni & modestissimo modo Gregorium aliis Episcopis præfuisse ostenditur

ex *Lib. 9.* ep. 38. in qua Eulogio Alexandrino Episcopo scribens, *jussionis verbum* removeria se petit, addens: *scio quis sum & qui estis; loco enim mihi fratres, estis moribus patres* (senior enim erat Episcopus ille) *non ergo jussi, sed quæ utilia visa sunt indicare volui.* De origine Cardinalium ingenue hic commentatur, & Gregorii ætate & quatuor post eum seculis nihil aliud fuisse fatetur, quam Presbyteros sive Parochos, Diaconos & Subdiaconos urbis Romanæ, in qua unus solum, nempe ipse Pontifex erat Episcopus. Vocabantur autem Cardinales, ut scribit, a *cardine*, sive ostiis Ecclesiarum, quibus præpositi erant; in specie autem *incardinatos* sive *cardinales* dictos esse notat, quibus post mortem Episcoporum aut Presbyterorum, donec successor constitueretur, per modum visitationis aut provisionis Ecclesiarum cura commendabatur, vel qui ex clero ad sacra facienda in monasteria mittebantur, antequam ipsi monachi ad clericorum munia admitterentur. Hæc omnia adductis probat testimoniis, neque tacet, quod Episcopi omnes, sine controversia, priorem ante Cardinales locum, & quidem merito habuerint, donec isti successu temporum, & negligentibus muneris sui honorem Episcopis, ad eum qui nunc est dignitatis apicem pervenerint. Hujus fastigii initium a Damaso II accersit, qui primus anno 1048 coronari se fecit, posteaque consessu Cardinalium, Episcoporum, Presbyterorum & Diaconorum, ad consilium ordinarium uti voluit. Prioribus itaque seculis, sicuti Papæ nomen omnibus Episcopis, ita Cardinalium omnibus Ecclesiarum Episcopis, Presbyteris & Diaconis certo titulo constitutis, tribui solitum fuisse affirmat. Non dissimulat porro, Missarum olim numerum longe minorem quam nunc, & unam tantum singulis dominicis & festis diebus celebratam fuisse, nunquam surrogata altera, nisi populi frequentia, cui locus ad primam non suffecisset, id requireret. Introducto etiam postea diurnæ celebrationis more, non nisi ab uno Presbytero sacrificatum esse notat; confirmat ista testimonio sancti, ut loquitur, viri Alvari Pelagii, qui refert, Franciscum monachos a se institutos jussisse una Missa contentos esse, & Alvari querelam abscribit, ex Lib. II. art. 5. de Planctu Ecclesiæ his verbis: *Tot hodie dicuntur Missæ sive quæstuariæ, sive consuetudinariæ, vel ex complacentia, vel ad scelera cooperienda, vel ad propriam justificationem; quod apud populum vel clerum sa-*

crosanctum corpus Domini jam vilescat. Emollit tamen dicta Maimburgius, professus se non improbare infinitum, quæ hodie fiunt, Missarum numerum, sed referre solum, pro munere historiographi, antiquas consuetudines, nec repugnaturum, si dicatur, devotionem hoc tempore majorem quam olim esse. Digreditur occasione *Venantii* cujusdam, qui *Cancellarii Italiæ* titulum gerebat, ad explicandum, quodnam fuerit munus Cancellariorum; producit etiam notabilem Gregorii locum, quo profitetur se concilii decisionem secuturum, nec sui unius arbitrio res dubias definiturum esse; *quicquid* (scribit Ep. 33. L. 1.) *ab omnibus fieri salubriter placet, ego in nullo contradico, sed quod in commune decernitur, lætus implebo.* Par modestia in tolerandis Imperatorum decretis, licet canonibus adversarentur. Cum enim Mauritius, reluctante Gregorio, Episcopatum in Illyrico seni cuidam ademtum alii contulisset, ita scribit Gregorius : *Si canonicum est, quod fecit, sequimur; si vero canonicum non est, in quantum sine peccato nostro valemus, portamus.* *Ecce*, ait Maimburgius, *diversum agendi modum ab illo, quem longo post tempore Gregorius VII tenuit, minis & fulminibus urgens, excommunicans, deponens Imperatorem ex eadem causa, unde terribiles in Imperio & Ecclesia turbæ secutæ sunt.* *At ille* (pergit) *Gregorius Magni nomen modestia & humilitate sua merito adeptus est; ex hac enim & ex debito spiritualis potestatis usu, magnitudo Vicariorum Christi, non ex principatus mundani opulentia, æstimari debet.* Agnovisse etiam, imo inculcasse Principibus Gregorius traditur, quod obligati sint, subditis de animarum salute providere; probat id ex Lib. 3. Ep. 23. it. 7. & Lib. VII. ep. 9. Ex alia vero epistola Lib. IX. 64, notat, Gregorium in Galliam non nisi postulantibus & consentientibus Regibus legatum misisse, idque merito contra Bonifacium VIII a Philippo Pulchro Gall. R. assertum fuisse. Non pauca dehinc affert, per quæ stabiliat, matrimoniis interdictum fuisse Gregorii tempore, & ex antiquo quidem more, clericis majorum ordinum omnibus, etiam Subdiaconis; agnoscit tamen eam legem pro positiva & dispensabili; unde & Gregorius rigorosam Pelagii II adversus Subdiaconos maritos sententiam temperaverit, ut ex Ep. 42. Lib. I. annotatur. Ansam hic sumit Maimburgius circa conjugia Subdiaconorum a Ferrando, autore Apologiæ contra Reformatos, modeste dissentiendi, cui tamen simul gratias

tias agit, quod historiam suam de Calvinismo, ubi de Marcionitarum hæreticorum falso martyrio aliquid scripserat, in libello isto defenderit: addit vero se minime desiderare ulteriorem apologiam, neque se quidquam Reformatorum objectiones curatruum; sperare potius, illorum odia favorem sibi Romæ procuratura esse, ob fervidam Ecclesiæ Catholicæ & primatus Pontificii defensionem. Imo brevi eo rem deductum iri ait, ut Reformati Ecclesiæ conciliati, non alia de causa certaturi secum sint, quam quis melius Deo & Regi serviat. Finem libro facit, ut alia prætereamus, in commendanda Pontificis, qui nunc vivit, Innocentii XI liberali erogatione sumtuum, ad bellum Turcicum. Hoc elogium a se expectari non putat Romæ, cum notum sit quod nihil inde unquam sperare sibi liceat; solatur tamen semet ipse, quod in loco vivat, ubi nihil, (ut ait) habeat, quod metuat. Prolixiorem hujus libri Maimburgiani enarrationem ut faceremus, non una nobis causa fuit. Multa sane in eo reperiuntur liberrime scripta, multisque contradictionibus apud Pontificii nominis studiosos obnoxia. At Protestantibus paradoxum videbitur, imo manifeste negandum, quod de placidis conversionis in Gallia modis, pluribus locis jam indicatis, maxime autem in ipsa dedicatoria ad *Regem Christianissimum* jactare ausus est. In hac enim his inter alia verbis utitur : *Credas Domine, quod post devictos insuperabili armorum tuorum virtute omnes Galliæ hostes, solus æternam tibi gloriam feliciter peperisti, exterminando ex regno Christianissimo inimicam Deo Hæresin, nullis ad cogendos, ut in Ecclesiam redeant Protestantes, armis adhibitis, nullisque viribus, quam zeli charitativi pro eorum conversione, & justitiæ manifestæ legum tuarum & edictorum, unde omnis qui sperari potuit successus secutus est.* In præfatione (ut de hac quoque aliquid addamus) lectores monet, ne se vitam Gregorii, sed historiam Pontificatus scribere existiment, & sperare se dicit, Protestantes intellecturos esse, quam conformia sint cum Romanæ Ecclesiæ fide, quæ Gregorius crediderit, & ex traditione quinq; priorum seculorum didicerit; de quibus, ut putat, sine inverecundia dici nequeat, quod Scripturam non melius quam Lutherus, Zwinglius & Calvinus noverint. Invehitur deinde in tractatum *Petri Molinæi, Sedanensis* olim Ecclesiastæ, *de vita Gregorii magni*, & crassissimæ

im-

impostura eum accusat, quod scripserit, Gregorium non repugnasse electioni sui ad Pontificatum; & vel ob hunc unicum errorem, omnem Molinæi doctrinæ fidem abjudicat. De cætero excusationes addit, quod in sua hac Gregorii historia scripserit, quæ a moribus hujus temporis haud parum discrepent, & quod *Baronium* alicubi, ubi ut homo & præoccupatus erraverit, reprehendere ausus sit: allegat autem ex Patini medici, quem ut virum veracissimum laudat, relatione, *Lucæ Holstenii* effatum, qui in Baronio octo erratorum millia monstrari a se posse asseveraverit. Quamvis enim iste numerus vero major esse possit, magnum tamen esse non dubitat.


DN. BERNOULLII NARRATIO CONTROversiæ inter Dn. Hugenium & Abbatem Catelanum agitatæ de Centro Oscillationis, quæ loco Animadversionis esse poterit in Responsionem Dn. Catelani, num. 27. Ephem. Gallic. anni 1684. insertam.

Excerpta ex Litteris Dn. Bernoullii Lipsiam missis.

MEnse Septembri anni 1681 Abbas Catelanus propositionem quandam tractatus Cl. Hugenii, quem de *Horologio Oscillatorio* in scripserat, adortus est, formata contra illam objectione; in qua quia mente sua minus feliciter expressit, ansam dedit isti controversiæ, quæ hucusq; fere inter illos viguit. Verum quidem est, eum initio a. 1682. objectioni suæ additis paucis lineis variationem quandam induxisse; sed quoniam ejus partes satis adhuc male cohærentes reliquit, eam in mente Lectoris sui excitavit opinionem quasi persuasum haberet, summas altitudinum, e quibus pondera alicujus penduli junctim descendunt, & ad quas postmodum separatim ascendunt, inæquales esse debere hanc solam ob causam, quod *priores altitudines sint proportionales ipsis ponderum celeritatibus, posteriores vero non nisi quadratis istarum celeritatum.* Quare etiam Hugenius, id unicum Catelano scrupulum movere ratus, respondere abstinuit, usque in mensem Junium, quo tandem calamum arripuit, ac exemplo duorum numerorum 5 & 10, duorumque aliorum 3 & 12 breviter monstravit, fieri utique posse, ut binæ quantitates eandem cum binis aliis conficiant summam,

mam, etiamsi diversam ab illis rationem habeant, neque tum temporis in dubium revocavit πρῶτον Catelani ψεῦδος, quod tamen in prima jam objectionis suæ impressione manifeste satis prodiderat, dum supposuit: *Pendulum ex duobus ponderibus compositum, eandem acquirere celeritatem, quantam acquirat summa pendulorum simplicium*; id vero sicco pede præteriit Hugenius, vel quod non penetrarit statim, ob nullam periodorum connexionem, quorsum falsa ista Catelani suppositio tenderet, vel potius quod illi ceu verisimili admodum tum ipsemet adstipularetur. Catelanus interea Hugeniano responso non contentus, excepit 20 Julii 1682, ac terminis Algebraicis rem aggressus est, eodem innixus fundamento: *Quod totalis celeritas penduli compositi æquet summam celeritatum partium ejus separatarum.* Quo facto controversia ista ultra annum sopita jacuit. Me quod spectabat, cui Hugenii liber tum nondum visus, nedum lectus fuerat, scopum alium non habebam, quam illustrare ejus responsionem, remque examinare, qualiter ab ipso examinata, atque in Actis recensita fuerat. Animadvertens itaque, Catelani principium ab Hugenio non refutatum esse, & ego illud intactum reliqui, sufficere mihi ratus, si Hugenianum responsum simpliciter applicarem ad præsentem controversiam, proposito eum in finem exemplo penduli, e duobus æqualibus ponderibus compositi; ubi innuere saltem volui, quod supposito pro totali ejus celeritate numero ternario (quicquid statuatur de celeritatibus utriusque separatim spectati ponderis, dummodo eæ sint in ratione 2 ad 1) quadrata $\frac{144}{25}$ & $\frac{9}{25}$ ex mente Hugenii significare debeant non nisi *rationem altitudinum*, ad quas ascendant separata pondera, minime vero *ipsas altitudines* (quod ipse quoque postmodum indigitavit Hugenius in secunda responsione, 8 Jun. 1684) partim quoniam celeritates atque altitudines, utpote quantitates heterogeneæ, se mutuo mensurare non possunt; partim etiam quia ipse Catelanus urgere saltem videbatur, altitudines esse *proportionales* quadratis, vel *sicut* quadrata celeritatū; tametsi in proxime sequenti calculo quadrata ista pro ipsis altitudinibus adhibuerit. Comparato mihi paulo post, & perlecto Hugenii libro, animadvertebam, Propositionem controversam ex priore Hypothesium, quas Auctor initio stabiliverat, adeo evidenter inferri, ut neutra infringi possit, quin simul evertatur altera; quocirca judi-

cabam, si Catelano falsa fuisset visa propositio, cum potius ipsam adoriri debuisse Hypothesin, magnumque illud inibi contentum Principium Mechanicum. Verum enim vero cum hujus principii veritatem nullo jure in dubium revocare possem, atque simul etiam seriem ratiocinii a Catelano satis confuse propositi evolvere cœpissem, errorem ejus detexi illico, falsamque cognovi esse, qua nitebatur, regulam, nimirum: *Celeritatem totalem penduli compositi æqualem esse summæ celeritatum partium ejus separatarum.* Atque ut ostendam, animadversum mihi fuisse errorem, priusquam Hugenii epistola de 8 Jun. lucem aspexisset, afferam hic causam physicam, omissam ab Hugenio, qua fit, ut penduli compositi celeritas perpetuo minor sit celeritate partium ejus separatarum: Ponamus majoris evidentiæ ergo, pondera penduli A & B in linea inflexili DB libere hinc inde moveri posse, sic ut linea hæc, dum rotatur circa axem D, quamvis secum rapiat pondera, non tamen impediat descensum illorum in



linea recta versus centrum Terræ. Quo posito, constat, utrumlibet pondus sigillatim dimissum, eadem celeritate latum iri, qua ferretur absque virga DB, utpote nec a virga, nec ab ejus axe ullo modo impeditum; id est si pondus A absque virga certo tempore conficit spatium AH, & pondus B spatium æquale BN, utrumque eeteiam cum virga, sed sigillatim, dimissum eodem tempore idem spatium AH & BN conficiet. Constat insuper, quod si gravitas in utrumque pondus ageret viribus, quæ proportionatæ forent ipsorum respectivis ab axe distantiis, virga nullum adhuc ipsorum descensui afferret impedimentum, propterea quoniam exacto certo tempore unum eorum reperiretur in H & alterum in I, vel prius in L posterius in N, sive absque virga, sive cum virga, sive sigillatim sive conjunctim dimitterentur. Verum enimvero quoniam gravitas in utrumque pondus agit viribus æqualibus, sic ut pondera eodem tempore æqualia spatia AH & BN transigere annitantur, & tamen interea pondus A jun-

junctim dimissum, ob inflexilem virgam, nequit pertingere nisi ad L, dum pondus B jam est in N, hinc sequitur, gravitatis vim in pondere A non esse exhaustam; adeoque residuum harum virium, ex una parte urgere debere corpus B, ex altera ipsum axem D, eundemque premendo aliquam sui partem ibidem insumere & deperdere; siquidem virga hocce casu instar vectis considerari possit; prout extra dubium est, quod si corpus B infinite tarde moveri, id est, firmum & stabile esse intelligatur, sicut axis D corpus A partem sui ponderis, æque in axem D atque in corpus B transferret. Ex hactenus dictis colligere proclive est, si quis examinare vellet, quantam partem celeritatis suæ pondus A in premendo axe D consumere debeat, eum exinde, imitando Dn. Catelani ratiocinium, veritatem aut falsitatem Hugenianæ Hypotheseos, inque hac fundatæ Propositionis detegere posse. Rogantur hac occasione eruditi, ut examinent, qualem legem communicationis celeritatum observent corpora mota, quæ ex una parte innituntur firmo fulcimento, ex altera alii corpori itidem, sed tardius moto: si namque celeritatis excessus, qui hinc inde communicandus est, in eadem ratione distribueretur, in qua distribuitur onus aliquod, quod vecti duobus sustento fulcris impositum est, nimirum in ratione reciproca distantiarum mobilis a fulcris, tum imitando ratiocinium Dn. Catelani, deprehenderemus, summam altitudinum, ad quas ascendunt separata penduli pondera, vicissim nunc minorem esse summa altitudinum, e quibus antea conjunctim descenderant, quod iterum Hugenianam Propositionem everteret.

En calculum: Esto altitudo AL = 1 ped.
Altitudo BN = 4 ped.

Celeritas ponderis A acquisita in puncto L, ubi descendit separatim = 1

Celeritas ponderis B acquisita in puncto N, quando cadit separatim = 2

Celeritas ponderis A acquisita in puncto L, quando descendit conjunctim = x

Igitur Excessus celeritatis ponderis A, qui tam in axem, quam in pondus B redundat = 1 — x

Et pars hujus excessus, quæ soli ponderi B communicatur $= \frac{1}{4} - \frac{1}{4}x$

Tota ergo celeritas ponderis B in puncto N cum conjunctim cadit $= 2\frac{1}{4} - \frac{1}{4}x$

Atqui vero $2\frac{1}{4} - \frac{1}{4}x, x :: 4, 1$. Igitur $x = \frac{9}{17}$ & $4x = \frac{36}{17}$ eorumque quadrata $\frac{81}{289}$ & $\frac{1296}{289}$ quorum summa $4\frac{13}{17}$ minor est $1 + 4 = 5$

Antequam finiam, in favorem Dn. Catelani hoc monebo, quod etiamsi commune gravitatis centrum juxta illum altius ascendere deberet, quam descendit, nondum tamen sequatur, repertum fore motum perpetuum, ut sibi persuadet Ill. Hugenius; quoniam in istis abstrahi solet ab aeris resistentia, a diminutione celeritatis, quæ necessario sequitur disruptionem vinculi, quo connectebantur partes penduli, aliorumque obstaculorum; prout ipsa quoque hæc aeris resistentia in causa est, cur simplex pendulum motum suum non continuet, ut maxime in Hypothesi Hugeniana ad eandem ascendere debeat altitudinem, a qua descendit.

EJUSDEM DN. BERNOULLII DEMONstratio Rationum, quas habent series numerorum naturali progressione sese insequentium, vel quadratorum, cubicorum, &c. item trigonalium, pyramidalium &c. ad series numerorum totidem maximo æqualium.

Excerpta ex iisdem litteris.

VVAllisius in Arithm. Infinit. id sola inductione investigare docet; cui demonstrandi modo, cum parum scientificus sit, alium eumque facillimum hic substituam: Ex. gr. Explorandum sit, an ratio seriei numerorum naturali progressione se excipientium & a cyphra inchoantium, ad seriem totidem maximo æqualium semper sit subdupla. Pono, rem examinatam esse aliquousque; terminumque ultimum, in quo examinando substiti, appello a: eritque numerus terminorum ob initialem cyphram, unitate major, nempe $a + 1$: adeoque summa totidem ultimo æqualium $aa + a$, cui cum summa progressionalium inductione supponatur reperta fuisse sub-

subdupla, erit hæc $\frac{aa+a}{2}$. Augeatur jam series progressionis uno termino, eritque adjectus terminus $a + 1$, qui junctus summæ præcedentium $\frac{aa}{2} + \frac{a}{2}$ producit $\frac{aa+3a+2}{2}$ summam totius progressionis: sed cum numerus terminorum jam sit $a + 2$, erit summa totidem adjecto ultimo æqualium, $aa + 3a + 2$ quæ summæ progressionalium itidem dupla existit. Quod si jam iste terminus, qui modo vocatus erat $a + 1$ appelletur a, insuperque novus progressioni adjiciatur, qui erit $a + 1$, eadem valebit demonstratio: cum ergo constet, rationem subduplam in qualibet serie deprehensam, inferre eandem in serie uno termino aucta, atque hinc etiam in serie duobus, tribus &c. infinitis terminis aucta, sequitur universim, quod si hæc proprietas in paucis seriebus inductione reperta fuerit, pariter communis sit omnibus. Q. E. D.

Ad eundem modum demonstrabitur, rationem summæ seriei quadratorum a cyphra incipientium, ad summam totidem maximo æqualium esse subtripla majorem excessu, quem indigitat ea ratio, quam habet unitas ad sextuplum radicis quadratæ termini maximi; item summam seriei trigonalium a duabus, pyramidalium a tribus &c. cyphris inchoatorum, ad summam totidem maximo æqualium esse subtriplam, subquadruplam &c. supponendo nimirum, id aliquousque saltem inductione compertum esse, illudque deinceps demonstrando de serie uno termino aucta.

GEORGII VVOLFGANGI VVEDELII MED. D. Consiliarii ac Archiatri Saxonici &c. Exercitationum Medico-Philologicarum decades duæ.

Jenæ, sumptibus Johannis Bielkii 1686, in 4.

QUæ olim sub programmatum alioque titulo pertractavit, seorsimque edidit Auctor Celeberrimus, illa nunc in fasciculum collecta sub Exercitationum Medico-Philologicarum titulo extare voluit, quo, quæ non prodesse vel servari poterant singulatim, juncta illam acquirerent faciem, ut minus displicere vel negligi

valerent. Accipe ergo L. B. breviſſimis uniuscujusvis Exercitationis ſummam.

In *I. de morte proditoris Judæ*, inquirit Nobiliſſimus Auctor in mortis genus peſſimi hujus nequam, refutataq; illorum opinione qui κυνάγχη ipſum interiiſſe volunt, demonſtrat, non ſolum ex aliis S. S. locis, ſed quoque ex profanis ſcriptoribus, Græcum vocabulum ab Evangeliſta ad exprimendam proditoris mortem adhibitũ, ſuſpendium ſive ſuffocationem per laqueum deſignare. Examinat poſtmodum, quomodo ex ſuſpendio crepare, h. e. cum violentia ac ſonitu diſrumpi potuerit. Negat vero id factum a caſu; cum crepitu namque ex cauſa hac ruptura facta non eſſet. Negat etiam a putredine iſtam rupturam commode deduci poſſe, cum vi legis Judæis incumberet, ante ſolis occaſum cadavera ſuſpenſorum terræ mandare. Quo itaque in veram hujus phænomeni cauſam deveniat, ſcrutatur, quænam pars abdominis dirupta fuerit; & ubi de cute abdominis, muſculisque ſubjacentibus pariter ac peritonæo id negavit, concludit denique inteſtina crepuiſe, & ex ipſis in ſpecie cœcum dictum, id quod fieri poſſe duplici obſervatione propria comprobat. Exiſtimat proinde, ut in ſummam contrahamus mentem Noſtri, Judam ante ſuſpendium Ileo laboraſſe & crepaturam inteſtinorum paſſum, qua audita, (alias ex nefando proditionis facinore angore ac terriculamentis percuſſus miſer) novo terrore veluti exanimatus, laqueo finem vitæ accelerarit. Cæterum quod Evangeliſta dicat, *& effuſa ſunt omnia ejus viſcera*, id non de prolapſu viſcerum extra corpus, ſed ſolummodo de effuſione fecum, ſanguinis aliorumque humorum in cavitatem abdominis interpretatur.

In II. de Morte Attilii Reguli, deſcribitur primo mors Reguli ex Oratorum principe his verbis: Carthaginenſes reſectis palpebris illigatum in machina, vigilando M. Regulum necaverunt. Deinde cauſæ inveſtigantur mortis, evincituq;, ipſam palpebris reſectis & pervigilio exin oriundo deberi. Cum enim continuo ideæ præſentes eſſent, ac ſimulacra varia obverſarentur archeo, cogitationesque ſollicitarentur varie, hinc maxima non ſolum moleſtia oriebatur, ſed ſpiritus quoque per ſomnum haud refecti deficiebant ſenſim miſerrime.

In III. de Vultu ſpeculo corporis, a ſanguinis conditione dependere colorem faciei, & ex hoc ſanitatem cognoſci poſſe probat, hincque non ſolum Medicos coram adeſſe ægrotantibus jubet, ſed etiam ex ipſa diſcoloratione faciei jam ſanguinis defectum vel ejus retroceſſionem ad interiora, vel dyſcraſiam ſcorbuticam aut cachecticam commode addiſci poſſe docet.

In IV. de luce vitali, ab igne regi hoc univerſum, Romanos non ſolum ſed & Ægyptios olim ſibi perſuaſum habuiſſe, in limine exercitationis notat. Sed majori jure de igne cordis prædicari microcoſmi conſervationem poſſe monſtrat, utpote a cujus vigore vegetatio corporis ac vitalitas, a ſuffſaminatione vero interitus ejus vel languor dependeat.

In V. de nutritione dulcium, cum ab Hippocrate, Celſo ac Galeno paſſim doceatur, dulcibus nos præ reliquis nutriri, idcirco pro veritate hujus effati adſtruenda monet, per dulcia primo cuncta blanda ac ſuavia heterogeneitatis expertia, ſecundo non niſi temperata h. e. humida vel roſcida ab illis intelligi.

In VI. de utero morborum autore, occaſione regulæ a plurimis Medicis receptæ, ſcilicet fœminam omnem morbum bis pati, inquirit num ullis morbis ſit obnoxius uterus, & poſtquam affirmativam dixit ſententiam, qualesnam ſint iſti, enarrat.

In VII. de coloribus medicis, de Medici cum ſit officio, hominum ſpectare formas; formam vero conſtituant præter corporis habitum ſive ſtaturam, color quoque ejus, nunc albus, nigricans, vel rubeus, dignum judicavit Auctor, ætiologiam differentiæ coloris ex divi ſenis ſcriptis eruere, & quæ explicatu in ipſis difficiliora deprehenduntur declarare.

In VIII. de ſpiritu motore, a ſpiritibus animalibus & ſenſum & motum præſtari, uti antiquiſſimam, ita maxime utilem eſſe opinionem pro variis phænomenis deducendis, tam ex Hippocratis quam aliorum ſcriptis per totam exercitationem evincit.

In IX. de glandulis in genere & ſubcutaneis, explicato loco Hipp. c. 4. t. 6. de glandulis, uſuque glandularum in genere recenſito, deflectit ad tumores œdematoſos ac ſteatomatoſos, quorum cauſas ex partibus his male affectis deducit.

In X. de organis respirationis, incitatus a respirationis summa necessitate, rimatur perpetuæ hujus reciprocationis causas. Primo vero in genere examinat rationes motus, postmodum progreditur ad respirationem, ubi comparatione facta inter pulmones & follem, aeris externi elasticitatem, cum aere thoraci innato diaphragma sursum & deorsum agitare, hincque expansionem & compressionem pulmonum efficere probat.

In XI. de uvulaplectro vocis, columellam sive uvulam non parum contribuere ad formandum sermonem, manifestissimum redditur ex raucedine vocis post ejus extirpationem insequente. Nondum tamen constat, quid præcise uvula ad vocis moderationem conferat; hinc Noster probare annititur, ab ipsa non solum copiose ad hanc glandulam depositam, ac alias ad laryngem depluentem salivam ad anteriora diverti, sed etiam continuo ejus subsultu inter loquendum concitato, plectri musici ad instar motum palati undulantem excitari, ac per consequens sonum modificari ac mire variari.

In XII. de catarrho & rheumatismo, quam Hippocrates, Aristoteles ac Galenus de morborum causis foverunt sententiam, scilicet alios ex igne, alios ex aqua sive rore generari, illam tanquam veritati admodum consentaneam demonstrat. Ab igne enim febres deducit, plures vero morbos a serosa colluvie juxta Pisonem in libro peculiari de his morbis conscripto, & denique ex igne & aqua simul arthritidem. Sumere vero ultimum hunc, ob dolorem & fluxum ad artus satis famosum affectum, originem a catarrhis a capite ad varias partes descendentibus, ex genuina interpretatione textus 15. Hippocratis de loc. in hom. c. 18. comprobat. Tandem de differentiis catarrhi & rheumatismi facit verba, adjungens causas, quamobrem toties inter se a Medicis confundantur.

In XIII. de pulsu, & speciatim intercurrente, postquam inter stellarum micationem & pulsum comparationem instituit, a Galeno diffusissime doctrinam de pulsibus esse exhibitam, imo differentias eorum plures descriptas quam unquam deprehendantur, refert. Dari nihilominus alias species, quæ vel nomine vix amplius notæ sint, e quorum numero intercurrentem, in polypo ac

ac palpitatione cordis solennem, instar omnium nominat, deque ipsius natura prolixius disserit.

In XIV. de usu respirationis, sequens porisma exhibet. Ut aer se ad ignem culinarem, ita etiam ad calidum vitale habet, & similis convenientia quoque est inter pulmones & cor una cum sanguine. Elicit itaque, ab aere impelli rapidoque cursu moveri non solum vitalem ignem, sed insimul omnes corporis, tam solidas quam fluidas partes, item ab aere e pulmonibus partes humidas abundantes exportari, nec non sulphureas ac luminosas sanguinis moleculas splendore illustrari infert, &c.

In XV. de Fundamentis Methodicorum, refert hujus sectæ fundatores docuisse (1) nullas alias indicationes ad curam morborum requiri, quam ut laxum adstringatur, strictum laxetur, & in medio ex his mixto id quod magis urgeat attendatur. (2) Medicum non oportere anxie esse solicitum de causis proximis & immediatis, sufficere namque antecedentes ac remotiores; magis vero ipsi in eruendis signis esse desudandum. (3) omnia omnium corporis partium communia esse medicamenta, cum simili passione fuerint affectæ, adeoque specifica nulla esse. (4) quiete & abstinentia multos, imo omnes curari morbos. Abstinentiam itaque imperabant triduanam, & ne tum quidem alimentorum ordinariam deglutitionem admittebant, sed accurate observato duplici nutritionis circulo, resumptivo & metasyncritico, successive iterum concedebant quantitatem proportionatam alimentorum, quam antea detraxerant.

In XVI. de usu glandulæ lachrymalis, postquam inter prærogativas harum glandularum lachrymalium retulit, quod tam extantes ac nudæ, secus ac ulla alia glandula, appareant; item, quod simili modo ac glandulæ pituitariæ ossibus immediate (quo privilegio nulla glandula præterea gaudet) adstent; de usu ejus latius disserere incipit. Docet itaque, lympham in his glandulis secretam, non tantum ad egerendum dolorem corporis ac animi, sed insuper ad lubricationem ac detersionem & nitorem oculorum, nec non ad diversionem seri superflui, nariumque humectationem facere. Subjungit his morbos glandulæ proprios, & ex ejus præternaturali constitutione resultantes.

In XVII. de bile fermento inteſtinorum, quicquid alii de uſu bilis ſentiant, Noſtro placuit inpræſentiarum defendere bilem eſſe inteſtinorum fermentum. Probat autem hoc effatum primo a particulis bilem componentibus ſulphureis ac ſalinis, quæ cum lymphaticis ſucci pancreatici, & ſtomachicis, aut cum chylo mixta, promptiſſime fermentationem inducere aptæ natæ ſunt; ſecundo exemplo ab aloe in corpus aſſumta, fermentationem notabilem excitante. Et ne forſan dubium maneat, quomodo citra communicationem ſaporis amaricantis bilis cum chylo fermentationem ſubeat, refert, aloem & colocynthidem concreta amariſſima fermentationis ope ita cicurari poſſe, ut omnem amittant amaritiem.

In XVIII. de vulnere אל–החומש *ſeu in quinta coſta*, cum quater in lib. 2. Samuelis vulneris in quinta inflicti fiat mentio, inveſtigandum ſuſcipit, quale ipſum fuerit. Monet vero primo per quintam coſtam non e ſpuriis quintam, neque inguen, prout vulgatus vult, intelligi poſſe; nemo enim unquam medicorum ſic locutus eſt, adeoque dubium manet, num in hoc ſenſu locutionem hanc Spiritus ſanctus ſolum adhibeat. Deinde neque ψόα ſive lumbi, ut LXX viralis habet, ſubintelliguntur, cum non a tergo, ſed antrorſum vulnus inflictum ſit, teſte 2 Sam. 2, v. 23. Nec hypochondria læſa ſignificantur, uti R. Jochanan apud Kimchium vult; hæc namque vulnera non tam ſubito neceſſent. Tandem male per abdominis vulnus læſio iſta explicatur, ututid effuſio viſcerum in Amaſa ex vulnere facta confirmare videatur; obſtat enim primo expreſſa coſtæ quintæ appellatio in textu, deinde nil impedit, quin per viſcera effuſa ſanguis intelligatur, cum impetu e corpore fluens. Concludit propterea, nullum aliud ſubintelligi poſſe vulnus, quam cordis; hoc namque non tantum ſub coſta quinta ſitum eſt, ſed læſum etiam ſubitaneam mortem inducit.

In XIX. de Saule Energumeno, deſcribitur ex ſacris literis morbus Regis, quod nempe recedente Spiritu ſancto malus ſpiritus ſuper ipſum requieverit, qui perturbando eundem per certos veluti paroxyſmos in furorem egerit. Inde diſquirendi occaſionem ſumit Noſter, quo morbo miſer Rex implicitus, h.e. num vere a dæmone obſeſſus fuerit, num vero ſolum ſuffocatione, quorſum LXX. & Joſephus in Antiquit. Judaicis inclinant, laboraverit. Rejectis tamen

men cunctis his ſententiis probat, ipſum melancholia dæmoniaca correptum.

In XX. de Clave principiorum Chymicorum, cum non ſolum ab antiquiſſimis, ſed etiam modernis pene cunctis Chymicis pro artis hujus principiis habeantur ſal, ſulphur, mercurius, phlegma & caput mortuum; quare hæc & non alia ad hanc dignitatem fuerint evecta examinat. Clavem vero ex objectis & modis operandi circa eadem facile deſumi poſſe refert. Objectum namque primum ac ultimum, quæ chymicam Διάκρισιν ſubeunt, dicit aquam & terram, ſeu humidum & ſiccum; illa vero deinde (1) evaporatione (2) accenſione (3) ſolutione, pariunt tria illa omnium rerum materialia principia; quicquid enim fumat mercurius eſt, quicquid ardet ſulphur eſt, quicquid denique ſolvitur vel coagulatur ſal eſt. Varia deinde addit, quamobrem principiis his ex regno minerali deſumta nomina ſint impoſita? cur in hoc ordine ponantur communiter, ut primum locum ſal, ſecundum ſulphur, & tertium mercurius occupet. Reliqua brevitatis gratia omittimus.

LEZIONI INTORNO ALLA NATURA DELLE Moſette.

hoc eſt:

Lectiones naturam mephitium concernentes, autore Leonardo Capuano, Academico Inveſtigante.

Neapoli, apud Salvatorem Caſtaldum, 1683, in 4.

PRæfatio his lectionibus ab Editore Autoris filio præmiſſa, illius Academiæ, cujus membrum fuiſſe Leonardum titulus libri jam recitatus teſtatur, originem & fata commemorat. Scilicet ad exemplum Regiæ Societatis in Anglia, & Academiæ Florentinæ, cui nomen a lydio lapide erat, Neapoli Andreas Concublettus Marchio Arenæ viros quosdem clariſſimos ejus urbis invitaverat, ut ſtatis diebus in domo ſua convenirent, ac de ornanda re literaria confabularen-

rentur. Hi nomen *Investigantium* sibi sumserunt, & emblematis loco elegerunt *canem odorum*, apposito verbo Lucretii, *vestigia lustrat.* Vix tamen unus alterque conventus celebratus fuit, cum eo cujus auspiciis viri coiverant, abeunte, Societas ista, unde universæ Italiæ singulare celebritatis incrementum multi prædixerant, iterum soluta est. Viginti nunc anni sunt & amplius, ex quo hæc ita contigerunt, & Leonardus Capuanus in primis istis conventibus discursus tres non ineruditos recitavit, quos tertio abhinc anno Cæsar filius ad conservandam Societatis memoriam publicæ luci exposuit, & Christinæ Suecorum Reginæ inscripsit. *Lectione prima* Leonardus narratione historica recenset loca potiora, quæ terræ putorem enecantem olim emiserunt, aut hodie exhalant. Differit inprimis prolixe de antris & lacubus Neapolim, Puteolum, Bajarum, Cumarumque rudera circumfluentibus, & avernum monet a mephiti eo distingui, quod ille solis avibus, hæc omni fere animalium generi sit exitialis. Deinde veterum pariter & recentiorum philosophorum placita de causis mephitium colligit, quidque singulis incommodi insit, exponit. *Lectione secunda* in fermentatione sanguinis succorumque vitam consistere arbitratus, probat ad eam continuandam omni tam vegetantium quam sentientium multitudini necessarium esse aerem nobis circumfusum, quem viventia pulmonibus destituta instrumentis aliis æque idoneis haurire soleant. Auram vivificam, quæ ex sanguine generetur in cerebro, omnis esse motus in animantibus principium docet, ipsamque pectoris dilatationem non aliunde pendere, quam ab aura ista, quæ ad nutum animæ præsidentis in membrorum nervos decurrat, & sic respirationem, (quam motibus voluntariis accenseri vult) efficiat, aeremque attractum per vasa ad sanguinem comitetur. *Lectione ultima* singulos effectus cavernarum mephitim exhalantium examinat, & eorum reddere rationem satagit. Extingui in istis accensas faces scribit, dum spissi compactique halitus minerales particulis ignem componentibus resistant, easque sic comprimant, ut majori vi cedentes dissiliant ac dissipentur. In animalibus eosdem vapores, qui paulatim e distinctis terræ venis ascendant, ac postmodum in cavitatibus subterraneis uniantur, per vim ingredi organa respirationi dicata, auramque vivificam vel penitus expellere, vel ita contrahere, ut cesset sanguinis & alius

alius omnis motus, adeoque nec vita supersesse possit. Averna, quæ sint lacus, quorum aquas penetrent halitus minerales e fundo adscendentes, solis esse avibus exitialia, quod hæ liberiore aere, cujus vis elastica a vaporibus minus impedita sit, opus habeant, alia autem animalia facilius aerem exhalationibus imprægnatum tolerent. Sub finem universi tractatus inquirit, cur avernus in agro Campaniæ quondam Plutoni ob funestos effectus dicatus, jam a longo tempore, & pisces ferat, nec amplius sit avibus exitio? eorumque opinioni subscribit, qui causam in incendia adjacentis Gauri, quem hodie Barbarum vocant, Petrarcha vero & Boccacius male pro Falerno habuerunt, rejiciunt, & halitus letiferos, qui olim aquas penetraverint, nunc deflagrasse existimant. Cæterum non pauca ad historiæ naturalis incrementum pertinentia, de corporibus intra terræ sinum absconditis, & cum his, quæ quotidie oculis usurpamus, proxime convenientibus jucunde & erudite passim miscet.

QUADRATURA CIRCULI INFINITIS modis demonstrata a Dethlevo Cluvero, e Soc. Reg. Anglicana.

NOn tantum fama, quæ incerta certis, ac quadrata rotundis sæpius miscere solet, sed ex literis fide dignis, Londino subinde ad nos datis percepimus, Virum Clarissimum *Dethlevum Cluverium*, celeberrimi illius Polyhistoris *Joh. Cluveri* nepotem, arduum illud (quodque mortalium captum tantum non superare videbatur) Problema de *Quadrando circulo*, iis tandem adstrinxisse legibus, ut non tantum innumerabiles sive infinitas approximationes, diversas plane ab omnibus illis, quæ hucusque lucem aspexere, sed & geometricam invenerit viam, qua magnitudo circuli secundum genuinam infiniti indolem exhiberi ac describi possit. Quibus ratiociniis (admiratione omnino dignis) adeo abstrusum negotium eousque perduxerit, uberrime in Actis nostris exponetur, quamprimum ipsius de SCIENTIA INFINITI liber ad manus nostras pervenerit; vel ipsi *Auctori* perfectam demonstrationis seriem, doctissimorum

rum per Europam Mathematicorum judiciis jamdudum expositam, nobiscum communicare placuerit. Destinata quidem nobis erat ampla nobilissimi hujus inventi descriptio, autumno anni elapsi; sed quæ fato literarum, vel pessima tabellariorum negligentia intercidit. Quo autem Lectori harum rerum curioso generales quasdam notiones de nova hac quadratura ingeramus, lubet easdem paucis verbis ex ipsis *Autoris* literis Londini ad nos die $\frac{4}{14}$ Junii 1686 datis excerpere.

Demonstrat scilicet, ac fundamenti loco supponit, *Ideam Maximi* omnia *in Infinito minima* ad uniformem rationem redigere: ita assumtis ad libitum tribus lineis A, B, C (quibus circuli figura determinari solet) tria harum linearum quadrata, simpliciter vel hoc modo disposita

$$+\frac{C^2\,B^2}{A^2} + \frac{C^2\,A^2\,B^2\,A^2}{B^2\quad C^2}$$

$$+\quad -\quad +$$

una cum alia quadam, uni- bi- triformi numerorum progressione, quadratica ipsis præfixa totam circuli compagem efficient ῥητὴν, effabilem sive rationalem. Necesse autem est, ut hi numeri velut coefficientes quadratorum, eam inter se observent harmoniam, ut summa primi & secundi producat numerum quadratum; tertius autem subtractus a primo & secundo relinquat itidem duos quadratos. Ex hac enim trinitate principiorum, tum area circuli, tum longitudo curvæ cyclicæ, sive in numeris fractis, sive integris infinitis modis in myriadibus figurarum statim poterunt exprimi; & quidem absque ulla radicum extractione, sive Algebraica sive Arithmethica. Supposito hinc v. g. radio $= 1$, quarta pars peripheriæ, $\frac{1}{4}$ C, erit $= 1 + \frac{2}{5} + \frac{36}{325} + \frac{5488}{1600225} +$ &c. & tota $C = 5 + \frac{3}{5} + \frac{144}{325} + \frac{21952}{1600225} +$ &c. sive $6 + \frac{144}{325}$ &c. quibus infinitum cyclicum per giganteos progressus expugnatum, in nihilo tandem rationis universalis ideam assumit. Repræsentant autem istæ fractiones numerorum, totidem in circulo spatia, quæ in infinitum intra ejusdem ambitum diffusa, perpetuo sunt inter se ut numerus ad numerum. Centra vero magnitudinis vel gravitatis horum spatiorum per infinitam rationum com-

compositionem inter se connexa, ostendent geometricam Problematis constructionem. Quamvis & aliis innumeris modis eadem conclusio ex datis possit elici. Quin imo *Autor* noster his & similibus innixus principiis, *stellarum in cælo* GENESIN a priori demonstrandam aggressus (rem plane incognitam in philosophia) quamlibet *stellam*, novam ac diversam *Infiniti* comprehensionem interpretatur. Eritque *quadrare circulum* hoc quidem sensu, nihil aliud, quam EX DATA LINEA construere MUNDUM, DIVINÆ MENTI ANALOGUM; sive geometrice exhibere productum infinitum omnium numerorum, in naturali serie 1 in 2 in 3 in 4 in 5 in 6 in 7 &c; hoc est, omnes Transpositiones, Generationes ac Conjugationes rerum, quæ per naturam fieri possunt, universali quadam Idea includere. Quod equidem quantis ac quam immensis difficultatibus sit indere. Quod equidem quantis ac quam immensis difficultatibus sit involutum, cuivis Philosophiæ initiato perspectum est. Nemo autem majori voluptate vel veneratione hæc mysteria prosequi poterit, quam qui geometriæ peritus per varias ambages in Tetragonismo inveniendo sese jam excruciaverit. Omnes enim aliorum in hoc genere conatus tum facilitate superat, tum irrationales illas distractiones ex infinitis dissimilibus congestas æque dissipat hæc nova INFINITORUM SIMILIUM METHODUS, quam ipsius Clarissimi *Autoris* verbis perquam dilucide descriptam, brevi in Actis nostris exhibituri sumus.

DESCRIPTIO NOVI MICROSCOPII, AUTORE DN. JOSEPHO Campano, ejusque usus.

ADn. Schelstrateno, Vaticanæ Bibliothecæ Præfecto, in literis d. 15 Junii a. 1686 Romæ exaratis, communicata.

Adjunxit præstantissimus hic Vir ingeniosis inventis suis microscopium aliquod, cujus altitudo maxima ad quinq;, minima infra tres pollices extenditur, quodq; multo adhuc brevius confici potest. Præstat hoc omnib9 aliis in hunc usq; diem constructis, quamvis etiã multis lentibus constent, objectorum ampliatione, campi majore extensione, claritate ac usu. Auget enim objecta magis ac microscopia alia quæcunque, etiam sexies vel septies majora. Expandit campum majorem sua ipsius diametro, ampliusque ac sua est altitudo. Mire conservat claritatem suam (nimia objectorum ampliatione alias imminui perdive solitam) etiam in ipsis objectorum extremitatibus. Usus

porro

porro est singularis; cum basis objectum microscopio subjiciens cuivis inclinationi, cum commoda semper luminis receptione, inserviat. Conducit hoc microscopium observandis omnium generum objectis, pellucidis, opacis, solidis, fluidis: hæc vero duobus vitris includit, in qua custodia & animalcula per aliquot dies ita asservari possunt, ut facillimo negotio quæcunque animalculi pars exacte repræsentetur. Unde in diaphanis motus nervorum, humorum & chyli; ut & animalcula in semine quorumvis viventium longe facilius hic observantur, atque ope microscopii guttæ sphæricæ, a Dn. Lewenhoek jam inventæ. Adde quod & basi a microscopio hoc remota, idem inserviat inspiciendis vulneribus & plagis viventium, omnibusque aliis vel minimis particulis cujuscunque membri corporum anatomiæ subjectorum.

TAB. X. Subjicimus tabulam, in qua n. 1 ipsius microscopii figura apparet, qua ipsius usus cum cæteris microscopiis communis exhibetur. 2 habetur hujus microscopii usus singularis ad intuendum corpora transparentia. 3. ejus usus ad conspicienda vulnera & cicatrices.

LIBRI NOVI.

ISaaci Vossii observationum ad Pomponium Melam Appendix &c. Londini apud Rob. Scot. 1686, in 4.

Miscellanea; in quibus continentur, Præmonitio ad Lectorem de infantum communione apud Græcos: Defensio libri de Græcæ Ecclesiæ statu: Brevis narratio de D. Cyrillo Lucario Patriarcha CPtano &c. Auth. Th. Smith. Londini 1686, in 8.

Prejugez legitimes contre le Jansenisme, avec une Histoire abregée de cette erreur depuis le commencement des troubles, que Jansenius & M. Arnaud ont causez, jusques a leur pacification &c. a Colagne 1686, in 12.

Les plaintes des Protestans cruellement opprimez dans le Royaume de France. A Cologne 1686, in 12.

Lettre d'un homme desinteressé écrite au sujet de la Réponse qu'on voit ici faite de la part de M. de la Chaise a la lettre que M. Spon lui a ecrite. a Cologne, 1686, in 12.

Entretiens sur la pluralité des mondes, par l'Auteur des Dialogues des Morts. a Paris 1686, in 12.

Considerations sur le Traité Historique de l'Etablissement & des prerogatives de l'Eglise de Rome & de ses Evéques par M. Maimbourg, a Cologne 1686, in 12.

De l'utilité des voyages & de l'avantage que la recherche des Antiquitez procure aux Scavans, par M. Baudelot. a Paris 1686, in 12.

TAB. X. ad annum 1686. pag. 372.



Novum Microscopium Dn: Iosephi Campani, ejusque usus.

porro
vis incl
Condu
ctis, pe
dit, in
sunt, u
sentetu
li; ut &
observ
hoek
idem i
que al
tomia
Tab. X. Subj
ipsius
hujus
tia. 3.

I Saac
p
Misce
cor
na
Lo
Preju
reu
ca
Les p
A
Lettr
de
16
Entr
al
Con
d
in
Del

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Augusti A. M DC LXXXVI.

DE SPECIFICORUM REMEDIORUM CUM Corpusculari Philosophia Concordia. Cui accessit dissertatio de varia simplicium medicamentorum utilitate usuque, Autore Roberto Boyleo, Nob. Angl. Soc. Reg. Soc.

Londini, impensis Sam. Smith. 1686, in 12.

QUanto Philosophus ille Britannicus industriam suam non vulgarem & incomparabile ingenium sæpius testata fecit orbi erudito, tanto avidius ille, quicquid in publicum emittit illustris Autor, & inter cætera præsentia quoque opuscula amplectetur. Nec parum se debere viro quoque isti summe erudito, literis D.F. notato, qui ansam Boyleo dedit hæc meditandi scribendiq;, intelligunt omnes, quotquot vel sublimiorem Philosophiam, vel artem Medicam amant. Quapropter nec ingratum Lectori Benevolo arbitramur futurum, si nonnulla eorum, quæ hisce tractatibus continentur, memoremus, plura evitandæ prolixitatis ergo relinquentes attentioni Lectoris.

Ad demonstrandam autem specificorum remediorum cum philosophia corpusculari concordiam, ante omnia supponit, specifica morborum remedia revera extare, h. e. dari ejusmodi remedia, quæ in morbo quodam si non semper, plerumque tamen cum felici successu adhibentur, quamvis occulta sit eorum operandi ratio, ut ad manifestam qualitatem reduci nequeat, e. g. Cineres cancrorum esse specificũ adversus morsum canis rabidi, oleum scorpionum contra ictum eorundem, serpentariam Virginianam adversus morsus

ſerpentum, corticem Peruvianum adverſus febres intermittentes. Cumque ſpecificorum alia ſint interna, alia externa, hinc de internis monſtrat, eorum vim in ventriculo non imminui aut immutari. quemadmodum enim rhabarbarum largius exhibitum urinam tingit, & pyra illa variegata, in coloniis Anglicanis Americæ nata, lotium quaſi ſanguinolentum reddunt, elaterium a capra comeſtum lacti vim catharcticam confert, allium a vaccis depaſtum ſimili odore lac atque butyrum inficit, &c. ita & ſpecificorum vires non deſtrui a ventriculo exiſtimat, præſertim cum pauciſſima ac minima corpuſcula ſufficiant ad producendum effectum; prout alias externe tantillum veneni, quod in viperæ morſu communicatur, & ſubtiliſſima effluvia moſchi horrenda non raro ſymptomata inferunt, & interne croci metallorum infuſio ſine ſenſibili ejus diminutione vomitus non numerandos excitat, & infuſio mercurii vivi vermes necat, etſi nulla circa ſaporem vel odorem in aqua percipiatur alteratio.

His præmonitis docet porro, quædam ſpecifica in morbis chronicis, ſi quid diſcutiendum aut reſolvendum ſit, operari inſtar menſtruorum, figura, atque ſoliditate viſcidũ iſtud morboſum diſſolvendo. Quædam vero deſtruendo acidum plurimorum morborum cauſam. Alia præcipitando materiam peccantẽ, qualia in ita dictis morbis putridis egregie convenire credit, quippecui notiſſimũ eſt præcipitans cujus paucula grana, ſi aquæ putridæ injiciantur, omnẽ ilico fœtorem præcipitando extinguunt. Alia peculiari facultate cor roborando; cum enim viſcerum ſtructura multum inter ſe differat, probabile eſt omnino, medicamentorum alia huic, alia illi convenire parti, ita ut commorando in ea, vires ejusdem augeat ad reſiſtendum morbo. Alia producendo in maſſa ſanguinea eam diſpoſitionem, qua natura poſſit corrigere & expellere cauſam morbificam. Denique alia uniendo ſeſe cum materia peccante, dum non neceſſum ſit ut ſemper expellatur, ſi modo corrigatur & alteretur debite. De externis poſtmodum ſpecificis ita diſſerit, ut ſtatuat ea per cutis poros ingredi ad interiora, uti conſtat exemplo cinguli mercurialis in ſcabie, amuleti arſenicalis in peſte cor maxime diſturbantis, item cantharidum in manu aut pera detentarum doloremque veſicæ inferen-

rentium. Hunc autem in finem ait ſufficere tenuiſſimam portionem, uti jamjam de internis ſpecificis annotatum eſt. Adhæc externa in eo feliciora eſſe, quod adhuc minus alterentur quam interna. Itaque ut vires etiam externorum ſpecificorum commonſtret, affert radicem pœoniæ e collo geſtatam contra epilepſiam, dentem hippopotami & ungulam alces adverſus ſpaſmum, muſcum cranii humani adverſus hæmorrhagias, lapidem Carneolum in palpitatione cordis, lapidem ſanguineum ex Hiſpania nova allatum itidem contra hæmorrhagias, lapidem nephriticum contra calculum &c.

In altera Diſſertatione de utilitate ſimplicium medicamentorum agit illuſtris Autor, eandemque variis commendat argumentis. Primo ſimplicia anteponit compoſitis ideo, quod certiora ſint, quoniam plurima corpora mutatione texturæ ſuas quoque qualitates mutant, uti ſatis liquet ex allegatis exemplis.

Secundo tutiora quoque eſſe ſimplicia inde probat, quod cum non pauci ſint, qui moſchum aut ambram, roſas, mel atque ſimilia non tolerent; ad hæc multa concreta præter virtutes medicamentoſas ſimul admixtas habeant qualitates nocivas, uti exemplo apii & abſinthii conſtat, hinc facilius aberratur in plurium medicamentorum compoſitione. Neque enim ſequitur, quæ ſeorſim ſumta bona ſunt, talia quoque permanere in mixtura.

Tertio ſimplicia magis ſunt parabilia, nihilominus ſatis efficacia, e. g. Aqua calcis vivæ externe & interne multis in morbis conducit, & in ſpecie externe contra ambuſtionem egregie valet, ſi cum oleo lini miſceatur in unguentum. Interne oleum lini expertum eſt ad pleuritidem ſuppuratam; ol. terebinthinæ hæmorrhagias ſiſtit externe, vulnera ſanat atque ipſam gangrænam tollit; ol. nucum antiquum adverſus calculum eſt præſtantiſſimum, ſapo Venetus adverſus icterum.

Quarto uſus ſimplicium materiæ medicæ notitiam egregie juvat & auget. Etenim ſatius omnino foret pauca examinaſſe ſimplicia, eorumque naturam, culturam, modum colligendi & aſſervandi majore cum ſtudio obſervaſſe, quam innumera coacervaſſe pompoſis formulis, inſtar Theriacæ vel Mithridatii.

Quinto, cum concreta dentur polychresta, quæ si chymice tractentur, diversissima præbeant remediorum genera, v. g. ex antimonio emeticum, purgans, sudoriferum, aperitivum, diureticum, bezoardicum, cardiacum &c. itaque melius est ejusmodi corpora dextre præparasse, posthabitis tamen magnificis processibus; quandoquidem præparationes perite variatæ non inutiliter substituuntur compositionibus, plerumque minus accuratis.

Sexto, si vel maxime a diversarum causarum concursu variæ quoque in morbis concurrant symptomata, non necessum tamen est plura adeo anxie conquiri, siquidem non modo remedia dantur ad varios casus idonea, sed & minus homogenea, ut ad maxime etiam diversa symptomata feliciter adhibeantur. Ita enim cortex citri calidus est & acris, succulenta vero pulpa refrigerans & acida: rhabarbarum & purgat & adstringit, atque ideo excellens in dysenteria est remedium.

Denique loco conclusionis subnectit ipsa simplicia sic satis esse composita, adeoque tam varium quoque præstare usum, uti monstrat exemplo hederæ terrestris, acidularum &c. adhæc horrenda sæpe symptomata ab unica oriri causa, uti in morsu animalium venenatorum, in passione hysterica aliisque satis apparet.

Herrn Veit Ludwigs von Seckendorff teutsche Reden an der Zahl vier und vierzig / sampt einer ausführlichen Vorrede von der Art und Nutzbarkeit solcher Reden / ꝛc.

Leipzig / verlegts Joh. Friederich Gleditsch / 1686.

id est:

DOMINI VITI LUDOVICI A SECKENDORF Orationes Germanicæ quadraginta quatuor, cum præfatione de indole & utilitate ejusmodi orationum, & additamentis aliquibus.

Lipsiæ apud Joh. Frid. Gleditschium, 1686, in 8.

Eo

Eo versari loco studia nostra oratoria, ut minus videantur sufficere hominibus ad praxin & vitam deducendis, sæpe deprehensum est a viris passim clarissimis: qui cum crederent, rem adeo nobilem vix absolvi posse declamationibus scholasticis, in se quidem non contemnendis, id optaverunt semper, ut aliquis tandem cultus accederet oratori tum ecclesiastico tum politico. Et eloquentiæ quidem ecclesiasticæ sua non defuerunt subsidia, quod in academiis facile haberentur viri, qui non minus exemplo suo quam regulis, e natura hujus facundiæ petitis, desiderio discentium satisfacerent. Ast similem felicitatem omnino sperare non potuerunt politici. Nam si practica hæc facultas dependet a regulis simul & exemplis exemplorum certe sive copiam, sive pleniorem notitiam illi non possidebant, qui continuo non essent in aulis versati; cæteri vero quo magis aulicam hanc lucem fuissent secuti, tanto minus vel curabant regulas, quod ipsi profeciissent experiendo, vel easdem in ordinem redigere vix sustinebant, quod negotiis vacarent sublimioribus. Sane prostabant in Actis publicis varia sermonum genera, quibus adjuvari posset curiosæ hujus eloquentiæ studiosus: sed magnum quoque momentum repositum erat in consuetudinibus, ceremoniis, stylo quem vocant curiæ, aliisque circumstantiis, quibus assequendis non acri ingenio, sed propiore experientia erat opus. Ac tanto minus expectari poterant exempla in hanc rem idonea, quod plerique extemporaneam suam dicendi rationem secuti, nihil in chartam conjeciissent, reliqui scripta sua committerent amicis, qui thesaurum pretiosiorem occultando reddebant.

Hæc secum reputans Vir illustris, cum literarum studiis per triginta annorum splendidissima in aulis ministeria experientiam, inter multas solennia audiendi & loquendi occasiones, junxisset, amicorum tandem precibus & publicæ simul utilitati satisfecit. Edidit enim, quæ antequam dissereret, in schedas, quantum per negotia licebat conjecit; fortuita enim proferre, nec illorum pro quibus, vel ad quos loquebatur, nec suæ convenire putavit dignitati & personæ.

Habentur autem in libello, qui nunc prodiit, Orationes ad Sereniss. Duces Saxoniæ, Ernestum & Mauritium, Natalitia una, Januariæ quindecim; in comitiis provincialibus nomine Principum

habitæ quinque, Principum nuptiales duæ, pro Miniſtrorum aulicorum introductione octo, in Comitiis provincialibus nomine Statuum habitæ octo, Nobilium nuptiales duæ, in condito Principis teſtamento una, Parentationes in Illuſtrium virorum exequiis duæ.

Equidem ea ſunt exempla, quæ apertam cuivis imitationem non pollicentur, qui nec ad tales loquatur Principes, nec in hoc dignitatis gradu conſtitutus ſimilem afferre poſſit auctoritatem : ac omnino referri merentur ad Orationes heroicas, quas venerari magis licet eloquentiæ ſtudioſo admirando, quam imitando. Tria tamen ſunt, quorum cognitio pertinere videtur ad plures. Primo quibus artificiis eruditio cum eloquentia civili poſſet conjungi, demonſtravit. Deinde quibus verbis curiæ ſtylus vota ſua & obſequia præſtari velit, perfectiſſime exhibuit. Tandem ut ad pietatem ac prudentiam ſingula dirigerentur, ſedulo proſpexit. Ac quo minus in ſtylo plenam obtineret gloriam, dubium non eſt, qui pro ſchola habuit aulam. Neque pietatis & prudentiæ vulgarem afferre potuit apparatum, qui in Dedicatione ad Principes aulæ Gothanæ aſſerit, quicquid de pietate, clementia & benignitate, juſtitia, parſimonia, amore ac fidelitate inter principes & ſubditos, de officiis miniſtrorum, & hujusmodi argumentis aliis, fuiſſet propoſitum, id non a ſpeculationibus ſcholaſticis, ſed a propioribus Principum exemplis, vel cordatiorum conſiliis ortum traxiſſe, nec praxi & effectu penitus caruiſſe. Eruditionis vero exquiſitiſſimum apparatum ubique adſperſit, ut ſubinde petitas tum e ſacris, tum e priscorum ſcriptis alluſiones, ſingulari miraculo aulicorum quoque guſtui commendaret. Nam ut e paucis cognoſcantur omnes, in prima natalitia dictum habet Pſalmi ſecundi: *Reges intelligite, erudimini qui judicatis terram.* In prima Januaria doctiſſime diſſerit de Jano bifronte, ac gemino veluti vultu tandem gratulando reſpicit ad præterita, vovendo proſpicit ad futura. In altera Januaria phœnicis fabulam perſequitur, annumque ſic præteritum phœnici jam concremato, novum renaſcenti comparat. Porro loquitur de hieroglyphico Ægyptiorum, qui tempus præteritum lupo, præſens leoni, futurũ cani dixerunt comparandum: de Salomonis dicto Eccleſiaſtæ XI: *dulce lumen, & delectabile oculis eſt videre ſolem* : de formica; de ſolſtitio hyberno: uno verbo, ſic in omnibus nova curioſitate placet, ut nec tædium olim audientibus, nec hodie legentibus ſuboriri poſſit.

Cæterum ne ſolis exemplis profuiſſe videretur, accuratam præmiſit Diſſertationem *de natura & conſtitutione orationum politicarum*, qua non tam ſui operis, quod jam evulgavit, egit cauſam, quam neceſſaria ſimul hujus ſtudii requiſita congeſſit. Primo quærit de oratoris lingua, nullamque credit alteri præferendam, ſi adhibeatur cultura. Non tamen diſſimulat, earum gentium linguas effloruiſſe præ cæteris, quæ intercedentibus commerciis manaſſent ad plures, vel ob libertatem populi perſuaſionum elegantiis habuiſſent opus : cum ex adverſo monarchia parcior ſermonum eſſe conſueverit. Deinde progreſſus ad vernaculam noſtram, tres ejusdem facit periodos. Primam ab antiquitate prima ad introductum Chriſtianiſmum; quo tempore colligit non defuiſſe viros eloquentes, quod in populo maxime libero unum valuiſſet ſermonis imperium, allegatis ſimul Gallorum & Anglorum exemplis. Alteram a primo Chriſtianiſmo ad Rudolphum Habspurgicum, vel ad *Lutherum* ſeu reformatæ religionis tempora, quo intervallo Clerici quidem ſuæ latinitatis uſum eminere voluerunt, ſic tamen ut in comitiis principes ſua lingua res ſimpliciter proponerent, & ex Germanis quidam Latinis ſtudiis innutriti, aliquas ſenſim elegantias in vernaculam transportarent. Tertiam a Luthero usque ad noſtra tempora: quem virum in Germanicæ dictionis puritate, ſuo merito, prorſus ſingularem fuiſſe prædicat. Nec nihil tribuit hominibus in Miſnia natis, quorum quidem dialectus ab idiomate ſcribentium quam minime diſcedit. His præſuppoſitis ad ulteriora delatus, perſonam loquentis, argumentum & artificium perſequitur. Perſonam inſtruit, quanto diſcrimine ſermo fieri debeat, vel ad ſuperiores, ubi deceat veneratio ſine ſervili adulatione; vel ad inferiores, ubi locum inveniat gravitas humanitati mixta; vel ad pares, ubi cavendum ne nimiis blanditiis ſuſpicio moveatur falſitatis, nec nimia jactantia odium ſuperbiæ concitet: nonnulla ſimul monet de ſtylo, qui pro eruditione vel conditione auditorii prudenter ſit temperandus. Argumenta ex re ipſa peti jubet: etſi non diſſimulat, deeſſe orationes quæ pertineant ad eloquentiam legati: idque ea de cauſa, quia vel mera *curialia*, vel ipſa rerum momenta continent

nent, quorum illa vulgata sunt, hæc suis, absque aliunde accito ornatu, nituntur argumentis, nec imitationem facile admittunt. Isto loco brevem intendit digitum ad scientiam vel prudentiam sermonis secreti & privati, cujus pleniorem illustrationem jam desideraſſet Verulamius. Cæterum ingenue profitetur Autor, consuetum aulici sermonis modum & olim fuisse, & nunc in summis aulis frequentari & probari, qui neglectis historiarum ac moralium quæstionum flosculis, simpliciter in ipsa propositione conquiescat, & amplificationis loco non nisi votorum, oblationum, ac titulorum synonyma decenter conquirat. Cur tamen ipse morem hunc deseruisset ac propositioni quandam indulsisset allusionem, ad Ducem refert Erneſtum, qui a verbositate abhorrens, tamen ubi ex more loquendum esset, aspergi aliquid ad virtutem excitans desideraverit, eaque fini digressionibus uti; tum ad celeberrimum Jureconsultum Georgium Franzkium, Cancellarium & Oratorem illius aulæ clarissimum, quem in omni hoc genere habuerit manuductorem. Pauca sub finem de pronunciatione & actione graviter monet. Hæc de orationibus. Inter *additamenta*, quæ titulas indigitat, reperiuntur oratiunculæ Latinæ quatuor, una qua Autor anteceſſori suo Cancellarii munus resignanti respondit; tres, quibus ministerii Ecclesiastici Candidatos, in Consistorio examinandos, exhortatus est.

Succedunt dissertationes duæ, jussu Sereniſſimi Ducis Erneſti dudum conceptæ, *de notitia juris tum civilis tum naturalis*, quatenus ea verbis Germanicis accommodari debeat ad captum hominis non eruditi. Denique ut cum suis orationibus conferri possent, quæ antiquiori & alicubi nunc quoque usitato stylo, absque ornatu literario haberi solent, produxit nonnullas ex manuscriptis Prosoceri sui, splendidi quondam in Thuringis Equitis & Consiliarii Saxonici, *Georgii a Vippach*, quas is ineunte hoc seculo in solennitatibus aulicis cum applausu pronunciavit.

Samuelis Pufendorff continuirte Einleitung zu der Historie der vornehmsten Reiche ꝛc.

seu

seu

SAMUELIS PUFENDORFII CONTINUATIO Historiæ de præcipuis Regnis & Statibus Europæ, in qua regnum Suecicum ejusque res ac bella cum exteris regnis gesta describuntur.

Francofurti ad Mœnum, sumtibus Friderici Knochii, 1686, in 8.

ANnus jam labitur quartus, quod *Autor libri hujus amplissimus*, Isagogen historicã de præcipuis Europæ Statibus, in Actis nostris anno 1782 pag. 366 recensitam evulgavit. Quæ ut in Germania & apud exteros, qui illam ex idiomate Germanico in linguas suas transtulerunt, adplausum meruit, ita amplissimi regni Suecici in illa descriptio omissa passim desiderata fuit. Quod cum *Autor nobilissimus* intellexisset, desiderio studiosæ juventutis & aliorum etiam hac in parte velificandum censuit; ideoq; libro hoc antiquissimas regni Suecici origines evolvens, fata, quibus illud ante & post natum mundi Salvatorem, obnoxium fuit, remotis fabulis, queis veterum rerum Gothicarum scriptorum libri scatent, dilucide exposuit. Primum quidem Suecicum inter Europæ regna antiquissimum esse, haud levibus argumentis nixus confirmat. Deinde *Ioh. Messenium*, clarissimum inter Suecos historicum secutus, vetustos Suecorum reges cum bellis adversus Danos cumprimis varia fortuna gestis memorat: & pag. 16. Regem Fregerum, vel ut alii vocant, Frivonem aut Frothonem tria septentrionis regna tenentem laudat, quo imperante CHRISTUS redemtor orbis natus dicitur. Post hujus nativitatem anno 829, Berone (vel Biörn dicto) imperante, Ansgarium monachum Corbejensem ac postea episcopum Bremensem, a Ludovico Pio Imperatore in Sueciam missum, religionem Christianam, rege licet obnitente, propagare conatum memorat, qui cum post regis nominati jam excessum in Sueciam rediisset, majori cum successu Evangelium de Christo prædicarit. Anno Christi 1154 Ericum R. Sanctum cognominatum, Finlandiam subjugasse, gentemque barbaram ac ferocem simul ad fidem Christianam

amplectendam perduxisse refert. Margaretæ Danicæ, quæ Alberto Megapolitano regnum Sueciæ extorserat & cum Norwegia ac Dania conjunxerat, res gestas pag. 139 seqq. accurate, persecutus, ea quæ post excessum ejus, sub Rege Erico & Christophoro duce Bavariæ gesta annotat. Inde Gustavi virtutem, qua regnum Sueciæ a Christierni Daniæ Regis jugo liberavit, dilaudat. Qua occasione religio Lutherana in Sueciam translata, & obnitente licet Johanne Magno, ibidem propagata fuerit, pag. 308 seqq. tradit. Lubecensium vasta consilia contra Daniam & Sueciam agitata p. 355 recenset. Tandem post alias res memoratu dignas, & varias machinationes Pontificiorum, quibus sacra sua, rejecta religione Lutherana, reducere in Sueciam moliebantur, Suecorum bella hoc nostro seculo cum Polonis, Moscis, Germanis & Danis gesta prolixius describit, addens judicium politicum, quo characterem Suecorum, nec non eorundem rationem status prudenter notavit.

REFLEXIONS SUR UN CHAPITRE DE Theophraste, ou Discours de la Superstition par J. du Rondel,

hoc est:

J. Rondelli animadversiones in caput quoddam Theophrasti, seu Discursus de Superstitione.

Amstelodami, apud Abrah. Wolfgang, 1686, in 12.

IN elegantulo libello, aut fragmentis potius libelli, quem de morum characteribus conscriptum reliquit Theophrastus, haud postremum locum obtinet caput, quod περὶ δεισιδαιμονίας seu de superstitione tractat: quod ipsum, cum difficultatibus nonnullis premi videretur, discursu hoc suo ad amicum anonymum exarato illustrare quadantenus sategit Rondellus, Trajecti ad Mosam Professor Græcæ linguæ & Collegii Rector. Ac primo quidem de eo sollicitus est, quomodo Theophrastus, tam strenuus alioqui deorum assertor, hoc in capite contemtim adeo de talibus loqui potuerit, quæ ad deorum cultum spectare tum passim credebantur, ut & ipsum erga

erga deos metum superstitionis titulo appellare non fuerit veritus. Inprimis vero inter cæteras causas, quas interveniisse conjicere quis posset, inquirit, numne impietati aut atheismo cuidam libertas hæc loquendi adscribenda sit: certe enim constat, id criminis Theophrasto ab Eumolpidarum aliquo Agonide olim objectum fuisse. Absolvit tamen eundem ab hac criminatione Autor, ostendens quonam ex fonte falsa hæc inculpatio fluxerit: idque ut ulterius comprobet, adducit pag. 25 locum egregium ex Theophrasti fragmentis, quem, cum ejus saltem particula apud Simplicium reperiatur, integrum sibi a nobili quodam Italo, celebris illius comitis de Pagan cognato communicatum perhibet, repertum, ut ait, in quibusdam Philelphi literis: in quo ipso scilicet loco Theophrastus graviter satis de innato nobis numinis sensu disseruisse deprehenditur. Cæterum quo minus profanam adeo de diis sententiam foveret, putat Autor eundem deterreri etiam potuisse recenti tum nimis ac pudendo exemplo Aristotelis, sui quondam præceptoris, qui scilicet, cum in Mysiam ad imbuendam literis Pythiadem, Hermiæ Atarnensium tyranni propinquam, accersitus esset, tanto juvenculæ hujus amore senex licet flagrare cœperit, ut eam divinis honoribus colere ipsique sacrificare non erubesceret, ac licet ea propter Areopagus ipsum Chalcidem relegasset, tam tenax nihilominus novæ hujus & ridiculæ religionis manserit, ut eidem etiam immoreretur. Concludit itaque, Theophrasti mentem neutiquam fuisse altaria destruere, aliasve omnes ceremonias abolere; sed tantum stupiditatem vulgi corrigere, divinitatis nempe ideam trunco ligneo alligantis: alioqui non ignorasse eum, quantum ad coercendos imperitorum animos conducat superstitio; sed noluisse saltem, ut in eadem excederetur. Porro pluribus deducit, qualem efficaciam apud vulgum habere sacrificia, processiones ac similia, & quomodo in officio homines continere potuerint. Qua occasione agnoscit paganos, non obstante ipsorum superstitione, boni tamen aliquid in religione sua habere potuisse; ac, si concedatur, religionem eam a vera non abludere, quæ statuit esse Deum, eundem omnium curam agere, ac factorem esse hujus universi; Athenienses etiam id largiendum fuisse, utpote qui tres hosce articulos indubie crediderint. Certe eam sententiam Philosophis omnium sectarum communem fuisse,

utut talioqui tantopere discrepantibus inter semet adstruit; idque speciatim ex principiis Platonicorum, Stoicorum, Peripateticorum, Epicuræorum, Cynicorumque deducit. Sed tamen & ante has Philosophorum sectas haud negat inter ethnicos extitisse virtuosos; quin potius omni ævo visa fuisse nobilia horum exempla, omnis etiam conditionis ac sexus, largitur. Inter alia, quæ allegat hoc nomine, delabitur ad heroicum Lucretiæ factum, idque contra eos, qui impugnare id ac improbare sustinent, prolixiuscule defendit, ac ex principiis quidem religionis tum vigentis ostendit, eam secus, atque fecit, agere honeste haud potuisse. Ulterius, ut id, quod dixit, in superstitiosis ethnicorum tenebris aliquas veri scintillas latuisse, magis confirmet, non dubitat asserere, sacratissimorum etiam religionis nostræ mysteriorum vestigia & umbras aliquales in gentilium sacris deprehendi; puta Trinitatis in Apolline sub triplici forma repræsentato; item in Sanco, Fido & Semone, utpote quibus nominibus unum idemque numen cultum esse constat: pariter incarnationis mysterium ex fabula Æsculapii, item Promethei speciose satis adumbrat. Fatetur quidem se dubitare, unde gentilibus hæc talia innotescere potuerint, cum revelationem utique præsupponere videantur: arbitratur tamen harum quoque rerum naturalem quendam forte dari sensum, non secus ac ipsius divinitatis, magis licet obscurum, confusum ac in hominum cordibus tantum non penitus obliteratum. Probabilius id ex eo evadere putat, quod experientia teste constet, in aliis quoque rebus humanam mentem sibi relictam quandoque formare sibimet ideas rerum, antea nec visarum, nec auditarum, quas tamen reipsa tales extare postmodum liqueat. Exempli loco adducit historiam J. C. Scaligeri, cui aliquando per somnium apparuit Brugnolus quidam, celebris quondam apud Venetos Grammaticus, nomen ipsi suum, patriam ac professionem commemorans, de quo tamen expergefactus nil unquam aut legisse aut inaudiisse se recordari potuit; uti testatur in eleganti carmine, quod in hujus rei memoriam, & præter somnium adhuc dum ignoti Brugnoli honorem composuit: extitisse vero aliquando hujus nominis virum, decennio demum post edita parentis carmina, filius Josephus Scaliger sciscitando perdidicit. Eodem referendum ait Autor, quod

quod inter Americanos, ab iis, qui ex nostris primi has in terras appulerunt, tot fidei capita ac ceremoniæ deprehensa fuerint, quæ nostræ religionis umbram rituumque figuram manifesto satis retulerint, quorum longum catalogum ex Montano recenset. Extremas libelli paginas dilucidandis quibusdam difficultatibus criticis impendit, quæ post commentarium etiam Casauboni, in hoc Theophrasti capite resedisse videbantur: a Casaubono enim noster hinc inde, quoad lectionis maxime diversitatem & consimiles conjecturas, secessum facit; protestatus tamen, se magni illius viri autoritati hoc ipso nil quicquam derogatum velle, utpote cujus egregiæ in hunc Theophrasti libellum notæ dudum eruditorum applausum meruerint. Tacendum denique non est, Autorem nobis hoc in libello *pag. 163.* promittere commentarium suum in Gazæum, uti & *pag. 73* secundam editionem Vitæ Epicuri, prima & auctius & emendatius propediem in publicum prodituram.

DELLA LIBRARIA BRESCIANA NOUVAmente aperta da Leonardo Cozzando parte prima.

h. e.

Pars Prima bibliothecæ Brixiensis nuper reseratæ a Leonardo Cozando.

Brixiæ, apud J. M. Rizzardum 1685, in 12.

CUm virorum illustrium celebritas & honor non ad ipsos solos, sed quodammodo ad patriam pertineat, nec parum splendoris huic e claris illorum factis accedat, optime sane de gente sua meretur, cui magnorum hominum, quos in ea unquam vel eruditio vel arma nobilitarunt, memoriam conservare curæ est. Habuit cum primis Gallia complures, qui operam eo contulerunt, ut universi istius regni tam sagatos quam togatos heroes numerarent, & relata in indices publicos nomina conservarent æternitati. Nec defue-

runt Hiſpaniæ, Bataviæ & Germaniæ noſtræ, qui eundem laborem ſuſciperent. Interim Italia utiolim, teſte Plinio, viris, fœminis, ducibus, militibus, ſervitiis, artium præſtantia, ingeniorum claritatibus principatum naturæ obtinuit; ita maxime etiam ſtudioſa fuit famæ & exiſtimationis eorum, qui bene de ea meriti fuerant. Superavit hominum plurium, nedum unius, vires, enarrare eos omnes, quos unquam in decus Italiæ naſci contigit, & hinc factum eſt, ut non tam totius regionis, quam ſingularum urbium texere catalogum viri docti tentaverint. Romæ ſcriptorum clarorum centuriam *Proſper Mandoſius* Eques S. Stephani edidit, in Actis anno 1683. pag. 237 a nobis memoratam, ut alios taceamus. Neapolitanos nominarunt *Nicolaus Toppi* & *Leonardus Nicodemus*, de quibus menſe Octobri ſuperioris anni pag. 447 diximus. Illuſtrium belli ducum ejus urbis elogia *Laurentius Craſſus*, cujus anni 1684 menſe Septembri pag. 432 meminimus, condidit. De Patavinis antehac *Riccobonus* & *Portenarius* dixerunt. Florentiæ literatos *Poccancius* recenſuit, Genuenſes *Superantius* & *Juſtinianus*, Veronenſes *Chiaccus* & *Tinto* commemorarunt. Ferrarienſium urbs *Auguſtinum Superbum*, Bononia *Galeottum*, *Alidoſium* & *Bumaldum* præcones habuit; ut alios Autores ſilentio prætereamus. Horum autem omnium exemplo *Cazondus* Brixianorum ſuorum exponere vitas & ſcripta voluit, & omnino trecentos ac viginti hoc primo Bibliothecæ volumine nominavit. Sequetur, ſi promiſſis ſtare poterit, tomus alius, qui forte non minorem numerum exhibebit. Præfatio de propoſito & fatis autoris agit. Univerſum opus ea concinnatum eſt methodo, ut breviter enarrentur cujusque Scriptoris vita, fata, mors & opera, diſpoſitis ad ordinem Alphabeticum nominibus non familiæ, ſed præpoſitivis.

RELATIO DESUMTA E DIARIO SOCIETATIS Dublinenſis, de evacuatione ſanguinis periodica per extremitatem digiti facta.

Traducta ex Transact. Angl. M. Maji, 1685, n. 171. p. 989.

Gual-

Gualterus VValſh, caupo *Trymenſis*, natione Hibernus, homo temperatæ diætæ, complexionis ſanguineæ & jucundi ingenii, circiter paſchatis tempus anni 1658, ætatis ſuæ 43, correptus fuit ingenti dolore totum brachium dextrum occupante, una cum intenſo calore & rubore manus dextræ, & compunctione in apice indicis, in quo ipſo apparebat exigua macula, haud ſecus ac ſi exilis ei ſpina eſſet infixa: id quod etiam credens homo cum aperturam ibidem feciſſet, ſanguis inde promicuit fluxu violento, ſed tenui: ſedato dein aliquantiſper impetu ceſſare videbatur ad tempus, ac tantum ſtillabat; rurſum vero poſtmodo cum violentia profiliebat, continuato ſic per 24 horas profluvio, donec tandem ſecuto animi deliquio ſanguis ſponte ſiſteretur, doloresque relinquerent ægrotum. Ex iſto tempore per reliquum vitæ ſpacium (quod 12 adhuc annis duravit) ſimilibus paroxyſmis frequenter infeſtatus fuit, inducias expertus raro plus quam bimeſtres, nunquam tamen tribus hebdomadis breviores. Haud minus fere ſanguinis qualibet vice mittebat quatuor libris, (*then a Pottle*:) copia ſcilicet ſanguinis minore erumpente, quo frequentiores paroxyſmi; majore quo pauciores contingebant. Quotiescunque tentabant ſanguinem ſiſtere, exquiſitiſſimos in brachio cruciatus experiebatur, nec ulla remedia, qualia qualia adhiberet, vel minimum eum juvabant. Non alio cæteroqui morbo vexabatur; nec anni, nec tempeſtatum viciſſitudines quicquam in eo operabantur. Exterius nihil ipſi accidit, quod profluvio huic primam dediſſe cauſam dici poſſet: cæterum cum conſuetum demenſum bibendo exceſſit, perſenſit ſemet ad ſanguinandum procliviorem. Sobolem non procreavit, ex quo primum hoc affectu correptus eſt: cujus frequentes acceſſiones eum tandem adeo debilitarunt, ut etiam verſus vitæ finem nonniſi parum ſanguinis funderet, qui inſuper aquæ ſolum ſanguine dilutæ ſimilis apparuit. Deceſſit denique ex hoc morbo die 13 Februarii anno 1670.

RELATIO DE COCHLEÆ PUTAMINE REperto in Rene mulieris cujusdam, a D. Peirce Bathonia ad Societatem Regiam transmiſſa.

Traducta ex iisdem Tr. Angl. M. Maj. 1685, p. 1078.

Mulier

Mulier quædam nobilis, annorum circiter 28, obesa valde ac corpulenta, conflictata per multum tempus frequenti & violento quandoque vomitu, incidit tandem in febrem, initio quidem non admodum pravis symptomatis comitatam; ipsa tamen intra paucos dies decessit, idque derepente. Ad instantiam ejus propinquorum cadavere aperto, ac examinata prius inferiore regione, mox reperi id, quod causa fuisse dici posset longorum ejus vomituum, (ac forte febris etiam & mortis insecutæ) ulcus videlicet in pancreate, quod sphacelatam reddiderat partem stomachi ac intestinorum, quæ proxime adjacebat. Quandoquidem vero defuncta varia adhibuerat contra calculum directa, (cum plures medici, æque ac alii, vomitus ejus isti affectui imputassent,) videre statui, quonam in statu renes ipsius essent. Obtecti hi erant prodigiosa adipis quantitate; quam cum manu removissem, ac unum e renibus prehenderem, acuti quid offendere digitum meum persensi in inferiore renis parte, qua ureter inseritur. Id credens calculum esse mox arripui, ac via mihi dein ope cultelli eo aperta exemi (circumdatum abundanti materia mucosa & sanguinolenta) ac sepositi. Apertis renibus, nec sabulum quidem ibi (nedum calculum) inveni in utroque. Examinata vero ulterius materia prædicta (quam pro calculo habueram,) abluto nempe muco ipsam stipante, deprehendi eam esse exiguam cochleæ testam pulchre admodum elaboratam, in cujus cavo erat materia mucosa & viscida, quantum ad consistentiam non multum absimilis ipsi cochleæ cujusdam substantiæ, coloris tamen sanguinei.

TAB. XI. *Fig. 1.* exhibet cochleam in vera sui magnitudine, quæ in *Fig. 2.* aliquanto ampliori figura depingitur: incisæ quæ apparent tessellæ, alternis vicibus depressæ sunt aliquantisper & elatæ, ac exactissime fabrefactæ, turbine ipso e sex aut septem lineis spiralibus constante.

GUILIELMI MOLINEUX, ARMIGERI ET Societatis Dublinensis Secretarii, inventum novum Hygroscopicum.

Ex Transact. Angl. M. Jun. 1685. n. 162. p. 1032.

Cum



M
lento q
non ad
cos die
rum ca
peri id,
forte fi
quod
quæ pr
hibuer
vomiti
tu ren
te; qu
acuti c
te, q
via mi
mater
nec fi
Exam
ram,
guam
erat n
tum a
guine

TAB. XI.

aliqua
alterr
fabre

GU

Societatis Dublinensis Secretarii,

novum Hygroscopicum.

Ex Transact. Angl. M. Jun. 1685. n. 162. p. 1032.

Cum

CUm sæpius observasset Molyneusius, funes omnis generis utraque sui extremitate alligatos, arctius tensos evadere, cum pluviam aliumve humorem imbibissent; haud frustra conjecit, eundem effectum expectandum esse, si utraque quidem funis extremitate, ligata, alteri tamen earum libertas relinqueretur sese circumvolvendi, indeque occasionem arripuit comminiscendi novi cujusdam hygroscopii, facillime parabilis & accuratione nihilominus, ut existimat, nulli eorum, quæ hactenus nota sunt, facile secundi. Structura ejus, qualem inventor Societati Regiæ Anglicanæ repræsentavit, exhibetur in *Figura 3.* Nimirum *A. B.* est chorda crassior (*a Whipcord*) quatuor circiter pedes longa firmiter alligata extremo unci *A.* Altera chordæ ora suspenditur pondus *C.* unius circiter libræ & quod excurrit, cui infra annexus est index *D.* inserviens scilicet commonstrandis gradibus, in quos circulus asseri subjecto inscriptus divisus est; quem asserem indicant literæ *E. F.* muro ope mutuli cujusdam affixum. Rebus ita adaptatis effectus talis est, ut humiditas aeris constringat chordam & consequenter cieat motum in indice, qui circulo in gradus distincto imminet: ac rursus quando aer evadit siccior, ut chorda iterum laxata seu resoluta quadantenus, index etiam una retrocedat per motum contrarium. Ratio contorsionis ac relaxationis hujus ea redditur, quod exiguæ illæ particulæ humoris, insinuantes semet intra chordam, haud absimiles sint totidem cuneis infixis, quorum ope funiculum abbreviari necessum sit: perinde ac vesica inflata brevior evadit & pondus notabile secum elevare apta est. Cæterũ quod chorda *A. B.* hic semet contrahendo attollit aliquantisper alligatum pondus *C.* id fit facillimo negotio per modum cochleæ: ipsa enim chorda cochleæ similis est, dum singulæ, ex quibꝰ constat fibræ spirali situ contortuplicatæ sunt, unde necessũ est sequi motũ indicis circularem. Ut vero certior de experimento hujus inventi evaderet Autor, variis modis id tentare non omisit. Ac primo quidem chordam humectavit atque ita cum pondere suspendit, percepitque etiam ad oculum, eam quo magis siccaretur, eo magis resolvi. Porro redacta sic chorda ad eum siccitatis gradum, qualem tum aeris constitutio admittebat, admovit pelvim aqua calida repletam, eamque chordæ ita suppositi, ut vapori & fumo hinc enato illuc pateret ascensus; viditque ita chordam velociter satis contorqueri, quamdiu

TAB. XI.

vapor aquæ durabat: hoc vero ceſſante, eam ſenſim rurſus retrocedere ac reſolvi. Quin etiam poſtmodo cum levi halitu chordam tentaret, expertus eſt, halitu octies aut decies repetito, eandem quinque circuli gradibus retortam fuiſſe. Id quoque annotavit, admotam propius uncum candelam aut ferrum ignitum effeciſſe, ut rapido ſatis motu chorda ſeſe circumrotaret. Libero dein aeri poſtquam eam reliquiſſet, expertus eſt ejus motum adeo reſpondere humiditati aut ſiccitati ætheris, ut nec pluvia levis cadat, nec obortis nubibus ſol operiatur, hisve rurſum evaneſcentibus ſplendere pergat, quin mox mutationem machinæ motus ad ſenſum indicet. Sperat etiam inventor durabilius hoc fore hygroſcopium, præ aliis plerisque hactenus excogitatis, utpote quæ fere cum tempore debiliora reddantur: confidit enim hoc noſtrum tamdiu in ſtatu ſuo permanſurum, quamdiu ſpiralis textura in chorda perduret. Cæterum cum inconveniens inventori viſum fuerit, ſi pondus cum indice plusquam ſimplici vice circumgyraretur, cum id confuſioni ſaltem in annotandis gradibus anſam præbere poſſet, ita attemperari vult chordæ longitudinem, ut non niſi unum gyrum agere amplius deprehendatur: v. g. ſi experiendo appareat, indicem *D.* bis plene circulum abſolvere, jubet dimidiam ſaltem aſſumere longitudinem, ita ut chorda ex puncto *G.* modo ſuſpendatur: ſic enim dein gyrum non niſi ſimplicem ab indice deſcriptum iri. Limbus vero circularis aſſeri ſubjecto inſcribendus e diverſo dilatari pro lubitu poteſt, ut pluribus & latioribus gradibus in eo diſtinguendis locus ſuppetat, & quælibet etiam minima aeris mutatio inibi tanto facilius annotari queat.

* * *

„Nolumus hic diffiteri, hygroſcopium huic non abſimile jam ante „hoc decennium Dreſdæ a nobis viſum eſſe, portatile tamen & „compendioſiori forma extructum, ea circiter ſtructura & magni„tudine, qualem *Fig. 4.* adumbrat. Nimirum ex umbonis quatuor „columellis innixi centro propendebat chorda tenuis ſaltem, ſuſ„penſum tenens globulum deauratum, coronatum limbo circulari „in gradus diſtincto; ex una vero columellarum prominebat index „ſetaceus, gradus in limbo demonſtrans, prout hi mutata aeris conſtitu-

„ſtitutione cum globulo, aut progreſſum faciebant, aut regrediebantur. Ac tum quidem rem non ſine admiratione adſpeximus, maxime quod celato, ut fieri ſolet, artificio fabricator perhibuerat, „globulum ſingulari arte præparatum ac virtute ſympathetica in„ſtructum eſſe; quamobrem etiam machinulam magno ſatis pretio „emtori ſuo obtruſerat. Poſtquam tamen Wilh. Gouldii methodum cognovimus, conſtruendi hygroſcopium ex nervis fidium, „(uti videre eſt *in Actis noſtris M. Jul. anni ſuperioris pag. 317.*) dubitare „cœpimus, numne artificium prædictæ machinæ in nuda forte chor„dæ natura fuiſſet ſitum: facto itaque ante annum circiter rei pe„riculo, cum ſimplici chorda & appenſo pondere rotundo, eundem „cum Molyneuſii invento ſucceſſum experti ſumus. Quid? quod & „clariſſimus *Sturmius* ſimile hygroſcopium jam conſtruere docuit „in *Parte I Collegii Experimentalis*, a. 1676 edita, *tentam. 14. phæn. 2.*

ADAMI ADAMANDI KOCHANSKI E Societate JESU Sereniſſ. Poloniarum REGIS Mathematici, Conſiderationes quædam circa Quadrata & Cubos Magicos, nec non aliquot Problemata, omnibus Arithmophilis ad inveſtigandum propoſita:

In Litteris ad Actorum Collectores.

NUmeros Progreſſionum certa quadam ratione in quadrata diſpoſitos, quæ ab aliquibus Magica, ab aliis Divina appellantur, magna ſemper apud Viros ingenioſos in admiratione fuiſſe probant ea, quæ Kircherus, Fermat, Stifelius, Faulhaberus, Remmelinus, Heniſchius, Rot, Spinola, citante Schwentero in Delic. Phyſ. Math. aliique complures in hac materia ſcripta reliquerunt: quin immo, totus ferme Oriens Mahometis ſuperſtitionibus addictus, neſcio quæ in his Quadratis myſteria, & Amuleta prophylactica ſibi ſomniat. Me quoque juvenilis olim curioſitas eo adduxit, ut horum numerorum ſyntheſin, in qua Kircherus in ſua Arithmologia exiguo fructu magnopere deſudavit, faciliorem redderem; id quod magna parte mihi e voto proceſſit. Nam præterquam quod iſtiusmodi Quadratorum conſtructionem quemque non indocilem adoleſcentu-

lum intra semiquadrantem horæ, una cum multiplici collocationum varietate edocere possim, excogitavi præterea complura problemata materiam hanc concernentia, inter quæ sunt I. Nova species Quadratorum magicorum, quæ non jam per Additionem, sed Subtractionem, eundem quendam numerum ubique exhibens. II. Progressiones numerorum (Arithmeticas hic intelligo,) ita dispositæ cubica forma, sive trinam dimensionem referente, ut tam per Additionem, quam Subtractionem numerorum, cujuscunque seriei etiam Diagonalium, idem quidam numerus acquiratur. III. Nec reticendum Problema istiusmodi: Data Specie Quadrati, & dato numero universali, hoc est eo, qui tam in columnis, quam trabibus, & Diagoniis Quadrati, per Additionem vel Subtractionem prodire debet, primum terminum progressionis arithmethicæ invenire &c. Plura alia in hoc genere volente DEO, in *Cogitatis & Inventis meis Polymathematicis* plenius persequar.

Ut igitur Scriptionis compendium faciam, sequentia Additionis & subtractionis Quadrata consideranda propono.

QUADRATA ADDITIONIS.

1	15	14	4
12	6	7	9
8	10	11	5
13	3	2	16

11	8	5	10
14	1	4	15
2	13	16	3
7	12	9	6

12	6	7	9
1	15	14	4
13	3	2	16
8	10	11	5

16	13	2	3
4	1	14	15
5	8	11	10
9	12	7	6

Aggregatum ubique est 34.

11	24	7	20	3
4	12	25	8	16
17	5	13	21	9
10	18	1	14	22
23	6	19	2	15

11	17	24	5	8
7	14	20	23	1
4	10	13	16	22
25	3	6	12	19
18	21	2	9	15

12	21	20	9	3
1	15	24	18	7
10	4	13	22	16
19	8	2	11	25
23	17	6	5	14

15	4	7	16	23
24	12	1	8	20
17	21	13	5	9
6	18	25	14	2
3	10	19	22	11

Aggre-

Aggregatum ubique conficitur 65.

Quaternarii ac Quinarii Quadrata primo loco posita sunt ea, quæ passim apud Authores inveniuntur; quæ vero consequuntur, per quandam universalem regulam variata sunt, & multoties adhuc per eandem variari possunt, quarum quidem Variationum numerum, e combinationum doctrina, alias determinabimus. De Quaternario illud interim commemorabo, illius Quadrata quoad substantiam, id est nulla habita situs ratione, variari posse Quadragies Octies, tam in additionis quam subtractionis artificio: e quibus tamen hæc paucula protulisse sufficiet hoc loco.

QUADRATA SUBTRACTIONIS.

1	6	13	2
10	5	14	9
7	12	11	16
8	3	4	15

1	15	8	2
5	11	12	14
10	16	7	9
6	4	3	13

7	10	9	16
8	1	2	15
3	6	13	4
12	5	14	11

11	7	16	12
13	1	2	6
4	8	15	3
14	10	9	5

Residuum ubique habetur 8.

11	24	9	16	3
4	12	25	8	20
19	5	13	21	7
6	18	1	14	22
23	10	17	2	15

8	24	5	20	12
22	3	17	15	10
1	19	13	7	25
16	11	9	23	4
14	6	21	2	18

12	21	16	7	3
1	15	24	18	9
6	4	13	22	20
17	8	2	11	25
23	19	10	5	14

15	4	9	20	23
24	12	1	8	16
19	21	13	5	7
10	18	25	14	2
3	6	17	22	11

Residuum in omnibus est 13.

In his Quadratis Subtractione tractandis ita proceditur. Numerus in assumta Columna, Trabe, vel Diagono minimus, subducendus

cendus est a proxime majore, residuum majoris hujus detrahatur a proxime consequente, atque ita porro: ultimum enim residuum est illud universale, quale in præmissis Quadratis est 8 & 13. *Vel aliter:*

Collocatis assumptæ Columnæ numeris ordine suo, a minimo ad maximum procedendo, ut in prima Columna Quinarii istis 4. 6. 11. 19. 23. a summa numerorum 4. 11. 23. locis imparibus consistentium, quæ est 38. subducatur duorum 6. 19. qui loca paria, nempe secundum & quartum occupans, summa 25. relinquetur universale residuum 13. In Quadratis autem, quorum latus est par numerus; Summa numerorum locis imparibus primo, tertio &c. in ordine illo consistentium, subducenda est a summa reliquorum.

Est autem in Quaternarii Quadrato subtractionem concernente id singulare, quod illud nonagies sexies, hoc est duplo numero variari possit, si residuum Diagonalium non jam par sit aliis columnarum trabiumque residuis, quod diximus esse ubique 8. nempe semissem Quadrati 16. Sed tantum sit lateri quadrati 4. æquale. Quadratorum hujusmodi, qualia sunt 96, Specimen sunto sequentia paucula.

1	6	13	2
8	3	4	15
7	12	11	16
10	5	14	9

1	8	15	2
6	3	4	13
5	12	11	14
10	7	16	9

1	2	13	6
10	9	14	5
7	16	11	12
8	15	4	3

1	8	2	15
6	3	13	4
5	12	14	11
10	7	9	16

In Trabibus & Columnis Residuum est 8. in Diagoniis 4.

In Quadratis igitur tam pro additione, quam subtractione formatis, a radicibus numerorum cum Imparium, tum Pariter parium, credo me deprehendisse quantum sat est, ad eorum synthesin instituendam. In Quadratis tamen a radicibus impariter paribus, quales sunt 6. 10. 14. &c. ad Subtractionem concinnandis, quæ speciales habent difficultates, (a me quidem in Additionis artificio, sæpius variabili, feliciter superatas;) visum mihi est provocare homines, nec ingenio nec otio destitutos, ut in hoc latissimo campo, qui plurium culturam admittat, vires suas experiantur. Sit itaque

PROBLEMA I. In Quadrato Senarii, cellulas 36 complectente, numeros progressionis Arithmeticæ, ab 1. ad 36. inclusive pro-

procedentes, ita disponere, ut subtractionis artificio, prius explicato, in omnibus columnis, trabibus, & utraque Diagonali relinquatur numerus 18.

PROBLEMA II. In cubis numerorum pariter parium, velut Radice 4. 8. 16. &c. Progressiones Arithmeticas illis competentes, ita disponere, & variare, ut in omnibus Columnis, Trabibus & Diagoniis Cuborum, per Additionem eadem summa confletur, per Subtractionem vero residuum idem relinquatur.

PROBLEMA III. Eadem omnia præstare in Cubis Radicum pariter imparium, ut sunt 6. 10. 14. &c.

De Quadratis & cubis Centralibus, hoc est iis quæ post ablationem Zonarum circumjacentium, relinquunt interiora quadrata vel cubos magicos, alias agemus: si cui tamen commodissimam horum & præcedentium problematum syntheſin fors obtulerit, ab humanissimo Inventore certior ea dere, privatim vel publice fieri, enixe peto.

Coronidis loco addere lubet quadrata, a Radicibus 4 & 5. suis numeris sic instructa, ut additionis ac subtractionis ope, annum currentem offerant: pro quibus concinnandis, alio tempore locoque, regulas generales, volente Deo tradituri sumus.

423	421	418	424
428	414	417	427
416	426	429	415
419	425	422	420

336	346	330	341	327
326	339	348	332	343
340	328	338	346	334
331	342	326	335	350
347	333	344	330	338

Summa ubique est 1686.

$1690\frac{3}{4}$	2744	1901	$847\frac{3}{4}$
215	$2533\frac{3}{4}$	$4\frac{3}{4}$	1058
$3165\frac{2}{4}$	$2111\frac{3}{4}$	$1268\frac{3}{4}$	$2322\frac{2}{4}$
$2954\frac{3}{4}$	$636\frac{2}{4}$	$1479\frac{2}{4}$	$425\frac{3}{4}$

1406	2526	426	3366	986
1126	1826	2106	286	2806
3226	706	1686	2666	146
566	3086	1266	1546	2246
2386	6	2946	846	1966

Residuum, aut Differentia ubique relinquitur 1686.

SUP-

SUPPLEMENTUM DE SCRIPTORIBUS VEL scriptis eccleſiaſticis a Bellarmino omiſſis ad a. 1460, vel ad artem typographicam inventam,

collectore F. Caſimiro Oudin Presb. veteris inſtituti Ord. Præmonſtrat.

Pariſ. apud Antonium Dezallier via Jacobæa ſub ſigno coronæ aureæ 1686, in 8.

SEptuageſimus jam annus agitur, cum *Bellarmini* opuſculum de Scriptoribus eccleſiaſticis in lucem prodiit. Cujus eruditionem & diligentiam continuator *Andreas du Sauſſay*, adjectis CXXI ſeculi XVI Scriptoribus, minime æquavit. Majoris momenti ſunt, quæ *Philippus Labbe* duobus tomis, quibus philologicæ & hiſtoricæ diſſertationis titulum præfixit, de Scriptoribus a Bellarmino recenſitis commentatus eſt. In qua diſſertatione etſi novam de Scriptoribus a Bellarmino prætermiſſis diſſertationem promiſerit, aliis tamen negotiis intentus, ac morte tandem interceptus, ſpem literati orbis, non exiguum inde commodum expectantis, fruſtratus eſt.

Ejus vices ſupplendas ſibi cenſuit *Oudinus*, vel in hoc Labbeo præferendus, quod a conviciis, qualia Labbeus in Rivetum, Voſſium, Gerhardum & alios diverſæ a ſua religionis homines congeſſit, ſibi temperet, & dictum eſſe nolit, ſi quid forte acerbius etiam in heterodoxorum quempiam dixerit, quod a caritate & humanitate alienum videatur.

Quamvis autem hoc opus, ſi tituli rationem habeamus, tantum ad Scriptores a Bellarmino omiſſos ſpectare videatur, minime tamen Autor Scriptores a Bellarmino jam enarratos penitus neglexit, ſicubi aliquid notatu dignum in mentem ipſi venit. Videas igitur hic etſi jam a Bellarmino memoratos *Clementem Romanum, Ignatium, Polycarpum, Dionyſium Areopagitam, Martialem Lemovicenſem*, cujus epiſtolas Æſopi fabulis comparat, *Athenagoram, Tertullianum, Ammonium, Origenem, Cyprianum, Gregorium Neocæſarienſem*, cujus ſcripta omnia, ſecus ac Bellarmino & Labbeo viſum fuerat, ſpuria arbitratur, *Methodium, Lactantium, Euſebium Emiſenum*, de cujus

cujus ſcriptis ſe peculiari diſſertatione acturum pollicetur, *Antonium, Macarium, Athanaſium*, cujus opera ſtupendam confuſionem pati, & medicas Criticorum manus deſiderare queritur, inter alia Maraccium & Spinellum perſtringens, devotos, ut appellat, Marianos, qui inter ecſtaſes ſuas nullum antiquitatis guſtum habeant, & nulla alia de cauſa opus de Deipara Virgine Athanaſio vindicent, quam ut ecſtaticis ſuis exceſſibus ſatisfaciant, *Baſilium M. Gregorium Nyſſenum, Marcum Eremitam, Philonem Carpathium*, cujus genuinum in cantica canticorum commentarium in Bigotii bibliotheca manuſcriptum extare animadvertit, *Aſterium Amaſenum, Palladium, Paulinum Nolanum*, cujus noviſſimam editionem in actis noſtris menſe Octobr. 1685 enarratam, ſtudio Johannis Baptiſtæ le Brun procuratam fuiſſe, nunc ab Oudino diſcimus, *Nilum, Petrum Chryſologum, Diadochum, Leonem Magnum*, cui in Queſnelliana editione libros de vocatione gentium & epiſtolam ad Demetriadem perperam inſcribi judicat, *Victorem Africanum*, cujus librum de conſolatione in adverſis inter Baſilii etiam opera haberi, a nemine hactenus obſervatum aſſerit, *Arnobium juniorem, Victorem Uticenſem*, quem *Vitenſem* rectius dici cum Chiffletio contendit, *Paſchaſium*, cujus tractatum de Spiritu Sancto Fauſto Regienſi vindicat, *Fulgentium, Dionyſium Exiguum, Primaſium Adrumetinum*, quem pro autore Prædeſtinati a Sirmondo publicati venditat, & alios, quos omnes recenſere nihil attinet.

Ex iis, quos Bellarminus prætermiſit, antiquiores ſunt *Barnabas*, cujus epiſtola in Gallia ab Hugone Menardo & Johanne Baptiſta Cotelerio, in Belgio ab Iſaaco Voſſio, & quod Oudino addi poteſt, in Germania a Joachimo Johanne Madero, nec non in Belgio ſuperiore anno in Variis Sacris a Stephano le Moyne cum luculentis notis, quin & Oxonii eodem anno una cum S. Hermæ Paſtore evulgata eſt; *Philo* & *Agathopus* autores actorum martyrii Ignatiani a Jac. Uſſerio & poſtea a Bollando editorum, *Novatianus*, cujus tractatus de Trinitate & cibis Judaicis inter Tertulliani opera leguntur, *Aurelius*, qui ſocii & contubernalis ſui Pontii Diaconi Carthaginenſis martyrium deſcripſit, in Baluzii miſcellaneis publicatum, *Commodianus*, cujus inſtructiones pro Chriſtiana diſciplina adverſus gentiles primum Nicolaus Rigaltius edidit & notis illuſtravit, *Theo-*

dorus Heracleæ episcopus, cujus commentarius in Psalmos, una cum duobus anonymis commentariis, Antverpiæ Balthasaris Corderii studio anno 1642 lucem publicam aspexit, *Eusebius Vercellensis*, cujus libellus ad Patrophilum & epistola de statu suo in bibliotheca Patrum extat, *Cæsarius* Gregorii Nazianzeni frater, cujus nomini inscripti sunt dialogi, seu quæstiones a Leunclavio, Ehingero & aliis evulgatæ, Q. *Julius Hilarion* autor chronici seu libelli de duratione mundi, cujus primam editionem Petri Pithœi industriæ debemus, *Evagrius Antiochenus*, qui vitam Antonii abbatis latine reddidit, *Evagrius Ponticus*, cujus libellum de octo vitiosis cogitationibus, cum antea Latino tantum habitu comparuisset, nuper 1680 Emericus Bigotius cum aliis antiquitatis monumentis Græce & Latine edidit, ut sermonem dogmaticum de Trinitate, & cætera quæ sub ejus nomine extant opuscula taceamus, *Tichconius* Afer autor tractatus de septem regulis ad investigandam Scripturæ intelligentiam, *Marcus* Gazæ in Palæstina Diaconus, qui acta S. Porphyrii Gazensis episcopi & martyris descripsit, *Paulinus* Diaconus, qui vitam S. Ambrosii enarravit, & Zosimo P.R. ob Pelagium & Celestium damnatos libellum, quem Labbeana conciliorum collectio exhibet, obtulit, *Paulinus Biterrensis*, cujus epistolã Baronius in annalibus suis retulit, *Paulinus* Ausonii vel ex filio, vel ex fratre nepos, cujus eucharisticon de vita sua post Paulini Nolani poemata legitur, *Marcellus Memorialis*, qui acta collationis Carthaginensis a Massonio, Pithœo & aliis edita consignavit, *Pelagius* hæresiarcha, cujus libellum fidei in tomis conciliorum, epistolam autem ad Demetriadem & commentarium in epistolas Paulinas inter Hieronymi opera legi monet, *Polychronius* Diaconus, sub cujus nomine commentarium in Ecclesiastẽ & canticum canticorum in Regia & Bavarica bibliotheca manuscriptũ asservari notat, qui an seculum & mores Polychronii Apameensis episcopi referant, antiquitatum curiosos indagare jubet, *Severus* minoris insulæ Balearis episcopus, cujus epistolam de reliquiis S. Stephani in annalibus suis Baronius edidit, *Philostorgius* historiæ ecclesiasticæ scriptor Eunomianus, cujus excerpta a Jacobo Gothofredo & Henrico Valesio in lucem publicam emissa in doctorum manibus versantur, *Evodius Uzalensis*, cui librum de fide seu unitate Trinitatis contra Manicheos, inter Augustini opera tomo sexto editum, deberi Sirmondus statuit, *Leporius*, cujus libellum

lum emendationis, cum *Isaaci* libro de Sancta Trinitate & incarnatione Domini, & aliis opusculis dogmaticis, is quem modo nominavimus Sirmondus publici juris fecit, *Ursinus*, quem tractatus anonymi de baptismo hæreticorum, Rigaltianis ad Cyprianum notis interserti, autorem esse, primus in sua conciliorum collectione Labbeus annotavit, quod ab episcopo Oxoniensi in postrema Cypriani editione non animadversum fuisse, Autor noster semel iterumque miratur, *Vigilius* diaconus, cujus regulam monasticam cæteris a se collectis Holstenius adjunxit, *Uranius*, qui narrationem de Paulini Nolani obitu ad posteros reliquit, *Capreolus* Carthaginensis Episcopus, cujus epistola ad Synodum Ephesinam in actis illius Synodi, altera autem ad Vitalem & Tonantium Hispanos in dogmaticis veterum opusculis a Sirmondo evulgatis legitur, *Marius Mercator*, cujus opera ex novissima Baluzii editione haud ita pridem in Actis nostris recensuimus, *Philippus Presbyter*, cujus commentarium in Jobum non modo seorsim typis impressum, verum etiam in Bedæ & Hieronymi operibꝰ alieno inscriptũ nomini habemus, *Theodotus* Ancyranus, quem nonnullis minus recte Theodorum vocari censet, *Bachiarius*, cujus epistolã ad Januariũ de recipiendis lapsis in bibliotheca Patrum reperire licet, *Eastidius* Britannorum Episcopus, cujus liber de vita Christiana antea Augustino suppositus, Romæ anno 1663 emendatior in lucem prodiit, *Proba Falconia* & *Eudocia*, Virgilianis & Homericis centonibus celebres, *Eustathius* qui sermones S. Basilii in principium Geneseos latine reddidit, *Antoninus Honoratus* Constantinæ in Africa civitatis Episcopus, autor epistolæ ad labores pro Christo ferendos exhortatoriæ, quam ad Arcadium quendam exaravit, *Victorius* Aquitanus, cujus canonem Paschalem Ægidius Bucherius commentariis suis exornavit, *Paulinus Petricordius* autor carminis heroici de vita S. Martini, *Antonius*, qui præceptoris sui Simeonis Stylitæ vitam scripsit, *Constantius* Presbyter Lugdunensis, qui vitam S. Germani literarum monumentis consignavit, *Gennadius* Episcopus Cplitanus, cujus epistola contra Simoniacos in orthodoxographis monumentis primum edita supereſt, *Eugenius* Carthaginis Episcopus, cujus oratio Hunerico Vandalorum Regi oblata apud Victorem Vitensem extat, &, ut cum quinto seculo tandem finiamus, *Honoratus Masſilienſis*, cujus tractatum de vita Honorati Arelatensis in actis

Sanctorum ad diem 5 Maji, & inter Leonis M. opera a Quesnellio edita deprehendimus.

Cæteros, qui a seculo sexto usque ad inventam artem typographicam floruerunt, enumerare brevitatis studio nolumus, cum & ipse Autor prolixitatem nimiam summo studio devitet, eoque nomine, cum ad annum 1310 pervenit, lectorem admoneat, se imposterum ex multis Scriptoribus paucos selecturum, cum omnes recensere ob nimiam multitudinem impossibile videatur.

OBSERVATIO DE PANNO QUODAM incombustibili, una cum annotationibus super eo factis a Roberto Plot, LL. D.

Ex Transact. Philos. Angl. M. Jun. 1685. pag. 1049. seqq.

HAud parum hactenus solicitos tenuit curiosiores, quod apud Plinium aliosque scriptores legitur de lino quodam vivo seu asbestino dicto, ignibus absumi non valente, cujus scilicet copia apud antiquos fuisse narratur. Non dubitat certe Pancirollus telas ex tali lino confectas rebus in totum deperditis accensere; nec defuere, qui totius rei fidem in dubium vocantes negarunt, linteum ejusmodi unquam extitisse, quos inter Dalecampius in Plinium & Schildius in commentario ad Suetonium. Non indignum proinde curiositate sua judicavit Illustris Societas Regia Anglicana, in rei veritatem accuratius inquirere, ac segmentum ejusmodi panni, opera Chinensis cujusdam in illius regni provincia *Lanquin*, a magno quodam Mandarino comparatum ac transmissum, Societatique a Nicolao Waite, mercatore Londinensi, oblatum examini subjicere. Et compertum utique fuit, textum hoc carbonibus ignitis immissum, ibique per notabile temporis spatium relictum, infuso etiam ad vim ignis exacuendam oleo, nullatenus fuisse læsum, quin potius inde candidius atque splendidius prodiisse, ac tametsi, dum in flammis esset, ignis colorem induere visum fuerit, observatum tamen fuit, inde protractum extemplo refrixisse, adeo ut ne chartam quidem

dem, cui imponebatur, adureret. Patuit nihilominus, idipsum, quoties hac ratione ignibus committatur, aliquantulum de pondere suo amittere. Sic cum prima vice examinandum penderet unciam cum 6 drachmis & 12 granis, postquam ex igne rursus extractum esset, visum est drachmas 2 cum 5 granis de pondere perdidisse: pariter altera vice drachmam cum 6 granis minus pendere, quam antequam flammis committeretur, deprehensum est. Materiam telæ hujus quod attinet, perhibitum una fertur a Chinensi supra dicto, qui eam procurarat, vulgo eandem confectam credi ex ima radice arboris cujusdam in provincia *Sutan* crescentis, pariterque ex arboribus Indicis, quas *Todda* vocant. Nihilominus probabilius videtur *Roberto Plot* (in erudito discursu, quo materiam hanc in gratiam amicorum quorundam plenius illustrare aggressus est) substantiam texti hujus mineralem potius habendam esse, quam vegetabilem, inprimis cum tenuissima etiam ejus filamenta aquis immersa fundum petere deprehendantur. Hinc mavult materiæ loco Alumen plumeum seu Amianthum assumere, atque in hujus rei testimonium allegat Marcum Paulum Venetum, in libro *de regionibus orientalibus* perhibentem, quomodo in Tartariæ provincia *Chinchintalas* lanuginosum hoc minerale eruatur, & conficiendis inde telis seu pannis aptum reddatur. Cum vero ægre appareat, quomodo linum hoc fossile ob filamentorum brevitatem neri atque texi possit, conjicit id forte fieri admixta prius stupa, aut etiam adhibito interendum liquore aliquo glutinoso, quo sic alumen istud flexibilius reddatur, & in fila duci queat: quam ipsam materiam heterogeneam ita admixtam, postquam tela jam perfecta est, rursus ope ignis facile secerni ac aboleri posse existimat. Rationem quare substantia hæc ignis vim eludat, in eo quærendam autumat, quod ignis fere in ea solum corpora sæviat, quæ ex partibus constent heterogeneis, & quorum pori particulas contineant sulphureas, bituminosas aut aqueas, quæ ipsæ scilicet flamma admota incipiant moveri, dilatari, separari atque avolare, ita ut necesse sit, ruptis hisce vinculis postmodo corporis totius compagem dissolvi: simplicia contra ac homogenea corpora hujus elementi furorem vix persentiscere; uti patere ait in sale communi post decrepitationem, & vitriolo post exsiccationem factam, in quæ ipsa scilicet nihil amplius sævire valeat ignis. Pari-

lem esse rationem putat in lino isto comburi nescio, utpote cujus fila, ex puris scilicet aluminis striis constantia, non possint non pro maxime homogeneis reputari. De cætero perhibetur, telam hanc (cujus præcipuus usus est inter Tartariæ Principes in concremandis mortuis, ad corporis favillam ab reliquo cinere separandam) etiamnum nativo in solo tanti æstimari, ut una ejus ulna Chinensis seu *Covet* (faciens 23¾ pollices) plusquam 36 libris monetæ Anglicanæ veneat.

PHYSIOLOGIA NOVA EXPERIMENTALIS Auctore D. de Stair, Caroli II Britanniar. Regi a Consiliis Juris & Status, nuper Latinitate donata.

Lugd. B. apud Cornel. Boutesteyn, 1686, in 4.

Licet Peripateticam Physiologiam recte repudiatam Auctor censeat a *Gassendo & Cartesio*, neutrum tamen ejusmodi principia constituisse putat, quæ cum abditis naturæ phænomenis consistant. *Gassendum* enim ad Epicuri atomos earumque figuras varias & potentias motrices omnia referentem, non explicasse, ut speciales naturæ effectus a peculiaribus atomorum figuris & pressuris necessario oriantur, ideoque potentias atomorum Epicuri, & potentias formarum substantialium Aristotelis, pariter generales & indistinctas esse. *Cartesium* quidem specialius descendisse ad tria elementa sua transmutabilia; sed omni potentia & efficacia materiæ denegata, omnes naturæ effectus soli DEO attribuisse: unde tota ipsius physiologia ad hoc unum redeat; omnia ita fieri, quod Deus ita voluit. Quæ assertio ut lippis & tonsoribus nota sit, ita frustra eum postea vortices & elementa confinxisse, ad mutationes rerum explicandas. Præterea multos esse periculosos errores in doctrina Cartesii detectos. Quare *D. de Stair* mediam quandam viam conatur explorare, quæ facilius & defendatur & probetur, atque ob hoc suum institutum modeste susceptum, capita in quæ Physiologia est distincta, *Explorationum* nomine appellavit.

In *Exploratione Prima*, postulatis duodecim præmissis, ostendit mediam

mediam suam philosophandi rationem inter Atomistas & Cartesianos, quoad præcipua principia. *Atomistæ* tenent, totam massam materiæ consistere in inflexibilibus atomis. *Cartesianorum* elementa sunt mutuo transmutabilia. *Medium est*, Deum in creatione unionem & figuram quibusdam materiæ partibus indidisse, & in corpuscula efformasse, quorum unionem nulla potentia naturalis divellere valet: figuram vero in aliis esse firmam, in aliis flexibilem: multo tamen majorem partem materiæ, nec unionem habere, nec figuram. *Atomici* docent, omnes atomos, atque ita totam materiæ massam diversissimis potentiis intrinsecis movendi imbui; *Cartesiani* contra omnem in natura intrinsecam potentiam negant. *Medium est*, a Deo potentiam seu pressuram, ad retinendum unionem & promovendum motum, quibusdam materiæ partibus inditam, quæ potentiæ simplices & uniformes sint, sine omni varietate, nisi ab extrinseco: & corporibus animatis, perceptione & sui determinatione præditis, potentias pro variis circumstantiis variabiles concessas esse. *Atomici* vacuitatem in natura necessariam esse autumant; *Cartesiani* simpliciter impossibilem pronunciant. *Medium erit*, vacuum nec esse necessarium, nec impossibile; Creatoremque pro suo beneplacito potuisse mundum construere, aut cum vacuitatibus, aut absque iis. In fine tangit Chemicorum opiniones de principiis rerum, inprimis Davidis van der Beck.

Secunda Exploratio est de Materia ejusque Unione & Corporum constitutione. Docet primum & simplicissimum statum, in quo materiæ massa a Deo creabatur, fuisse sine omni partium cohæsione, & tum in indivisibilibus substantiis seu punctis substitisse: essentiam materiæ esse impenetrabilitatem, non extensionem. Primam alterationem, quæ materiæ in creatione accidit, fuisse unionem quorundam indivisibilium per pressuram versus commune medium seu centrum, naturali potentia inseparabilem; unde corpuscula quædam orta fuerint cum tali figura, quæ in quibusdam quoad situm partium sint mutabilia, licet in aliis sint immutabilia; quæ corpuscula sint simplicissima, & prima concretorum corporum constitutiva, ob exilitatem suam insensilia, ratione tantū perceptibilia, & magno numero cumulata sub sensum venientia. Potentias seu pressuras, quas Deus quibusdam materiæ partibus indidit, per potentiam naturalem esse inse-

parabi-

parabiles, nec aliis materiæ partibus communicabiles, producendo in iis similes potentias sine communicatione materiæ iisdem potentiis imbutæ. Existentiam corporis consistere in extensione. Existentiam aut operationem corporis aut materiæ non exigere formam substantialem. Phænomena naturæ, quæ ex se sunt varia & non uniformia, non posse per insensilem materiam fieri; sed requiri spiritus perceptione & sui determinatione præditos. Totum ergo, *quod in natura contemplandum venit, ad materiam & spiritum, potentiam & modum referri.* In quorum explicatione Peripateticos & Cartesianos passim perstringit.

His de originali unione corporum præmissis, progreditur *Exploratione Tertia* ad Motum, modorum præcipuum, omniumque naturæ phænomenum maxime conspicuum. Causam motus naturalis nec cum Cartesianis soli DEO, nec cum Peripateticis solis formis, nec cum Atomicis materiæ suisque potentiis motricibus attribuit, sed medio modo solis potentiis motricibus, quas partibus quibusdam materiæ libere Deus indidit, eamque potentiam materiæ conatum seu pressuram versus motus simplices & uniformes esse, intelligit. Motus autem uniformes & naturales, rectum, circularem, vel ad modum cochleæ spiralem esse putat, contra violenti motus species, pulsionem seu trusionem, tractionem, vectionem, pensionem, lationem. In his motibus violentis præcipuas difficultates circa tractionem & projectionem, quæ est pulsionis species, ex suis principiis solvit; deinde reflexionem, causam accelerationis in descendentibus, motum pendulorum, causas variorum motuum mistorum, refractionem, leges motus seu phænomena corporum collidentium, & tandem quietem dilucidat. *In Exploratione IV.* naturam ætheris & globulorum ac cœlestium sphærarum formationem indagat, expensisque celebribus hypothesibus Ptolemæi, Copernici, Tychonis, & Hamelii, novam ponit divinæ sapientiæ, revelationi & experimentis magis congruam, quæ nec in omnibus differt, nec in omnibus convenit cum modo nominatis. Eam primo generaliter, ut in schemate proponit, & deinde phænomena omnium planetarum, motuumque communium inde consequentium, prout ex indefessa industria recentium astronomorum, ope telescopiorum aliorumque instrumentorum inveniuntur, ordine

dine applicat. Supponit autem, & vindicat quoque ab objectionibus, tum ex ratione tum ex Scriptura sumtis, terræ motum diurnum ab occasu in ortum. *Exploratione Quinta* gravitatis causam cum Cartesianis circulari motui ætheris adscribit, a quibus tamen quoad modum operandi recedit, atque porro ex sua opinione causam levitatis effectusque præcipuos gravitatis, juvantia gravitatem in fluidis potissimum, ac tandem causas insignium effectuum per instrumenta mechanica deducit. Juxta *Explorationem Sextam* ignis essentia consistit in figura corpusculorum igneorum, ac pressura ad motum circularem circa sua centra. Figura autem eorum dicitur constare ex spiculis per alterum extremum unitis, flexibilibus & per motum partis intimæ, cui uniuntur, undequaque porrectis. Quam veram esse ignis ideam, ex phænomenorum ab igne provenientium resolutione confirmatur. *Exploratione Septima* Cartesio consentit, ignis vibrationem esse causam lucis et luminis. *Exploratione Octava* calorem docet consistere in motu igniculorum, quo alia corpora premunt ac stringunt, pro diversa conditione igniculorum & istorum corporum, & contra frigus in aptitudine corporis ad impediendam rotationem igniculorum. Corpuscula ex quibus aqua componitur, opinatur esse filamenta undiquaque aspera, fibris metallorum tenuiora, olei crassiora, *Exploratione IX.* Causam æstus marini Cartesianam approbat *Exploratione X.* De fontibus & fluminibus agens *Exploratione XI,* curiosum fontem in Anglia nuper inventum descripsit. Aquæ oleum subjungit *Exploratione XII,* ob similitudinem corpusculorum & phænomenorum, idque præcipuum constitutivum corporum mistorum laudat, quod Chymici male sulphur appellent. *Exploratione XIII* salem componit ex corpusculis instar spiculorum longis, figuræ cylindricæ, undiquaque asperis, ejusque species contemplatur. *Exploratio XIV* agit de fermentatione, cujus sal præcipuum est instrumentum; *Exploratio XV* de corrosione & metallorum solutione; *Exploratio XVI* de fixatione & congelatione, salis effectibus. *Exploratione XVII* inquirit spiritus specificos, i. e. alia simplicia & originaria corpuscula, quæ nec ad ætherem, nec ad ignem, nec ad aquam, nec ad terram, sal aut oleum referenda sunt, peculiarem tamen habent figuram, pressuram & motum naturalem ab istis omnibus diversum, quorum maxima efficacia sit in universo,

præsertim quoad vegetabilia & animalia, & quæ omnium materialium spiritus propriissime dicendi sint, quod naturalem pressuram & motum spiritualem habeant.

Exploratione XVIII docet, communis terræ corpuscula esse rotunda, aut rotunditati proxima, habentia angulos maxime obtusos, ob quam causam in aere & aqua non suspendantur, & corruptionis fiant origo passiva, quia resectis filamentis aqueis & oleosis corpuscula terrestria non amplius in unione retineantur: causas phænomenon magneticorum, neque a Peripateticis, neque a Democriteis, neque a Cartesianis assignatas esse genuinas, ideoque aliam inquirit & pertractat: semina plantarum, quæ corpusculis terrestribus annumeranda, a Deo creata, & circa superficiem terræ disseminata fuisse censet.

Exploratione XIX aerem componit ex igniculis & heterogeneis corporibus aliquantulum onustis, sed magis æthere puro repletis, ideoque celerius rotatis & minus oneratis in aere, quam in aqua aut oleo. Ex qua ejus natura phænomena tum naturalia tum artificialia, nimirum respirationem animalium, motusque ei similes, deinde suctionem, motus varietatem in hygroscopiis, in tubo Torricelliano, aliisque barometris & thermometris, cohæsionem tabularum politarum in libero aere, aliove fluido, cohæsionem instrumenti Magdeburgici, campanam urinatoriam, pressuram aeris in aquam; quæ in antlia pneumatica conspiciuntur, quæ corporibus in recipiente exhausto conclusis contingunt, sive liquoribus, sive floribus, herbis & fructibus, sive duris corporibus, sive lucidis, sive animalibus; quomodoque motus in eodem se habeat, educit. Tandem altitudinem atmosphæræ facit 32000 pedum.

Explorat. XX vacuum omne explodit, atomistarumque argumento a compositione continui per indivisibilia, unde vacuitas resultet, respondet; universum non integrari per prima principia extensa quadrangularia, sed triangularia, & ita nullam esse, ne puncti quidem, vacuitatem. Porro etiam puncta quatuor fieri plena interposito medio puncto, tumque ista quatuor puncta tangere punctum medium, nec ullam fore vacuam distantiam, atque inde fieri originem circuli.

Ultima Exploratione qualitates communes materiales explicat, puta

puta quantitatem, exilitatem, tenuitatem, fluiditatem, liquiditatem, humiditatem, firmitatem, duritiem, soliditatem, & cæteras.

D. JUNII JUVENALIS ET AULI PERSII Satyræ cum veteris Scholiasta & variorum Commentariis. Editio nova.

Amstelodami, apud Henr. Wetsteinium, anno 1684, in 8.

D. JUNII JUVENALIS AQUINATIS Satyræ Veterum Scholiis & Doctorum Commentariis illustratæ, ex recensione Henrici Christiani Henninii.

Ultrajecti ex officina Zyliana anno 1685, in 4.

QUanquam principatus inter satyricos scriptores Horatio tribuatur ab aliis, eo quod inter morositatem obscuritatemque Persii, & Juvenalis æstuationem atque luxuriem medius veluti incedat, austeritatem nempe jocorum suavitate attemperans, palmam tamen veritatis præ illis mereri videtur Acron, vetus ille Horatii commentator, sic dicens: *nisi Juvenalis scripsisset, Horatio nemo esset melior*; quam sententiam & præter duos Scaligeros, Julium Cæsarem & Josephum, Justus Lipsius, atque Eilhardus Lubinus, aliique plures suam faciunt. Et profecto sermo Juvenalis longe omnium est latinissimus, & purior, quam Horatii; numeri etiam rotundi, concinni, & Horatianis multo exactiores; sententiæ denique creberrimæ, & ad stuporem usque ingeniosæ, ut nihil dicamus de argumentorum nobilitate ac varietate, quæ tanta ingenii judiciique dexteritate tractavit, ut affirmare nihil vereatur Lubinus, qui Satyras Juvenalis omnes prosaria ecphrasi reddidit, in una Juvenalis Satyra plus doctrinæ & sapientiæ ad vitam moresque regendos contineri, quam in X Aristotelis ad filium libris. Quam Juvenalis præ Scriptoribus aliis excellentiam cum probe agnoverint viri in summis Reipublicæ literariæ anabathris constituti, eum studiosæ juventuti quam eni-

xiſſime commendarunt, eundemque non multoties tantum recudendum fecere, ſed & doctiſſimis commentariis ac notis illuſtrarunt. Quod recentiores Juvenalis editiones attinet (nam anteriores omnes hic memorare nil attinet) principem inter illas locum ſibi vendicat illa a *Ludovico Prateo* in uſum Sereniſſimi Delphini Pariſiis a. 1684 edita, quam ſuperiore anno in Actis Octobris pag. 448 & ſeqq. recenſitam a nobis eſſe meminimus. Huic proxime jungenda venit Amſtelodamenſis, quæ eodem, quo Pariſienſis anno, in lucem prodiit, & obſtetricante quidem doctiſſimo Bibliopola *Henrico Wetſteinio*. Hic non aliam ſecutus eſt editionem, quam Schrevelianam, ita tamen ut tautologias, quarum non paucas deprehendit, eliminaverit, earumque loco obſervationes plurimas easque præſtantiores, ex Grangæo aliisque ſubſtituerit. Adjecit etiam obſervationes aliquot clariſſimi Grævii, & quas Octavius Ferrarius in Electis ſuis vulgaverat, ſuo loco inſeruit. Indicem præterea verborum omnium, eumque accuratiorem eo qui Britannici editioni acceſſerat, ſubjecit; Perſii autem indicem plane novum addidit. De cætero ne antepagmenti quid eleganti huic operi deeſſet, *Nicolai Rigaltii* diſſertationem de Satyra Juvenalis præfixit, ut & varias lectiones ex Juvenale manuſcripto, qui in Bibliotheca Baſileenſi aſſervatur, excerptas.

Sed ecce recentiorem adhuc duabus hiſce, Pariſienſi videlicet & Amſtelodamenſi, Juvenalis ac Perſii editionem, quam ſuperiore anno Vir clariſſimus *Henricus Chriſtianus Henninius* cum veterum & recentiorum commentariis Ultrajecti publicavit. Hic non minus, quam Wetſtenius, editionem variorum a Schrevelio editam fuit ſecutus, & quidem tam in Satyris ipſis, quam in ſcholiis veterum, ſed & ipſe in locis nonnullis variavit, inq; ſcholiis & verſus poetarum integros ſecundum editionem Pithœanam excudi fecit, quod in editione variorum Schreveliana neglectum fuerat. Singulis Satyris præmiſit verſiculos argumenta Satyrarum referentes; ac præter veterum notas *Iſaaci Grangæi* potiſſimum, quia & abſtruſiora pleraque explicent, & ex optimis autoribus hinc inde conquiſitæ ſint, textui ſubjecit. Juvenalis iſthoc τὸ κείμενον ſeu textum, & notas, quas diximus, tam veteris Scholiaſtæ, quam Grangæi excipiunt *Johannis Britannici* Brixiani commentaria in Juvenalis Satyras, quibus & *Cœlii*

& *Cœlii Secundi Curionis* (nam huic Britannicus Poetæ ſenſum non ſemper aſſecutus videbatur) ſunt immixta. In his Henninius nonnusquam pueriles & grammaticas verborum facillimorum paraphraſes expunxit; litura etiam errores nimis craſſos induxit, & quæ Grangæus in obſervationibus ſuis jam attulerat, omiſit, ne crambe videlicet bis cocta legentibus apponeretur. Sequuntur hæc tum *Theodori Pulmanni*, tum *Petri Pithœi* variæ in Juvenalem lectiones, una cum notis *Nicolai Rigaltii*, ut & notis aliquot lectionis repetitæ, quæ Priſciani, Servii, Acronis, & ſimilium ex Juvenale citationes, nec non nonnullas manuſcriptorum codicum variantes lectiones repræſentant. Succedunt *Domitii Calderini* Veronenſis commentaria. In his omiſſæ ſunt paraphraſes, argumenta item, & errores ab Henninio deprehenſi; adductæ vero in illis veterum Gloſſæ, ſed ſine indicio, & meliora aliis ex *Angeli Sabini* Turrenſis quæſtionibus ſuper Juvenalem. Sequuntur Notæ ex *Georgii Vallæ*, *Antonii Mancinelli*, & *Jodoci Badii Aſcenſii* commentariis, *Hadriani Junii* Scholiis, *Eilhardi Lubini*, & *Bernhardi Autumni ac Thomæ Farnabii* annotationibus ſelectæ, quæ & ſelectæ a concinnatore ſuo Henninio appellantur; ut & cento variorum, ſeu ſylloge notarum *Iſaaci Voſſii*, *Octavii Ferrarii*, *Claudii Salmaſii*, *Caſparis Barthii*, *Iſaaci Caſauboni*, *Joh. Frid. Gronovii*, *Nicolai Heinſii* aliorumque plurimorum; animadverſa item *Theodori Janſſonii ab Almeloveen*, & ipſius editoris *Henninii* ſpicilegia; quibus omnibus Index abſolutiſſimus vocabulorum omnium, quæ in Satyris XVI Juvenalis reperiuntur, isque ſumma fide recenſitus, & ad hanc editionem accommodatus, ſubnectitur. Præmittuntur huic operi, ne & hoc prætermittamus, prolegomena, inque illis vita Juvenalis, quæ Suetonio Tranquillo a quibusdam adſcribitur, una cum notis *Petri Pithœi* & *Henninii*; 2 elogia, teſtimonia ac mentiones veterum, item judicia nonnulla eruditorum recentioris ævi de Juvenale, & 3 *Nicolai Rigaltii* diſſertatio de Satyra Juvenalis ad illuſtriſſ. Jacobum Auguſtum Thuanum, in qua de origine & ratione Satyræ a Juvenale ſcriptæ accurate diſputatur, & loca illius plurima perquam ſagaciter excutiuntur.

RELATION DE L' ETAT DE GENNES &c.

id est:

Relatio de ſtatu Genuæ, additis pactis per quæ Genuenſes ſeſe Carolo VI Galliæ Regi ejusque Succeſſoribus dediderunt. Autore Dn. Le Noble, Procuratore Generali in Parliamento Metenſi.

Lutetiæ, apud Car. de Sercy, 1685, in 12.

PRodiit libellus hic non multo poſt horrendam illam ignium lapidumque pluviam, quam celeberrima Genuenſium urbs a Gallica claſſe anno 1684 paſſa eſt, ac durantibus adhuc inter Galliæ Regem ac Rempublicam illam diſſidiis. Deſcribitur autem in eo breviter ſtatus *Genuæ*, ſive ut ſeculis anterioribus ſcribebatur, *Januæ*, urbis & Reipublicæ nobiliſſimæ, quæ in ora Liguſtica & in Tuſciæ finibus ſatis late imperat, & Corſicam inſulam regni nomine decoratam ſibi ſubjectam habet, poſtquam hæc a Caroli Magni Legato, Genuæ Præfecto, Saracenis erepta fuit. Inveniet hic Lector in compendio notabilia plurima de ſitu ſtructura, & deliciis urbis; de nobilium ſeu patriciorum familiis; de oppidis, arcibus & regionibus dominio Reipublicæ ſubjectis; de proventibus opiparis ex oleo, vino & mercatura ſalis; de apparatu nautico; tum de forma gubernationis, & de interioribus quibusdam ſtatum tuendi artibus, utque mercatoriæ utilitatis vinculo Genua, ut ut libera, Hiſpanicæ Monarchiæ connexa ſit. Conſiderari præ aliis meretur Collegium quoddam ſeu Tribunal, quod a S. Georgio cognominatur, raro exemplo, veluti ſeparatus quidam & a nemine dependens Status, in media Republica erectum, cui pleræque civium opes concreditæ ſumma fide ac ſecuritate ſervantur. Scilicet neceſſitate publica aliquando ita exigente, ingentes æris ſummæ a civibus æque ac extraneis nonnullis mutuo olim ſumtæ fuerunt, oppignoratis in creditorum ſecuritatem vectigalibus aliisque reditibus publicis. Utque ex his tanto certiorem uſurarum exolutionem nunquam non ſperare poſſent creditores, permiſſum ipſis fuit e numero ſuo collegium quadringentorum virorum erigere, ac ex his rurſus Præſidem cum octo Protectoribus, quos vocant, aliisque nonnullis officialibus eligere, quibus ipſa redituum dicto modo oppigno-

pignoratorum atque ceſſorum exactio & ad miniſtratio concrederetur, ut exinde creditorum ſingulis uſuræ habita ſortis proportione diſpenſarentur. Atque hi jam liberrimo jure ac a poteſtate ſuprema velut emancipato, de cauſis ſuper negotio hoc emergentibus, tam civilibus, quam criminalibus ſtatuunt. Tam inviolabili vero nexu bona fides inter Rempubl. & Collegium hoc ſervatur, ut ſummis etiam neceſſitatibus illam prementibus, nefas tamen ſemper habitum fuerit, in hujus reditus ullatenus involare: in tantum ut nec civibus rebellibus, nec extraneis bello cum Republ. implicitis, accurata uſurarum de ſorte iſtac collocata præſtatio ſeu exolutio unquam fuerit interverſa. Egregia etiam eſt annonæ cura: ſumtu enim publico ingentia & fornicibus adverſus incendia munita horrea ædificata ſunt, quæ Magiſtratus frumento in tempore coemto implet, ut ſemper ad tres annos copia adſit, moderato pretio piſtoribus diſtribuenda. Ita etiam vini particulatim vendendi poteſtatem ſolus habet Magiſtratus in cellis publicis, conſtituto æquo valore, & evitata omni mixtione. Monetæ porro laudabilis perhibetur modus, ita ut melior paucis locis reperiatur. Quod ad Reipublicæ reditus attinet, auctor tradit, eos octingenta ſcutatorum millia non ſuperare. Hæc ad ſtipendia trium peditum millium, qui in præſidiis habentur, & ad ſumtus in triremes ordinarias ſex, tum in ſalaria magiſtratuum & penſiones æris alieni, impenduntur. Utut vero urbs hæc civium induſtria ob maris & commercii commoditatem, regionis etiam fertilitatem, inter opulentiſſimas Europæ cenſenda ſit, plus tamen nominis aut opinionis, quam ſolidæ potentiæ illi tribuit auctor, nec defectus tacet, quibus laborare eam exiſtimat. Scopum tandem ſuum non ſparſim ſolum, ſed in fine libri evidenter patefacit, ubi ex iis, quæ narraverat, hoc format judicium: Nobilitatem Genuenſem, ſi a præjudiciis diſcedere, & veram utilitatem reſpicere velit, pro vana libertatis imagine, ſub qua unius legitimi Domini loco centum tyrannos patiatur, regium imperium ſubituram eſſe; quod utique perfectiſſimum eſſe, & Romæ vetus, & hodiernum Florentiæ exemplum evincat. Hoc poſito, non in aliam, quam Galliæ Regum poteſtatem majori cum ſucceſſu concedere eam poſſe arbitratur: hos etiam veros & legitimos ejus Dominos eſſe, poſtquam olim civitas ſponte Carolo VI omne in ſe imperium detulerit. Quod ſi Chriſtianiſſimi

Regis

Regis,qui nunc rerum potitur,virtutes incõparabiles conſideraverit,ejusq; protectioni bona fide ſeſe commiſerit,ad quẽ magnitudinis gradũ non perventura eſt(ſcribit)Respublica?qua libertate & utilitate ſub Regii vexilli veneratione negotia maritima exercebit? qui piratæ in mari mediterraneo comparere audebunt ? Nonne, quam nunc ſex triremium ſumtus premit, viginti inſtruere poſſet, expenſis inutilibus liberata ? Nobilitas luxu & otio marcida, ſub Rege, qui virtutes& merita diſcernit & honorat, ad ſummas dignitates in regno emerget, & Genuenſes Maſſilienſibus ſociis a Freto Gaditano ad Helleſponti clauſtra mari imperabunt, ipſumque Turcorum Sultanum in regia ſua contremefacient. Junctæ vero opes Regiæ & ſubditorum, culmen potentiæ perficient,in quod virtute & fortuna ſua Gallia aſſurgit. Addit votum auctor, ut Rex coronæ ſuæ hanc gemmam propediem uniat, neque inter illum & Genuenſes aliud certamen ſit, quam de clementia in cives a Rege, de obſequio ab his in illum exercendo. Subſcribit dictum Pſalm. VII: *niſi converſi fueritis, gladium ſuum vibravit, arcum ſuum tetendit & paravit illum.*

Ut vero voti deſideriique ſui rationem reddat, pactum ipſum anno 1396 menſe Octobri, inter Legatos Caroli VI Galliæ Regis,& inter *Antonium Adurnum* Ducem & Senatum civitatis Januenſis Latine conſcriptum, cum Gallica verſione adjungit ; cujus ſumma & ſtylus eſt:Januenſes ex certis, juſtis & rationabilibus cauſis matura deliberatione digeſtis, Carolum Regem & ſucceſſores ejus in verum dominum civitatis, diſtrictus , territorii, & pertinentiarum ejus eligunt & habituri ſunt, inque eos omne jus, proprietatem & poſſeſſionem jurisdictionis, præeminentiæ & honoris, quod habent & habere poſſunt, transferunt. Promittit viciſſim Rex, conſtituto licet ex ſubditis ſuis Gubernatore , regimen tamen urbis ſuo nomine & ſecundum ſtatuta Januenſia adminiſtrandum, conſilio *Ancianorum*, ſive Seniorum, i.e.Senatus conceſſurum, ac leges civitatis ſervaturum eſſe: abſente vero aut non conſtituto Gubernatore regio, permittit, ut primus ex Senatoribus,qui ſemper *Gibellinarum* partium eſſe debeat, ejus fungatur officio. Statuit porro, ut hoſtes amicosque communes Rex & cives habeant ; hi ſub vexillo regio, addito tamen & Imperii & civitatis inſigni, liberrime navigent, & Rex in universum Genuenſes ita protegat, ut fideles ſubditos a vero & bono Domino

mino protegi fas eſt, utque pari cum Gallis ubique jure cenſeantur. Octo vero caſtra ſeu fortalitia regis cuſtodiæ permittantur, ſumtu ſcilicet civitatis ; præter quem tamen & Gubernatoris ſalarium nullum aliud tributum populo imponi poſſit. Additur, quia tunc ſchiſma inter Pontifices erat, Regem Januenſibus nihil ratione Eccleſiæ imperaturum eſſe,quod ipſorum opinioni contrarium eſſet. Iſta & alia, in quæ conventum eſt, juramento firmata ſunt, & ratihabitio Regis ſecuta eſt, quæ integra exhibetur, die 11. Decembr. an. 1396 data. *Adurnus* pro Duce Regius Gubernator factus, & inſignia Gallica in portu, & in turri palatii erecta fuerunt , idemque pactum anno 1458 cum Carolo ſeptimo renovatum, per annos centum & quinquaginta valuiſſe traditur, donec poſt cladem & captivitatem Franciſci I, Andreæ Auriæ defectione Urbs in illum ſtatum, ad exemplum fere Venetæ Reipublicæ,anno 1528 pervenit,in quo nunc verſatur.

TH. J. AB ALMELOVEEN OPUSCULA, ſive Antiquitatum e ſacris profanarum ſpecimen, Conjectanea, Veterum Poetarum fragmenta, & Plagiariorum Syllabus.

Amſtelodami, apud Janſonio Waesbergios, 1686. in 8.

Multum conferre antiquitatis Rabbinicæ ſtudium ad Novum Teſtamentum felicius interpretandum, oculatiſſimi dudum intellexerunt Viri, & propterea in eruendis veterum Judæorum ſcriniis operam collocarunt permagnam. Ut *Joh. Buxtorffium* taceam, qui *in Lexico Rabbinico - Talmudico* non pauca Novi Teſtamenti loca ex Rabbinorum libris illuſtravit, *Johannes Druſius* certe *in libris Præteritorum decem*, *Cappelli* fratres , *Jacobus in obſervationibus*, & *Ludovicus in Spicilegio*, & maxime omnium *Johannes Lichtfoot Horis Hebraico-Talmudicis in IV Evangeliſtas & alios quosdam Novi Teſtamenti libros*, evicerunt clariſſime , explicationi Novi Teſtamenti , utpote a Judæis concinnati, ex profanis Judæorum ſcriptis haud parum accedere poſſe luminis. Nec ſoli Rabbini, ſed & profani ſcriptores alii, illuſtrandis utriusque fœderis monu-

mentis egregie inſerviunt. Oſtenderunt id ipſum *Johannes Henricus Urſinus in Analectis ſacris*, *Sylva Theologiæ Symbolicæ* &c. *Johannes Conradus Dietericus in Antiquitatibus Biblicis*, *Paulus Sherlogus in Antiquitatibus Hebraicis*, *Joſua Stegmannus in Studii Pietatis Icone*, *Dougtejus* & alii plures, quorum catalogum texere ſupervacaneum credimus. Poſt hos omnes larga beatos beantesque meſſe, clariſſimus Autor ſpicilegium relictum ſibi eſſe probe perſpexit, multorumque excitatus hortationibus, *ſpecimen* præſens erudito indulſit orbi. Loca in univerſum XXIIX propinat, ſingulaque ita tractat, ut ex profana antiquitate, quæ ad intelligentiam eorum faciunt luculentiſſime, ſedulo producat. Exempli loco unum alterumque adducemus, ne ſingula delibantes novo ſpicilegio aut ſpecimine Lectori tædio ſimus. Primum omnium profert locum *Gen III. 7.* & præmiſſa opinione ſatis frequentata, ficum fuiſſe arborem, cujus fructum ne attingerent vel comederent, primis parentibus interdictum erat, argumentisque prolatis variis, rem ipſam ex Periphallis ſeu Phallagogiis Gentilium, quæ inde manaſſe autumat, dilucidat, & de ficu ruminali nonnulla ſubjicit. Alter locꝰ habetur *Gen. VI. 4* ad quē illuſtrandum non modo allegat Autores, qui navium ſtructuram ſunt commentati, *Lazarū Baiſiū*, *Iſaacum Voſſium*, *Marcum Meibomium*, *Nicolaum V Witſen*, & a ſe concinnatum *rerum inventarum Onomaſticum*, verum etiam a longo tempore cera ac pice illinere naves, apud antiquos in uſu fuiſſe, pluribus confirmat teſtimoniis. Reliqua adjicere ſupersedemus, excepto loco unico Pſal. LVI. 9. cum curioſitati Lectoris non male hac repetitione conſultum iri credamus. Videlicet exiſtimat Autor Davidem hæc ſcribentem, in animo habuiſſe morem apud Gentiles, forſan & apud Hebræos, familiariſſimum, quo lachrymas utre incluſas ſervarent, apponerentque in ſepulcris vel ipſis cadaveribus. Ejusmodi lachrymatorium Embricæ Clivorum comparatum, una cum urna & lampade Autor figura deſcriptum exhibet, aliudque vitrum alibi comparatum inſerit, ut, quemadmodum ipſe ſcribit, reſciſcere poſſet ex viris doctiſſimis, quod qualeque ſit, ſiquidem ipſe dubius hæreat, alii vero urnam vitream, alii, ut voce utatur medica, urinale, alii lachrymatorium dicant. Diverſam ejus eſſe figuram a figura lacrymatorii, quam propoſuere *Johannes Jacobus Chifletius Veſont. Part. 1. cap, 27. pag. 97.* & *Jacobus Sponius in miſcellaneis eruditæ*

ditæ antiquitatis (a nobis enarratis *anno 1683. M. Sept. pag. 369. ſqq.*) *pag. 304.* ipſe non diffitetur. Specimini ſubjungit *Conjectanea*, in quibus *Marcum Velſerum Opp. pag. 511.* de lapide quodam ejusque figuris diſſerentem modeſte tangit, & quod puerulus manu tenet, non cardui ſcolymon, ſed nucem pineam eſſe, tanquam amoris ſive conjugii ſymbolum, variis rationibus ac auctoritatibus demonſtrare ſtudet. His ſubnectit aliqua, quæ obſervata a *Caſparo Sagittario de veterum januis earumque ornamentis* confirmare, illuſtrare aut ſupplere poſſe videantur: dein duo proverbia Latina, *ad umbilicum perducere*, & *pro aris & focis dimicare*, duo proverbia Belgica, *Het Katje van de baan Zijn* & *Geen Kat Zyn om ſonder handſchoen aan te grypen*, exponit, *Ciceronem* emendat & *Iſidori* quædam loca corrigit. Addit porro *fragmenta veterum Poetarum*, *Accii*, *Ælii*, *Afrani*, *Attæ*, *Cæcilii* aliorumque, ex *Servio ad Virgilium*, *Donato in Terentium* magnam partem excerpta. Tandem *plagiariorum Syllabum* adjicit, auctarium, quod ipſe in Præfatione affirmat, lucubrationum B. *Jacobi Thomaſii* Polyhiſtoris inſignis, cujus ſummorum in rem literariam meritorum Academia noſtra nondum dememinit, de *plagio literario*; & *addenda atque emendanda* paginis aliquot abſolvit.

METHODE GENERALE POUR TRACER des Cadrans ſur toute ſorte de plans &c.

h. e.

Methodus Generalis deſcribendis Sciatericis ſuper quibuscunque planis, Autore Dn. Ozanam, Profeſſore Mathematicæ.

Pariſiis, apud Stephanum Michalettum, A. 1685, in 12.

SEcundam hanc eſſe Libri hujus editionem, Autoris ad Lectorem indicat præfatiuncula, eamque priori non parum auctiorem: ex acceſſu eorum, quæ cum ductu propriæ experientiæ, tum amicorum monitu, Autori viſa ſunt ad perfectam Gnomonicæ cognitionem conducere. Ipſam Gnomonicen redactam in formam compendii, univerſa tamen, circa ſcientiam hanc ab aliis tradita, complexi, theo-

remati huic tanquam fundamento omnibus omnino sciatericis communi inædificat: *linea recta maximum Sphæræ circulum in plano aliquo repræsentans, geometrice dividi potest in partes inæquales, gradus illius circuli exhibentes:* hujusque usum priusquam in praxi delineandorum solariorum commonstret, rationes ducendarum super plano linearum, horizontalis, substylaris, meridianæ; inveniendarum, altitudinis, declinationis & verticalis Solis, elevationis poli, declinationis plani; dividendæ lineæ æquinoctialis in horas &c. per modum lemmatum, succincta facilique demonstratione firmatorum, exponit.

Capitibus deinde tribus constructiones sciatericorum, super planis, horizontali, verticali & inclinato docet; modum in singulis, pro diversa planorum conditione, innuens, designandis arcubus signorum zodiacalium, horis Italicis & Babylonicis; circulis altitudinum, domorum cœlestium, verticalibus & parallelis Solis. Coronidis loco capite quarto eoque ultimo sciaterica quædam minus communia describit, nimirum portatile rectilineum, ellipticum, hyperbolicum, eaque universalis usus; Astrolabium item Horizontale, & sciatericum horizontale dioptricum.

THEOPHILI BONETI D. M. MEDICINÆ Septentrionalis collatitiæ Pars altera.

Genevæ, apud Leonh. Chouet. 1686, in fol.

Diximus de instituto clarissimi auctoris, utilissimo utique ac merito commendando, in Actis nostris mense Novembri 1684, pag. 594 seq. cum primam *Medicinæ septentrionalis collatitiæ* partem recenseremus. Itaque cum idem propositum altera quoque, quam nunc sistimus, parte prosecutus sit, nihil aliud necesse nunc erit innui, quam quæ argumenta complecti ea diligentissimus variarum observationum medicarum, a Germanis, Anglis, & Danis profectarum, collector voluerit. Nimirum uti in prioris partis libro primo circa capitis, altero circa thoracis, tertio circa abdominis affectus observationes rariores exhibuerat: ita in posteriore hoc tomo quartum librum mulierum affectibus confecravit, clarissimorum virorum de uteri morbis, de mensibus muliebribus & fluore albo, de passio-

passionibus hystericis, de fœcunditate & sterilitate muliebri, de conceptione vera & falsa, de abortu, de partu difficili & nullo, de puerperiis, fœtibus, mola, mammis & lacte, selectis observationibus. Quinto libro de omnis generis febribus egit, ephemeris, continuis, hecticis, intermittentibus, malignis; nec non de peste, variolis, morbillis & affinibus. Sexto libro observationes complexus est de affectibus externis corporis habitus, trunci, artuum, de arthritide, tumoribus, vulneribus, ulceribus, fracturis, luxationibus, venenis, antipathiis variis &c. Septimo libro paralipomena exhibet, & priorum librorum supplementa, quod & observationes quædam primam diligentiam effugissent, & dum sub prælo opus gemeret, prodiissent in lucem recentiores. Libro denique octavo reliquam rem medicam secundum medicinæ partes digestam ita comprehendit, ut physiologica primum, inde semejotica, postea diætetica, & therapeuticen denique tradat. Adjecta sub finem est appendix, miscellanea, seu quæ ad certum caput reduci commode non posse visa sunt, continens.

LINDENIUS RENOVATUS, SIVE JOHANnis Antonidæ van der Linden de scriptis medicis libri duo, continuati & dimidio pene amplificati a Georgio Abrahamo Mercklino.

Norimbergæ, apud Joh. Georg. Entherum 1686, in 4.

Quam in *Castello Renovato* operam Medicorum filiis Jacobus Pancratius Bruno, eam in *Lindenio Renovato* G. A. Mercklinus præstitit. Nam ut ille *Bartholomæi Castelli* Lexicon Medicum, quod studiosæ juventutis medicæ manibus tritum dudum fuerat, sed defectibus suis laborabat, ita supplevit, ut majori longe usui esse nunc possit, ceu in Actis anni 1682, mense Decembri pag. 401, pluribus memoravimus; ita hic *Joh. Antonidæ Lindenii* de scriptis medicis libros, non minori in pretio semper habitos, sed supplementorum, ob libros quorum ad Lindenium notitia non pervenerat, novorumque qui de re medica post illius mortem prodierunt, scriptorum immensam copiam, indigos, perficere sustinuit. Utrumque vero labore hoc suo de re publica medica egregie esse meritum, ut nemo it inficias, ita

elogiis noſtris memorari non attinet. In nova vero hac *Lindenii Renovati* editione, quid præſtitum a clariſſimo editore fuerit, quid corrigendum ſit & hic illic emendandum a Lectore, in præfatione operi præmiſſa uberius exponitur; nec prætereunda Mercklini ingenuitas, qua celeberrimos viros nominat, quorum opera adjutum ſe in nova hac editione profitetur, *Guidonem Patinum*, *Iohannem van Horne*, *Carolum Offredum*, *Gabrielem Clauderum*, *Conradum van Hooven*, *Theodorum Colbium*, *Lucam Scröckium Jun. Joh. Maurit. Hofmannum*, *Joh. Georg. Francum*, *Paulum Hermannum*, *Joh. Chriſtianum Frommannum*, *VValdſchmidium*, *Joh. Chriſtian. Tralleſium*, *Joh. Georgium Volckamerum*, *Septimum Andream Fabricium*, *Emanuelem Guilielmum Ayrerum*, *Chriſtoph. Fridericum Gruberum*, & inprimis *Ioh. Paulum VVurffbainium*. Unde facile intelligitur, quanti æſtimanda ſit nova hæc bibliotheca medica, cui adornandæ tot tantique viri auxiliatrices manus admoverunt. Denique ſilentio prætereundum non eſt, de quo in Præfatione Lectorem Mercklinus admonuit, celeberrimi quondam Medici ac Philologi, *Caſparis Hofmanni*, in omnia Galeni volumina Commentarium Græco-Latinum manuſcriptum, eumque exaſciatiſſimum, ſupereſſe adhuc, & a *Ioh. Georgio Volckamero*, viro clariſſimo & Hofmanni tum arte Medica, tum elegantiorum litterarum cultu ſimillimo, poſſideri; qui ut quamprimum luci publicæ, qua haud dubie longe digniſſimus eſt, & philiatrorum uſibus exponatur, etiam atque etiam exoptamus.

D. GEORGII CHRISTOPHORI PEISKERI Index de Vernaculæ & rerum Germanicarum ſignificatione, pro Græcæ ac Germanicæ linguæ analogia.

Lipſiæ, typis Joh. Köleri 1685. in 12.

GErmanicam linguam longe antiquiorem eſſe linguis tam Græca, quam Latina, poſt alios literariæ orcheſtræ proceres CL. Morhofius, præfulgidum Academiæ Chriſtian-Albertinæ in Holſatia lumen, in diſquiſitionibus de Germanica lingua & poeſi (quas in Actis noſtris anni 1682 p. 271 & ſeqq. recenſitas vide) luculenter admodum deduxit, & explicatius dubio procul deducet in *Originum Germanicarum*, quod

quod moliri ſe illic ait, opere. Et quem latet, Goropium Becanum jamdudum ſtatuiſſe, Germanicam linguam mundo ipſi antiquitate eſſe parem? Superiore menſe *Ioh. Ludovici Praſchii* diſſertationem ad Acta retulimus, in qua Latinam linguam non aliunde quam ex Germanica oriundam eſſe παραδόξως quidem, ſed ſatis plauſibiliter oſtendit. Alium autem eidem ſubjunximus παραδοξολόγον, *Ericum* videlicet, natione Germanum, ſed Profeſſorem Patavinum, qui in *Principio*, ut vocat, ſuo e *myſterio renato*, linguam Græcam non Germanicæ tantum, ſed & aliarum Europæarum linguarum facit matrem. Ab hac ſententia, quod Germanicam quidem linguam attinet, non multum abludere videtur *Peiskerus* conſultiſſimus, in Indice ſupra memorato. Nam & hic vocabula Germanica non alius, quam Græcæ originis eſſe contendit, Græcamque & Germanicam non ſecus inter ſe differre, quam linguam eruditam ac vulgarem; tumque mirificam utriusque linguæ analogiam deprehenderit, *Lexicon Græco-Germanico-analogicum* adornavit, cujus prodromum hunc indicem vocum quarundam Germanicarum alphabeticum, ut vadum veluti prætentaret, eſſe voluit. Deducit autem, ut nonnulla ſaltem verba ex hoc Indice afferamus, Bahn / bahnen / a ϐαίνειν gradiri, dienen a τείνειν, τείνεσθαι extendere, ehren ab ἐρᾶν, amare, erben ab αἴρειν, tollere, Kerckern a καρκαίρειν tremere, Küſſen a κύειν, κύσαι, oſculari, qvicken / erqvicken / a κικύειν valere &c. ſic Edel dictum ipſi videtur ab ἀθλ- præmium, Faſte ab ἀπαφία inedia, Haſe ab ἔας, auritus, Ahnen ab ἀνω ſupra, Artzt ab ἄριστ- optimus, Hagen vel Hayn ab ἅγι- ſanctus, Hülff ab ἔλπις, ſpes, Jahr ab ἔαρ ver, Kuhrn a κήρ, ſors, fatum, Noth a νωτίζω fugio, Ofen ab ἄυω accendo, Rauſch a ῥάζω aſpergo, Raſt a ῥαστώνη, laboris levamentum, Volck ab ὅλκος, tractus &c. De cætero uti Themidis potiſſimum vexilla ſecutus eſt Peiskerus, a qua & ſummum brabeum retulit, ita, dum vocabula Germanica ex Hellade arceſſit, non pauca, utilia non minus, quam jucunda, interſpergit ex prudentia civili ac forenſi depromta.

Sed ecce dum in eo jam ſumus, ut aliquid de inſtituto iſthoc Peiskeriano Actis noſtris inſeramus, ex Bononia, antiquiſſima illa ſtudiorum matre, ad nos perferuntur prolixiuſculæ Viri CL. *Ioſephi Mariæ Bellini*, quem famigeratiſſimi fratris *Laurentii Bellini* veſtigia

cum

cum laude sequi inaudimus, literæ. In hisce & ipse in itinere ante quadriennium per Germaniam facto deprehendisse se profitetur, *linguam Germanicam* (verba ejus referimus) *omnino Græcam esse; Græcam linguam vocalibus & syllabis circumcisam, & consonantibus roboratam, ita, ut quemadmodum Bononiensium lingua in Italia se ad Italicam habet, ita Germanica ad Græcam*; & ne quid fictum nobis & fabulosum narrare videatur, speciminis loco nobis mittit dictiones aliquot Germanicas ab A usque ad E ex Græcia deductas. Nimirum Agstein dictum ipsi videtur ab ἄγαι litora, quasi litoreus lapis, Artischock ab ἄρτι nuper, & κόκκαλον nux pinea, Aug ab ἀυγᾶν, respicere, inspicere; Berg ab ὑπέρκειμαι immineo, superstо; Berschwalm ad ὑπὲρ, ἴχω habito, & ἅλμαια, maria; Bysem / Moschus, a πυὸς pus, & αἷμα, sanguis, quasi pus-sanguis. Dapffer / fortis, strenuus a δαὶς bellum, & φερὸς potens. Dolmetsch interpres, ab ἄδολος, dolo carens, & μετίσκω, expono. Durst ab ὑδρηρὸς, ex ὑδρέζω quasi aquaturitio, Ewig ab αἰὼν, ævum. Præstructa hac opinione, quod Græca videlicet & Germanica non nisi Dialectis differant, statuere ulterius non dubitat, non latinam tantũ (nam *religio* ipsi est ab ἱερολογία, de rebus sacris dictio, *Cæremoniæ* a χαιρεωμενίαι, salutationes, supplicationes, preces, *tempo* ab ἄθεμΦος incoercibilis vel incoercitus, *turbo* a τυρβέω, tumultuor, *maneo* a μένω, persisto, *impleo*, ab ἐμπλεόω, saturo, *impedio* ab ἐμποδίω, infreno pedes, *nebulæ*, νεΦέλαι obscuræ &c.) sed & Chaldæam & Hebraicam & quamvis antiquissimam linguam, quæ in sua puritate etiamnum servetur, unam esse linguam, Dialectorum diversitate variatam, Germanicamque adeo non minus, quam Chaldæam, Hebraicam, Latinam ac Græcam, divinam ac sacram esse appellandam. Quæ sententia *Bellini* cum & ipsa sit valde παράδοξος, nos ἐπέχον]ες eam non minus quam *Praschii* atque *Erici*, erudito orbi dijudicandam hic loci exhibemus. Censuræ enim quidpiam ei subjicere, quod desiderat Bellinus, nobis religio est, quippe qui non tam censendi quam recensendi partes nobis sumimꝰ. Autori interea italo, qui sententiam suam duplici opere, Grammatico videlicet & Geographico, stabilire induxit animum, grates a Germanis, quorum linguam tantopere evehere instituit, deberi, non diffitemur.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Septembris, Anno MDCLXXXVI.

PAULI HACHENBERGI, P.P. GERMANIA Media, Publicis Dissertationibus in Academia Heidelbergensi proposita, in qua res mediorum seculorum, quæ a Trajano ad Maximilianum Primum fluxere, ex priscis autoribus recensentur &c.

Jenæ, apud Joh. Jac. Ehrten / 1686, in 4.

ANtiquitates Germanicæ cum eo loco habeantur merito, ut Romanis Græcisque monumentis nec varietate argumenti, nec exemplorum fructu & magnitudine cedant: cumque posteris haud validiora, quam avita virtutum ac morum exempla admoveri possint, eoque civi turpe sit, res Majorum ac Reip. suæ ignorare; laudari satis consilium Autoris nunquam poterit, erudito hoc Dissertationum opere id agentis, ut prisci Germanorum ritus ab oblivione vindicentur, & protracti ex tenebris aliquanto majori exponantur luci. Nec animus tamen Clarissimo Viro fuit res ævi lustrare antiquissimi, quod a vetustissimis primordiis ad Trajani imperium usque stetit, cum & ex priscis *Cornelium Tacitum*, & ex recentioribus *Andream Althamerum*, *Beatum Rhenanum*, *Franciscum Irenicum*, *Philippum Cluverium* in horum temporum antiquitatibus eruendis ita judicet desudasse, ut pauca posterorum industriæ relinquerint; verum ad ea se maxime testatur intendisse animum, quæ vita Germanorum, qui mores pace belloque observati, quæ imperia legum ac religionis, post Trajani tempora fuerint, quando Germania cadente Imperio Romano, primum in Francorum potestatem

concessit, deinde a Francico avulsa Imperio, in singularem se rempubl. collegit: donec variis agitata & defuncta casibus, sub mansuetudine Maximiliani primi requievit.

Prima Dissertationum itaque REGIMEN veterum Germanorum sic ponit ob oculos, ut varias enumeret Respublicas, in quas Germania vetus divisa legitur: Gothorum puta, tam Orientalium, quam Occidentalium; Sclavorum Gothis occurrentium; Saxonum ex Anglorum monumentis maxime; Longobardorum, Thuringorum, Bojorum, Suevorum, Burgundionum, & denique Francorum. Quibus probe excussis edisserit, quemadmodum Germania in unum redacta corpus, & cum Gallia per Francos fuerit conjuncta, quis Germaniæ status sub Francis, & quod regimen, quæ imperii forma, postquam a Francis recesit, Regesque peculiares habere cœpit.

Secunda Dissertatione ORDINES Germanorum Veterum expressurus Autor, quatuor in universum, Nobilium scilicet, Ingenuorum, Servorum, atque Libertorum constituit. E primo Reges fuisse sumtos memorat, priscaque lege artibus plebejis eum abstinere jussum: in altero de conditione, fortuna, statu & nominibus Ingenuorum agit. In tertio causæ servitutis, servorum genera, conditio, status, onera, manumissio, ejusque ritus explicantur. In quarto ratio redditur, cur Tabularii, Chartularii, Cerarii, Aldii, Fulfreales &c. Liberti in legibus dicantur. Clausula dissertationis monet, quanta religione cautum apud Veteres, ne memorati Ordines aut matrimoniis inæqualibus, aut vulgatis honoribus confunderentur.

Tertia Dissertatio, cui contemplatio LEGUM, veterumque Germanorum Jurisprudentia est pro argumento, felicissimum quidem docet fuisse Germanorum statum, quum sine legibus scriptis viverent; temporum tamen lapsu Longobardos, Francos, Gothos, Saxones, Danos, cum victricia per Europam signa extulissent, triumphatis populis suas imposuisse leges, quas ex patriis moribus haustas descriptasque singuli ad genium gentis expresserint. Inter præcipuas leges itaque, queis honor in Germania fuit, cum Lex Longobardorum, Lex Salica, Lex Francorum, Alamannorum, Bajoariorum, Saxonum, Angliorum & Werinorum, Burgundionum, Frisonum, Lex Ripuaria, Lex Wisigothorum, Danorum, & denique Lex

Lex Apparens sive Simplex celebrentur; de singularum origine, ratione, autoritate, incremento, dignitate, & præstantia gravi disserit Autor judicio. In Lege Saxonum, originem & rationem affert Speculi Saxonici, Juris Magdeburgici, Juris Feudalis, & Secreti Westphalorum judicii. Postremæ legis occasione, quæ judicium, ut vocant, Dei, seu prisca suspectorum examina complectitur, agi de ordalio videas, de duello, ferro candenti, aqua fervida, aqua frigida, symbolo crucis, de purgatione per sacram Eucharistiam, panem hordeaceum, offam judicialem, & caseum execratum, per sortes, per juramentum. Tandem forma & constitutio veterum Judiciorum in Germania evolvitur.

REM MILITAREM Dissertatione quarta aggressus, Germanorum Veterum gloriam extollit & fortitudinem bellicam. Inde rationem diversam explicat in militum delectu habitam, Vasallorum institutionem & conditionem in bello ætatemque in milite observatam: quantum item exercitus Germanici robur in pedite, quanta equitis Germani gloria, quæ militum stipendia, quis Ducem Bellicum constituendi modus fuerit, quæ potestas eidem concessa. Armorum genera dum perlustrat, Bombardarum etiam, Tormentorum, ac Mortariorum inventa autoribus Germanis vindicat, sic tamen, ut incertum statuat iratis ex provocatione, an propitiis diis excogitata fuerint. Hinc ad militaria signa & vexilla progreditur, ad tubas, cornua, buccinas, tympana, accendendis ad bellum animis inventa. Porro exercitus in hostem moventis disciplinam ubi approbasset, modum declarat indicendi bellum, & Heraldorum officium: adeoque sago hactenus quasi delineato, in aciem nunc prodit Autoris calamus, Majores nostros in campo, in prælio, in urbium obsidione descripturus. Nam & quomodo locata castra, quæ aciei instruendæ ratio, quis dimicandi modus, qui ritus observati in prælio: quibus artibus, quibus machinis oppugnarint oppida, quomodo defenderint se obsidione cincti, quid parta victoria factum, uberius legas hic expositum. Tandem & præmiorum fit mentio, quæ fortibus viris tribuit Imperatoris munificentia; nec non pœnarum, quas justitia inflixit his, qui aut bello abfuissent, aut fuga turpi deseruissent exercitum.

Ad NUPTIARUM contemplationem veniens, oſtendit Diſſertatione quinta, quam ſancta, quam caſta Germanis olim habita ſint conjugia, quas uxores ducere licuerit, qui gradus prohibiti, quæ nubentium ætas legitima, nec niſi parentum conſenſu legitimas effici potuiſſe nuptias; qui vero uxores raperent, obnoxios pœnis graviſſimis ac ſuppliciis fuiſſe. Nam ut *clandeſtinas nuptias*, ait, *divortio, aut multa pecuniaria lex coercebat; ita grave ſupplicium raptori infligebat, ſive vi reluctantem puellã, ſive verborum blanditiis expugnatam abſtuliſſet. Quin eadem* (Gothorum) *lege Parentes ac Curatores, ſi raptorem querelis perſequi, aut accuſare negligerent, in exilium projiciebantur, quod intereſſe ipſius Reipubl. exiſtimarent, ne ejusmodi ſcelera languore aut avaritia parentum eſſent impunita.* Porro, in ambiendo nihil æque ſpectatum fuiſſe probat, ac virtutem & facinorum bellicorum gloriam: poſt amantium voluntatem, parentumque conſenſum celebrari ſponſalia conſueviſſe, quibus parentes ac propinqui interfuerint, dotemque conſtitui. Nec indigna obſervatu ſunt, quæ reliqua Diſſertationis parte de Morgengaba, Faderfio, Meta, de annulo conjugali, de cultu & ornatu ſponſæ, nuptiali pompa, benedictione ſacerdotali, feſto & convivio nuptiali, deductione ſponſæ ad thalamum, de fide & continentia conjugum; de divortio denique, de pœnis in adulteros & ſcortatores conſtitutis, nec non de laudabili ſobolis educatione adferuntur. Ad officia conjugum ut reſpiciamus: *Non aliud*, inquit, *ſpectaculum Diis hominibusq; gratius eſt, quam ubi mulier obſequii gloria certet, maritus autem inſtar boni principis lenitate, manſuetudine, moderatione majeſtatem virilem tueatur.*

Sexta Diſſertatio memoria prodit, quibusnam in rebus potiſſimum elaborarint veterum Germanorum STUDIA. Nimirum, non in artibus popularibus ſolum & inferioris, ut ajunt, ordinis; quales fuere Grammatiſtice, Gymnaſtice, Muſice, & Graphice; ſed progreſſu temporis in omni quoque liberalium diſciplinarum genere. Ad Philologiæ ſtudium referri videas Grammaticæ, Rhetoricæ, Poeſeos, & Hiſtoriæ omnigenæ cultum: ad Matheſeos, Arithmeticam, Geometriam, Aſtrologiam, Opticam, Geographiam, Geodæſiam, & Mechanicam: ad ipſius Philoſophiæ, præter ſcientiam

entiam Entis, ſtudium Phyſicum, & Theologicum ex una: & ex altera parte Ethicum, Politicum, Oeconomicum, & Jurisprudentiæ conſecratum. Phyſicæ operativæ (quæ naturam induſtria humana ſubactam dicitur contemplari) Agriculturam, Paſtoritiam, venandi peritiam, quin & Medicinam Autor annumerat. Atque hæc ſunt, quorum initia, progreſſum, inſtaurationem, uſum, honorem, & dignitatem apud Germanos hæc Diſſertatio percurrit. Mechanico ſtudio grave teſtimonium perhibet triplex Germanorum inventum, Bombardarum, Horologiorum, & Typographiæ. Commendatur eodem loco artificum Noribergenſium ſolertia. cujus teſtem producit Muſcam ferream, quæ e manibus ſe attollens convivas omnes circumvolitarit, ac deinde velut defeſſa ad manum artificis redierit: ut & Aquilam ligneam, quæ ad quintum ab urbe lapidem obviam facta Karolo V Imperatori, eundemque ad portas usque Civitatis comitata, placide procubuerit. Iſta ſtudiorum ſpatia emenſus autor, Germanos veteres ut armis, ſic & ingenio omnes ſuperaſſe populos concludit.

A Studiis, ad LINGUAM veterum Germanorum progreditur Autor Diſſertatione ſeptima, ſic ut ſermonis neceſſitate ac utilitate, primisque Linguæ Celticæ initiis excuſſis, Germanicum ſermonem nobiliſſimam linguæ Celticæ partem eſſe evincat. Nec tamen omnia vocabula, queis lingua Germanorum hodie utitur, a veteri Celtica arbitratur profluxiſſe; ſed multa a Græcis, & Græcorum coloniis, non nulla ab ipſis etiam Perſis: imo Græcas literas in privatis ſuis publicisque rationibus Germanos adhibuiſſe, luculento Cæſaris teſtimonio confirmat. Nec parum corruptam a Romanis eſſe, poſtquam victricibus armis magnam Germaniæ partem pervagati, more ſuo linguam Romanam inter gentes devictas invexerint, ut illo ſermonis quoque vinculo fortius coaleſcerent animi, Romanoque nomini parendum ducerent. Incultus vero & aſper populus cum difficili rudique ore Romanorum linguam pronunciaret, & caſtimoniam ejus majeſtatemque nativis vocabulis polleret, enatum ſermonem eſſe, quem *Provincialem*, ſeu vulgarem vulgo dixerint. Auctam tamen ornatamque vernaculam fuiſſe a Karolo Magno; & cum inſcitia temporum, vel Sacerdotum ambitione latina invaleſceret rurſus, Maximilianum I in comitiis Colonienſibus revocaſſe Conſtitu-

tionem Rudolphi I, decretoque interpoſito ſanxiſſe, ut Germanico ſermone conſignarentur omnia monumenta publica: maximum decus denique ac robur eidem acceſſiſſe Karolo V imperante: nec parum expolitam præclaris Lutheri operibus, doctiſſimisque Bibliorum verſionibus. Hinc præſtantium virorum celebrat inſtitutum, *qui magnorum auſpiciis Principum, in Societatis clariſſimæ ſacra tranſivere, ut patriam linguam retinerent in veteri ac illibato flore, eamque a contagione & commercio exoticarum vocum defenſam ſuo ſeculo aſſererent.*

Octava Diſſertatio eaque gemina, Germaniæ RELIGIONEM conſiderat; & Gentilem quidem, prior: poſterior vero, Chriſtianam. Atq; ut in illa, quam turpiter abuſi ad cultum ſint dæmonibus ac Geniis, ſyderibus & planetis, elementis ac meteoris, hominibus utriusque ſexus, quadrupedibus, ſerpentibus, arboribus denique & montibus ordine exponitur, prætereaque de cultu ſymbolico, de Theologia gentili & fide, de templis & ſimulachris, de ritibus & ceremoniis, de victimis, ſacris conviviis ac ludis feſtis, de ſacerdotum officio ac honore diſſeritur: ita in hac Chriſtianæ Religionis apud Germanos incrementa, mutationes inclytæ, præcepta ſacroſancta, imperiaque rituum & cæremoniarum evolvuntur. Nam præter antiquitatem, doctrinam, & regimen eccleſiæ veteris Germanicæ, Epiſcoporum conditionem & fortunam autor hic perſequitur: mutationem inprimis purioris doctrinæ per Bonifacium Archiepiſcopum Moguntinum, ſtatumque Eccleſiæ regnante Pipino, & Carolo Magno. Adhæc, quod regimen Eccleſiæ, quæ doctrina ſeculis IX. X. XI. obtinuerit, quomodo Seculo XII Eccleſia Germanica ab imperio Cæſaris detracta, in poteſtatem Romani Pontificis conceſſerit: quis ſtatus, quod regimen, quæ doctrina Eccleſiæ per ſeculum XIII. XIV. & XV. E quibus inter cætera, origo Traditionum & Ordinum, uſus Annatarum, decimarum, vigeſimarum, & triceſimarum, Jura Conciliorum, egregie diſpaleſcunt.

Nec minus ſcita ſunt, quæ de RE FEUDALI nona Diſſertationum ſubjicit. Siquidem & origo Feudorum, & primævus uſus, (armis ſcilicet tegere patriam, Dominum defendere, militanti portare auxilium, ſua fortia facta gloriæ ejusdem magnitudinique aſſignare) & natura, ac genera diverſa evoluta hic leguntur: ritus præterea in

in conferendis feudis uſitati, Inveſtituræ ſymbola: gladius, vexillum, annulus, baculus: Homagium item inveſtituræ complementum, (a quo jusjurandum fidelitatis diſtinguit) diverſa Vaſallorum nomina, ſervitia, onera; Hoſtenditiæ, Heribannum, Foderum, ſeu annonæ militares. Legum intuitu, queis Domini Vaſallos ſuos duxere obnoxios: *Nihil*, ait, *ſupra Vaſalli fidem obſequiumque eſt, quum tanta juris fiduciarii ſit obligatio, ut etiam adverſus fratres ac liberos, imo in ipſos parentes, Vaſallum pro ſalute ac dignitate patroni armet.* Tandem & Feloniam, ac cæteras cauſſas repetit, quibus amitti Feuda ſolent, docetque quam imprudens ſemper & damnoſum fuerit, parem potentia, aut viribus ſuperiorem agris provinciaque involvere, & ad Vaſallorum obſequium invitare, quum & armatus juſſa impune poſſit ſpernere, & injurias ſuas ac dignitatem vindicare.

Diſſertationi decimæ RES NUMMARIA veterum Germanorum eſt pro argumento. De cujus pretio & fructu: *quid*, ait, *pulchrius digniusque eſt, ac omnes pene res ſacras profanasque, militiæque geſtas, nummorum orbibus videre inſculptas, & in tantillo clauſum compendio luſtrare, quicquid ullis hiſtoriis & annalibus commendari, ullo marmorum ac monumentorum apparatu exprimi celebrarique potuit?* Commendatis itaque Scriptoribus, quorum labor in illuſtrandis Romanorum numismatibus glorioſe verſatus eſt; *Fulvio* nempe *Urſino*, *Antonio Auguſtino*, *Georgio Agricola*, *Budæo*, *Golzio*, *Frehero*, *Ezechiele Spanhemio*, & *Carolo Patino*; meminit inter alia, priſcis Germanis nullum fuiſſe pecuniæ uſum, opes cunctas in pecoribus habitas, permutatione rerum agitata commercia, reditus annuos ab ipſis Regibus in eduliis collectos: pecuniam a Romanis demum in Germaniam introductam: ab iisdem monetæ procuratores conſtitutos Treviris, ut & Lugduni in Galliis: ante Ottonis I. tempora auri argentique venas in Germania nusquam apertas legi. Ut prætermittamus, quæ de ſerratis nummis, bigatisque, de Byzantinis, de nummis Francorum & Gothorum, de libræ pondere & pretio, de ſolidis atque denariis, de marca & uſitata per eam computatione, de florenis, ducatis, taleris, groſſis, bernis, obolis, ſchillingis &c. eorumve origine & priſco pretio, nec non de nummorum veterum inſcriptione & figura, curioſe diſcuſſa hic leguntur. Rei monetariæ leges quando explicat, Germanos priſcos falſarios mulctaſſe refert

fert

fert amputatione manus: idem & Græcis fuisse familiare ac Ægyptiis: Anglos insuper ea parte, qua viri erant, mulctasse reos: nec minore in crimine habitum, numisma publice signatum descalpendo, radendo vel in orbem attondendo violare: his legibus rem monetariam in simplici, opumque superfluarum ignaro ævo diu stetisse intemeratam.

REM VESTIARIAM Dissertatio XI complectitur, ac laudato simplici corporis cultu, curaque veterum Germanorum circa capillos & barbam descripta, antiquissimo ævo ex taurorum, cervorum, luporum, lyncium, aprorum, quin & castorum, lutrarum, mustelarumve pellibus confectas esse vestes narrat. idem testatur Propertius de Romanis:

Curia prætexto quæ nunc nitet alta senatu,
Pellitos habuit rustica corda Patres.

Nec alia de causa *Gunatam*, id est, pelliceam vocari Saxoniam a Luitprando: Gunam quippe vestem pelliceam media ætate vocasse, usumque ejus in Angliam intulisse Saxones, unde toga a Gowne hodienum dicatur Anglis: Galfrido Monæmuthensi, vestem pretiosam e pellibus mustelæ albæ, vocari notat *Herminium*. Colorem vestium quod attinet, album in baptismo, festisque diebus adhibitum. Hinc tegumenta capitis, thoracis, ac totius corporis memorantur. Inter crurum ac pedum tegumenta recensentur & calcei fenestrati, Cis Rhenanis: uncinati, rostrati, lunati, cornuti, Francis nobilioribus: cuspidati, Anglo-Saxonibus usitati. In extremo Dissertationis conqueritur Autor, luxum quidem Karoli V Edicto, in Comitiis Augustanis anno MDXLVIII. fuisse repressum, sed per nostram haud licuisse vesaniam, & perdendi omnia, pereundique libidinem, ut sanctissima lex in ætatem nostram duraret.

Ultima Dissertationum explicandæ REI FUNEBRI tributa, diversos pro Religionis discrimine, ritus funebres Germanorum veterum adducit. Apud gentiles enim cremare corpora receptum fuisse per Illyricum, Germaniam, Galliam, Hispaniam, Britannias: omnia quæ vivis cordi fuerant, in rogum pariter conjecta, quandoque & uxores superstites: defuncti manibus parentatum cæde clientum, aut servorum. Morem vero, quem Christianis addicti sacris in luctu, exequiis, & parentalibus observarint, ex Romanæ, & Judaicæ Ecclesiæ ceremoniis, bonam partem fluxisse: ægrotos oleo unctos: tam infantibus, quam adultis datam eucharistiam: defunctorum corpora aquis lota, aromatibus condita, sale etiam & myrrha nonnunquam consperſa. Crucis signum, gliscente paulatim superstitione, a Romana Ecclesia fuisse invectum, quum antea sola in Christum fide fulti contentique morientes, externis illis ritibus supersederent: nec ab aliis primordiis esse aquæ, ut vocant, benedictæ, & cereorum usum. Regum & Principum exuvias sepultas diversis esse locis, hic cerebrum, illic cor, alibi corpus reliquum: floribus consperſos esse tumulos, unguento fragranti perfusa saxa, lampades ad sepulchrum suspensas. Tandem & de monumentis, epitaphiis, & anniversaria defunctorum memoria mentio injicitur. Hæc utcunque summa Dissertationum est, queis CL. Hachenbergius grande illud Germaniæ ævum illustratum dedit. Quo labore ut de rebus Patriæ insigniter meritus censetur, sic dolendum utique, quod grandiori operi, in quo, sicut Cluverius Antiquam exhibuit, Universam Germaniam Mediam oculis subjicere, teste præfatione, decreverat, ultimam adhibere manum, quantum quidem scimus, non potuerit. In Dissertationum fine adjectum habes rerum præcipuarum indicem.

SAMUELIS PUFENDORFI COMMENTARIORUM de Rebus Suecicis Libri XXVI ab expeditione Gustavi Adolfi Regis in Germaniam, ad abdicationem usque Christinæ.

Ultrajecti, apud Joh. Ribbium, 1686, in fol.

Historiam belli Germanici & id consecutæ pacis Osnabrugensis, a viro prudentiæ & eloquendi vi prædito, justo ordine, ex documentis minime suspectis bona fide collectam, in commentarios Latinos referri, diu multorum votis exoptatum fuisse, notum est. Quia posteritatis maxime interesse videtur, scire ejus belli originem & causas, quod per triginta annos, tanto molimine tantaque armorum & consiliorum contentione, a maximis Europæ Principibus gestum, & tandem post varios casus valde memorabiles ac magnam

etiam rerum conversionem, lætissima pace compositum fuit in Germania. Hoc bene de posteris merendi studium, non sine orbis eruditi adplausu, *Autor libri hujus amplissimus* occupavit; quippe qui Serenissimi ac Potentissimi Regis Sueciæ *Caroli XI* jussu & auspiciis autoratus, XXVI libris hanc telam historiæ illustris absolvere sustinuit. Nam etsi operis inscriptio res solum Suecicas promittere videtur; tamen cum illis res Germanicæ sint innexæ, & utramque fere paginam faciant, non immerito illo historiam belli & pacis Germanicæ contineri quis dixerit. Quam *autor celeberrimus*, non ut narrationum scriptores vulgo, incertis e rumoribus aut conjecturis consarcinavit; sed ut ipse fatetur, e documentis omni exceptione majoribus summa fide collegit. Equidem non diffitetur, levamenti multum sibi accessisse a labore Bogislai Philippi Chemnitzii, qui bellum Germanicum a principio ad finem contexuit; cujus prima pars ad mortem Gustavi Adolphi, Latino & Teutonico sermone, altera Axelio Oxenstierna res Germanicas moderante, Teutonico solo prodiit, quo & conscripta esse reliqua volumina, quæ Archivo Regio inedita custodiuntur, ipse memorat. Sed quia ejus viri industria non pauca *Autoris solertissimi* curæ reliqua fecit; hinc in evolvendo nominato jam Archivo plurima ab eo præterita deprehendit, quæ maxime ad rem facere videbantur; multa etiam superflua, quæ annexuit ille, *Autor* vel omittenda, vel in castigatam brevitatem redigenda censuit. Cæterum in hoc opere, quod præcipuum historiæ officium est, fidem summa religione præstitisse se; consilia authenticis ex actis depromsisse, a se nullibi interpolata; eventus e literis ducum bellicorum & legatorum repræsentasse; adversæ partis consilia & acta non ulterius fere tradere curæ sibi fuisse, quam quæ suis velut oculis incurrerint; ejusdem arcana conjiciendo rimari, aut interpretari temerarium sibi habitum; judicii lectori ubique integrum relictum, quid sibi videatur, haud interpositō; cum aliena gesta memorare, non censuram in eadē exercere sibi propositum fuerit, testatur. His de operis instituto præmissis, antequam rerū narrationem ordiretur, exponere ipsi libuit, qui tum temporis Germaniæ, quæ illi bello arenam præbuit, tum Sueciæ atque vicinorum fuerit status, qui apud socios hostesque animorum habitus, quæ spes & fiducia quive

ve metus, quid firmum aut debile. Inprimis autem occasionem belli a religionis dissidio arcessit, quippe quod & superiori & hoc nostro, quod decurrit ævo, in id miseriæ Germaniam devolvit. Hinc primo libro Reformationis a D. Luthero susceptæ historiam repetit; ut dein Pontificiorum consilia de Protestantium religione opprimenda, & motuum Bohemicorum, unde belli Germanici origo, caussa innotescant magis. Inde vero justo ordine, historiæ belli telam ab anno hujus seculi XVIII, ad expeditionem Gustavi Adolfi Regis in Germaniam brevius, & hinc ad abdicationem usque Christinæ incomparabilis herois filiæ, anno MDCLIV factam, prolixius pertexere contendit. Cuique libro epitomen præmittit, ut lectori primo intuitu, quid eo contineatur, constare possit: sub finem vero operis eruditissimi rerum eo contentarum index subjunctus est copiosus, qui nos excerpendi labore jam videtur levare posse.

CHRISTOPHORI CELLARII GEOGRAPHIA Antiqua, ad veterum Historiarum, sive a principio rerum ad Constantini M. tempora deductarum, faciliorem explicationem apparata.

Cizæ, apud Joh. Bielkium, 1686, in 12.

Sicut Historiarum cognitione disciplinæ & artes liberales illustrantur: ita ipsis Historiis ex Geographica scientia lumen sane clarissimum adfulget. Utriusque studii se ducem tironibus clarissimus Auctor sæpiusque a nobis ex merito laudatus præbet, utrumque etiam, ne quid insit confusionis, in temporum periodos distinguit. Antiquam ejus Historiam, id est ad Constantini M. tempora deductam, superioris anni Augusto mense p. 357 delineavimus: nunc *Geographiam*, quæ illi Historiarum parti respondet, designamus breviter. Præmissa generali Introductione, quæ Artis vocabula exponit, & Usum Globi Terrestris demonstrat, XXVII capitibus Antiqui Orbis imperia, regna, populos, urbes, regiones, flumina, & quæ alia observatu digna sunt, ita succincte describit, ut nihil fere desiderari possit,

sit, quod Græcis Latinisque illorum temporum scriptoribus geographice intelligendis necessarium est. Singula ex antiquis Geographis, Historicis, Inscriptionibus, urbium populorumque Nummis fideliter desumta & accurate ita digesta sunt, ut facillime inveniri, perlustrari & intelligi ab unoquoque possint. Singula etiam ad Historiam ita accommodata, ut rerum quovis loco gestarum haud prætermittatur mentio. Si cetera, ut promisit Autor, ita continuaturus est, præsertim Medii Ævi Geographiam; non dubitamus, gratiam illum haud exiguam ab amœniorum literarum studiosis initurum esse.

SENTIMENS DE QUELQUES THEOLOGIens de Hollande sur l' Histoire Critique du Vieux Testament, composée par le P. Richard Simon.

h. e.

Judicia quorundam Theologorum Hollandiæ de Rich. Simonis Historia Critica Veteris Testamenti.

Amstelodami, apud Henricum Desbordes, 1685, in 12.

Vix prelo emerserat nova Simonianæ Criticæ editio, quam præsentis anni mense Februario p. 100 seqq. indicavimus, cum Hollandiæ quorundam Theologorum in Criticam illam censuræ, quas nunc una cum Simonis ad eas Responso sistimus, lucem aspexerunt. Nec meræ tamen aut perpetuæ illæ sunt censuræ, cum & digressionibus multis, sed caute legendis, cordatique Theologi examen omnino promerentibus, subinde interrumpantur, nec pauca a Simone tradita v. g. *punctorum novitatem, modum corrigendi hodie textus Ebraï per versiones antiquas, obscuritatem Græcæ Apostolorum dictionis, Pentateuchi item moderni multa ad scriptorem Mosen referri nequaquam posse, & complura veteris testamenti loca in novo allegata vim suam sine præcepta aliqua traditione non habere*, ultro & benigne satis admittant.

Sed videamus strictim, quæ XX harum, quibus inclusa Hollandorum habentur judicia, epistolarum summa sit.

I. Do-

I. Docetur, haud sufficere ad intelligendam Scripturam, ut quando, a quibus, quam bene maleve liber quisque scriptus, tralatus, expositus sit, sciatur; cum simul peculiaris singulorum voluminum occasio ac scopus solicite inquiri debeat. Quod posterius cum Simon facere neglexerit, magna Criticam ejus imperfectione laborare, censores monent nostri. Ipsimet vero in illustranda exemplis sua sententia ita procedunt, ut laudatis *Spenceri* & *Marshami* de legum Mosaicarum origine hypothesibus, tentationem protoplastorum serpentinam explicent allegorice; contendentes insuper, Pauli ad Romanos epistolam, & Apocalypsin recentioribus de justificatione, prædestinatione, Antichristo, controversiis infirme accommodari.

II. Demonstratur, satis callide Simonem ingratum affectibus indulsisse adversus Protestantes, suos in re critica, quidquid dissimulet, magistros, quos saltem Romano-Catholicis utiliores invenerit. Referunt vero Collocutores nostri non tantum *novam præfationem* septimæ Critices editioni præmissam, sed & responsa *Islii* Theologi cujusdam Parisiensis, & *Hieronymi le Camus* nomine, *Veilio*, *Spanhemio*, *Vossio* opposita, nec non adjunctas secundæ Critices editioni *notulas*, imo ipsius *Petri Ambruni responsum*, ad unum eundemque progenitorem, Simonem nempe ipsum.

III. Expositis ejus Criticæ periculosis hypothesibus ostenditur, quam male scopo cohæreat frequens illa catholicæ traditionis inculcatio, eaque cum objecto Scripturæ obscuritatis crimine conjuncta; cum Simon ipse multis eam modis locisq; deserat. E re autem sua fore crediderunt Hollandi isti, si vere catholicorum fidemque constituentium articulorum compendium delinearent, quo quisque sine incerto traditionum subsidio salubriter uti posset. Veræ nempe religionis plures quæstiones non dari censent, quam an & quod sit summum bonum, hoc est, promissa a Christo resurrectio & vita æterna, quæque sint eo pertingendi media? Nempe Deo promittenti confidere, & obedire præcipienti. Absolute præterea creditu necessarias eas tantum esse hypotheses, easque simplicissimis etiam captu faciles, quæ cum ignorantur aut negantur, summi ejus boni vel cognitio vel impetratio intercluditur, e. g. Deum esse, esse veracem, æternum, bonum bonique amatorem & hostem mali, omnipoten-

tem, eumque Christi Jesu & discipulorum ministerio in patefacienda voluntate sua usum fuisse.

IV. Convellere aggrediuntur famosam de prophetis *scribis* scilicet publicis hypothesin, nonnisi ex aliquot scriptoribus subolestæ fidei obtrusam. Advertunt quidem Hollandi, Simonem in Josephi suffragio magnum collocare præsidium: sed hunc ipsum ab eo laudari, deseri, ut expedit. Quemadmodum etiam alibi antilogiæ ejus referuntur.

V. Post varias varii generis animadversiones, quarum una p. 82. quædam infra Mosis legislatoris existimationem habet, respondetur ad allata pro illa hypothesi Scripturæ loca 2. Sam. VIII, 16. 1. Paral. XXVII, 24. 2. Paral. XXVI, 22. 2. Petr. I. 21 Quid? quod & locus 2. Paral. XX, 34. a Simone quidem ipso præteritus, sed favere illi visus, abundante quadam liberalitate affertur, allatusque explicatur.

VI. Simonis sententiam de modo collecti ex Annalibus, per scribas publicos summa fide conditis, inque publicis monumentis asservatis, Pentateuchi, (quem ipsi potius e privatorum antiquis commentariis compositum putant) sacræ adversari historiæ censores ostendunt, ac potissimum textui 2. Paral. XXXIV, 15. quo legis liber, postquam diu latuisset, inventus rursum esse in templo, Josiæ Regis cum stupore, legitur. At si Pentateuchus annalium ejus temporis fuisset epitome, annales hos ipsos quotidie evolvi, pluraque ex iis, quam ex ipso legis libro peti potuisse, notant. Congessere dein larga e Pentateucho loca, quæ Mosis non modo excedant tempora, (ut, Gen. II, 11. 12. X, 8. seq. XI, 28. 31. XIV, 14. XXXV, 21. XXXVI, 31, XXXVII, 14. XL, 15. Exod. VI, 26. 27. XVI, 35, & ubicunque נביא legitur; Deut. I, 1. III, 14. & caput ultimum) verum antevertant quoque, ut creationis, lapsus, diluvii historia, aliaque quæ *frigide* sæpe scripta fuisse, pronunciare ausi sunt. Negant ergo atque pernegant, Pentateuchi totius autorem esse Mosen, (quicquid sit de Christi Apostolorumque vulgari opinioni accommodatis allegationibus) aut Esdram; allata potius amici conjectura, Bethelanum illum sacerdotem 2. Reg. XVII, 18. virum nec Samaritanis suspectum nec Judæis, seu solum, seu aliorum advocata opera, quinq; illos libros antiquis exaratos characteribus,

VII. Li-

VII. Libros Josua, Judicum, Ruth, Samuelis, Regum, Paralipomenon, ex utcunque habentibus hypomnematibus, (cum traditione tot nomina servari nequiverint,) multiplici cum mutatione & contractione fuisse confectos profitentur. Librum Josua non ab ipso Josua, ut ex c. IX, 27, X, 13. coll. 2. Sam. I, 18. (ubi etiam singulare illud solstitium expressionis poeticæ exemplum faciunt) XVI, 2. XIX, 27. 29. 47. 48. constare possit, sed post Josiæ demum regnum compilatum videri. Samueli quidem librum Judicum tribui: sed uti hoc locis illius libri variis I, 21. IV, 4. VI. 8. XVII, 6. XVIII, 1. XIX, 1. XXI. 25. repugnare credunt, ita ex XVIII, 30 intelligi posse putant, librum Judicum post abductos demum decem tribus Israel scriptos fuisse. Deinde cum libellum Ruth, Davidis injecta ad finem mentione, recentiorem autoris ætatem satis testari advertissent: neque viginti quatuor capita libri prioris Samuelis Samueli, ut volunt alii, neque reliqua prophetis Gad & Nathan posse tribui judicant, loco 1. Sam. XXVII, 6. permoti maxime, qui scriptorem nonnisi post Salomonem facta decem tribuum separatione vivere potuisse, abunde doceat. Post captivitatem demum, facta ad 1. Reg. VI, 1. VIII. 2. &c. provocatione, libros Regum & Paralipomena incerto collectore (aliorum enim de Jeremia vel Esdra sententiam magnæ postulant infirmitatis) prodiisse putant. An vero infinita eaq; manifesta, ut putant, nominum, numerorum, genealogiarum menda biblica, quæ in versionem quoque LXX virilem transierint, summæ priscorum Judæorum in transcribendis libris sacris negligentiæ tribuenda sint, ut Hollandi fidenter statuunt, cordati judicent: nam & genealogiam Christi apud Matthæum hoc ex fonte mancam esse alibi pronunciant; quamquam emollire sententiam voluisse videntur, dum in genealogia ista *legali* immediata serie opus non fuisse confitentur, secundum JCtorum regulam: *hæres hæredis mei hæres meus est.*

Cogitationes vero de Esdra *scribæ* nomen ob legis peritiam adepto, Nehemia, & libro Esther, reservarunt inquisitores nostri epistolæ VIII. Ubi Esræ librum prout duorū olim cura confectus sit, haberi hodie negant contra Huetium, quod teste c. 2. varia secuto tempore adjecta sint, ut ejus editor multas Nehemiæ partes transcripsisse videatur. Nehemiam porro libri integri, qui ab eo nomen accepit,

auto-

autorem non esse, ex c. XII, 22. probare, cum is Jaddum pontificem videre per ætatem non potuerit, aggrediuntur. Quod ipsum Spinozæ argumentum est: etsi ab infausto hoc homine in designando editi Nehemiæ opusculi tempore abeunt. Definire tamen, an liber Esther vel in totum sit fabula, vel quibusdam in partibus, ausi hic non sunt. Inauditam denique Simonis de convolutis foliolis hypothesin, nullibi cum fructu sine metu erroris applicari posse stabilitur, eandemque aperte corruere, inspecto loco Jer. XXXVI, 2. 23. Eo enim omnia divinitus dictata Prophetæ verba uno volumine (megillath-sepher) scripta & Regi prælecta referri, quod ad ignes damnatum si multis constitisset foliis minusculis, cultro in partes scindi, ut eo arderet facilius, necesse haudquaquam fuisset.

IV. Agitur de libris *moschelim*, Jobi nempe, Psalmorum cæterisque. Et Jobi veram quidem personam, sed valde poetice paraboliceque, etiam præter verisimilitudinem & decorum, decriptam, ejusque autorem circa captivitatis initia vixisse, psalmosque inæquali elegantia imitatum tradunt. Psalmos, a reditu ex carcere Babylonico citra ordinem vice non una collectos, quosdam etiam v. g. XIV, LIII, LXXIV, CXXXVII. durante captivitate, alios ea finita, v. g. CXXVI, variis autoribus scriptos fuisse ajunt. De Salomonis libris tenuiter satis sentiunt, notantque generatim prophetarum stylum valde hyperbolicum, quem similiter cap. 24 Matthæi & 16 Apocalypseos regnare affirmant.

X. Disquiritur, quid vocet Simon libros apocryphos, quid veteris Testamenti canonem, quando, quomodo, a quibus constitutus sit, quæque in ea re Synedrii fuerit autoritas. Etsi vero Hollandi ipsi nihil definiunt, nisi quod Veteris Testamenti canoni autoritatem eadem accessisse ratione conjiciunt, qua Novi fœderis libros primum privati aliqui in usum suum collegerunt, usque dum ab aliis etiam reciperentur publice: dolent tamen, jejune adeo ac ex ineptis incertisque principiis tradi arduam hanc materiam; neque enim ex Rabbinis judicium hinc ferri debere. Qua occasione epistolis XI. & XII, Anonymi cujusdam *Holdeno* audacioris meditatio paradoxa juxtim ac copiosa, de inspirationis argumento sane difficillimo inseritur, qua non verba, sed solas res quasdam quorundam librorum ita a Spiritu S. inspiratas, ut sacri tamen scriptores sæpe se prophetare nesciverint, in nominibus ac linguis memoria, (quam nihilominus cum probitate conjunctam ad conciliandam ipsis historiis sacris fidem, etiam sine inspiratione qualem vulgo tradunt, sufficere credit, cum secundum hunc ipsa de Jesu Christo doctrina humana fide nitatur) lapsi sint, verasque contradictiones irreconciliabiles in circumstantiis historicis, e. g. Matth. XXVII. 5. Act. I, 18. admiserint, statuitur. Quid? quod in Ps. LXIX, 23. seq. CIX, 6. seq. (solis accommodationibus Novi Testamenti Sociniano more agnitis) immoderatam vindictæ libidinem, in Stephani vero apologia Act. VII. ἀλλότρια reperisse se putat, Judæorumque canonem vocat in dubium? ne cumulemus multa hujus notæ alia, aut quæ partim ab ipsis jam collocutoribus affirmata fuere, partim affirmantur, saltem cautius, in sequentibus. Nam tantum abest, ut examen dogmatum horum collocutores instituant, ut commendent potius Scriptoris hujus a Deismo alieni pietatem, agnoscant argumentorum robur, aliorumque de novata hac opinione judicia moderata exoptent.

XIII. Secundæ Criticæ partis examen adeuntes, repetita querela de immoderatiore Simonis in Protestantes animo, peculiaria conjectantur de verbi בּרא vi nativa: & posthæc & αὐτό Genes. III, 15. pro αὐτός, ut in LXX virali editione longo hactenus tempore lectum fuit, restitutionem a Simone temere urgeri contendunt. Male contra a Simone ajunt negari, quod ulla unquam ecclesia de visis a se autographis Apostolicis gloriata sit, cum tamen Tertulliani de literis authenticis *cap. 36. Præscriptionum contra Hæreticos* locus adeo pervulgatus sit.

XIV. Docetur, quo Tridentini sensu vulgatam authenticam haberi jusserint, collatis illis *in versionem Montensem observationibus*, quarum summa capita mense Aprili hujus anni pag. 201 dedimus; quid ante Simonem etiam, *Ludovicus de Dieu* de punctatione Danielis & Targumim senserit; quo Simon jure fideque in bibliorum animadverterit interpretes. Quanquam hi ipsi p. 324. Lutheri, interpretationem loci Rom. III, 28. heroice defendentis, censura abstinere potuissent.

XV. Incipit examen partis tertiæ Criticæ, de autoritate Masoræ, quam noſtri valde deprimunt, nec non de æquivocis Hebraicis nimium a Simone hoc exaggeratis fine, ut traditionis eo major pervideretur neceſſitas. Solicite vero excuſſa novæ verſionis idea Simoniana, judicatur tandem, omiſſas fuiſſe quæſtiones duas; primum quidem, *an ad verbum verti omnes Hebraiſmos oporteat, necne?* deinde, *an in verſione quadam Latina liceat adhibere vocabula, quæ ſenſu vetere primigenio textui reſpondent, ſed uſu ſcholæ aliam ſignificationem induerunt*, e. g. num שְׁאוֹל recte vertatur per infernum?

XVI. XVII. Exagitato Rabbiniſmi nimio cultu, de methodo Græcorum Latinorumque Patrum hermeneutica, eaque valde frigida, *Dallæo* præeunte allatisque exemplis diſſeritur. Deinde notantur interpretes & philologi famoſi, nec tamen a Simone nominati, *Pocockius*, *Hammondus*, *Lightfootus*, *Seldenus*, *Carthvvricht*, *Glaſſius* & *Hackſpanius*. His vero judiciis maxime de *Hugonis Grotii* exiſtimatione ſunt ſoliciti, eamque inprimis contra autorem libri, qui noſtra quidem Acta, at non multorum notitiam effugit, *L' Eſprit de M. Arnaud*, hoc eſt, *Spiritus vel ingenium Arnaldi*, tuentur, inſerta quoque eum in finem, juſta Grotii morientis hiſtoria.

XVIII. Ad Socinianos provehuntur, quibus ut accenſeri Grotium poſſe antea vel ex eo negaverant, quod caput Johannis primum, validiſſimum ejus ſectæ, ſi ſerio loquuntur, antidotum, ſenſu minime Sociniano intellexerit: ſic inter eos *Brenium* & *Cuperum* relatos fuiſſe mirantur, Simoniq; ignorantiam Socinianæ methodi exprobant. Cæterum quod eam Scripturæ explicandæ methodum omnibus Proteſtantibus communem venditant, nec non quod omnes illos, quibus ſola Scriptura fidei regula eſt, fundamento convenire, quantælibet agitentur invicem controverſiæ, ſatis aperte pronunciant: nimis profecto liberales ſunt aut ambigui.

XIX. demum & XX. epiſtola de autoritate eccleſiæ in corruptos codices biblicos; de prima lingua ſeu Adami, quam Ebræam non fuiſſe ex ethniciſmis phraſium, quas putant, ut *elohim* nomine plurali Deo uni tributo, aliisque multis, magna animorum fiducia colligunt; (diviſionem vero linguarum Babelicam unus eorum pro ſola diſcordia accipit;) de punctorum antiquitate, & confeſſionibus ac decre-

decretis ſymbolicis diſſeritur. Quo loco Genevenſium ſane, quos jam ſubinde laceſſiverant, Helvetiæque theologorum gratiam captare parum voluiſſe videntur. Ferre enim Hollandi iſti nequiverunt, quod inter alios ſex & viginti canones anno 1678 publicatos, cautum eſt, ne quis dictis in locis Eccleſiæ miniſter recipi poſſit, niſi fateatur publice, textum Hebræum, ut hodie eſt in exemplaribus maſorethicis, divinum & authenticum eſſe, *tum quoad conſonas, tum quoad vocalia ſive puncta ipſa.* His viginti epiſtolarum periochis id ſubjunctu haud indignum cenſemus, quod pari fere labore, *Petri Danielis Huetii Demonſtrationem Evangelicam*, librum celebratiſſimum, data quacunque occaſione, maxime epiſtola 6. 7. 8. 9. diſcuſſerunt. Ab hoc enim Præſule, viro ut loquuntur defendendæ ſuorum ſententiæ quadam velut febri correpto, hiſtoriasque ſacras, ut ajunt, toties in prophetias convertente, Spinozam etiam cum haud opus erat, redargui, nulloque fundamento Moſen pro Pentateuchi, Samuelem pro Judicum, Gadem & Nathanum pro librorum Samuelis a capite quarto ac vigeſimo auctoribus, ut cætera taceamus, venditari exiſtimant: ut adeo intermiſtæ hæ cenſuræ Huetiani quoque operis vindicias peculiares exigere videantur, ſeu ab ipſo Huetio, ſeu a quocunque alio huic rei pari ſuſcipiendas.

RE'PONSE AU LIVRE INTITULE' SENTIMENS de quelques Theologiens &c. par le Prieur de Bolleville.

i. e.

Reſponſum libro oppoſitum, cujus titulus eſt: *Judicia quorundam Theologorum Hollandiæ de Critica Richardi Simonis.*

Roterodami apud Regnerum Leers 1686, in 4.

QUis ſit noſter *Prior Bollevillanus*, non ſcrutabimur, quippe qui *Simonis* perſonam diſſimulare non voluiſſe videtur; ut potius in anteceſſum ſimus relaturi, quos hic illorum judiciorum auctores exiſtimet. *Triumviris* nempe Socinianis ea tribuit, quorum duo Amſtelo-

dami degant in Hollandia, tertius autem sit *Minister Charentonensis*, qui dissertationem *de conciliorum quorumvis definitionibus ad examen revocandis*, sex abhinc annis Parisiis ediderit, ac in libro recentiore, *Entretiens sur diverses matieres de Theologie*, hoc est, *Dialogi de diversis materiis theologicis* inscripto, *Philalethæ* nomen assumpserit. Hunc vero meditata sua Parisiis publicari tuto non posse advertentem, cum *Clerico*, literarum Ebræarum apud Amstelodamenses Professore, secta Arminiano, arctam ait familiaritatem contraxisse, atque hujus ipsius Clerici maximas in formandis, omnes in publicandis illis judiciis partes fuisse existimat, adjecta ratione, quæ Arminianum illum theologum contra Simonem concitaverit.

Sed narremus eadem, qua judicia illa, fide capita responsi potissima. Ad *primam* epistolam capite secundo (nam primum ea maximam partem habet, quæ jam memoravimus, sicut & reliqua viginti capita epistolarum numerum similiter antevertunt) Bollevillanus regerit, noluisse Simonem scribere commentarios. Ad II. negat, a Protestantibus in rebus criticis superari Romano-catholicos, utpote qui e suis raro ultra Grammaticam sapientibus, neminem *Lucæ Brugensi* & *Andreæ Masio* parem allegare queant, cum & *Bochartus* adeo laudatus, nihil fere nisi etymologias compilaverit. Quanquam autem novæ præfationis, quæ septimæ Critices editioni nuper accessit, latum de Protestantibus judicium alibi p. 144. approbat, utpote qui vel ideo acrius Catholicis examinandi fuerint, quod gesserint se pro puritatis biblicæ restitutoribus: ejus tamen, ut & aliorum quorundam scriptorum autorem Simonem haberi posse negat, cujus alias in Reformatos idem jus fuerit, quo Genevenses perstrinxerit Clericus. Ast p. 32. 38. 39. pluribusque locis aliis, responsum *Veilio* oppositum satis clare ad Simonem refert. Idem de *Hieronymi le Camus judicio* statui debere, ex p. 42 constat, præsertim si p. 147 conferas, imo & pag. 211. de *Responso ad literas Spanhemii*. Ad Epistolam III. duo ex instituto docet; primum, quod traditionis, hoc est, perpetui omnium, primariarum saltem, ad nostra usque tempora ecclesiarum consensus inculcatio frequentior, a scopo Criticæ haud aliena sit; deinde quod Clericus Arminianus eam designaverit Christianæ theologiæ epitomen, qua Judaismus, Muhamedismus, quid? Deismus etiam admittantur. Ad IV. tum se, vel si mavis, Simonem, ab

anti-

antilogiis, tum *scribarum* testes, Josephum, Eusebium, Theodoretum & Abravanelem, ab infirmitate probandi objecta liberat. Ad V. novam novæ hypotheseos illustrationem petit a libris Josua, Judicum, Samuelis, Regum, quos prisci Judæi *propheticos* haudquaquam salutassent, nisi horum scriptores historici vere *prophetæ* fuissent. Loci 2. Paral. XX, 34 ad Simonem ipsorum Hollandorum beneficio delati robur agnoscit tantum, ut nihil ei horum decedere exceptionibus contendat. Non enim, ut isti responderant, ambigua ibi esse Ebræi verba textus, si interpretes consulantur veteres, textusque vertatur, ut in vulgata est: *reliqua gestorum Josaphat priorum & novissimorum scripta sunt in verbis Jehu filii Hanani, quæ digessit IN libros Regum Israel*: nec ὃς κατέγραψεν βιβλίον βασιλέων Ισραήλ, ut cum editione LXX Romana legit Clericus, sed ὃς κατέγραψεν ἐπὶ βιβλίον βασιλέων Ισραήλ legendum monet. Omnem vero obscuritatis sive causam, sive occasionem, hoc in loco falsam putat Masoræ punctationem esse, quæ ex העלה in hiphil, העלת in hophal fecerit. Ad VI, cum observasset, Clericum multa Pentateuchi loca Mosi citra validas abjudicasse rationes, textum II. Paral. XXXIV, 15. extricare nititur. E responso ad epistolam VII, VIII, & IX. pauca huc quidem transcribi oportere videntur, nisi quod hypotheseos de convolutis foliis epistola VIII, e Jer. XXXVI, 2. 23. tentata destructio perstringitur. Potuisse enim Arminianum e Grotio suo discere, quam sit infirma a singulari nomine (megillath-sepher) ducta argumentatio: ac insuper temere nimis affirmari, scissum scalpello fuisse Jeremiæ volumen ideo, ut eo citius igne consumi posset. Cæterum quoniam objectum præterea ex eodem loco fuerat, Jeremiam prophetias suas conscribere jussum, non ut eæ actis insererentur publicis, sed ut a Baruch coram rege & populo legerentur relegerenturque: ex duplici capite Simon defenditur, primum quod rei lectæ in Acta publica insertioni, ordinarie fieri solitæ, non obstare lectionem, vel ex 1. Sam. X, 25, collata Josephi observatione clarum fit; deinde quod, uti differri potuerit severæ ingratæque cujusdam prophetiæ publica in archivis asservatio, ita effici inde nequeat, eam secuto etiam tempore prorsus fuisse omissam. Ad X, probat Bollevillius, Simonis de Judæorum canone sententiam non simplici Patrum vel Rabbinorum autoritati, sed veteris, sacræ potissimum, historiæ traditioni superstrui.

Qua occasione locum II Maccab. II, 13, 14. ad Grotii mentem explicat, ægre ferens, tum quod *Clericus* aliena magis laboret destruere, quam sua adstruere, tum quod de duratione synedrii a Mosis obitu, contra claram Scripturam Jos. XXIV, 1. 2. Paral. XIX, 5. 8. Ezech. VIII, 11. moverit dubium. Ad XI, & XII, *Natali Alberto d. Versé*, qui quinque circiter abhinc annis Simonis Criticam Latine vertit, quemque præter varia variis sparsa nominibus opuscula, libri notissimi *le Protestant pacifique* parentem dicit, perniciosam illam de inspiratione tractationem tribuit, Auctor, eamq; examinat; illos autoritati Novi Testamenti renunciare oportere adjiciens, qui rejicere Judaicum veteris testamenti canonem conentur. Quod si etiam v. g. ponatur, librum Esther non esse veram historiam, eum idcirco canone exturbandum non esse. Concedit tamen Bollevillanus, ipsos etiam prophetas veros, quæ dixerint sæpe, non intellexisse, ac quoad verba inspiratione non eguisse; in rebus quoque quibusdam inæqualem modo, modo nullam inspirationem, ut vulgo ea intelligitur, agnoscit, quandoquidem ipse hoc vocabulo non immediatam suggestionem, sed solum erroris antidotum aut phylacterium indicat. Quod quam verum falsumve sit, arbitrari venerandi Theologorum ordinis est. Ad epistolam XIII, capite decimo quarto respondet quidem Bollevillanus per omnia : sed malumus unicam loci Tertulliani *de præscript. c. 37. de literis authenticis* explicationem audire. Hæ nempe nihil nostro post Rigaltium sunt aliud, quam intemerata indubiæque fidei non autographa, sed apographa: quo sensu & ipse Tertullianus *14. adversus Marcionem c. 3. paraturam authenticam*, & Concilium VI generale τὰ ἀυθεντικὰ βιβλία Patrum, & nostrates textum vocant *authenticum*, cum contra Romanos disputantes, a versionibus ad fontes provocant. Ad XIV, præter ea, quæ de Vulgata versione, etiam ut ejus autoritatem authenticam nuper ab autore observationum in versionem Montensem, *Teliero* Jesuita Parisiense, defensam novimus, disseruntur; novum nec hactenus a *Ludovico de Dieu*, aut ullo Protestantium observatum proponitur ἕυρημα: *integros* nimirum *extare Scripturæ libros, pro paraphrasibus Chaldaicis iisque Judæorum operæ confectis traditos, qui a Syris nati Syriacæ sint versiones.* Adeo Simon videri non vult, fur-

tim

tim habuisse se quicquam a Ludovico de Dieu; cujus neque Grammaticam ante scriptionem Criticæ suæ viderit, neque sententiam plane eandem protulerit. Defectus, quos Hollandi isti theologi epistola XV, in idea Simoniana versionis novæ notavere, Bollevillanus non agnoscit. Ad primam enim quæstionem generali Simonem regula respondisse in Critica, & aliquando *Fremondo d' Ablancourt* homini Reformato, quosdam libros sacros traducturo suasisse, ut duas versiones, unam ad verbum exemplo versionis Hispanicæ Ferrariensis, alteram ad sensum magis, neque tamen longe nimis a litera abeuntem conficeret. Ad secundam etiam quid respondendum sit, ex critica ejus colligi posse, nempe in quacunque versione abstinendum a verbis, quæ non sunt in usu, aut sensum falsum gignere possunt. Ad XVI, confundi a Clerico judicat Patrum opiniones privatas & catholicas, nec distingui tempora, infausteque eum *Dallæum* sequi, cujus *de usu Patrum* libro pejor inter omnes istius fœtus nullus sit. Ad XVII, fatetur Bollevillanus ingenue, *Christophorum Cartwright, Commentario in Genesin & Electis Targumico-Rabbinicis sive annotationibus in Exodum* celebrem, merito memorari debuisse, nisi Simon ingentem bonorum auctorum numerum Latinæ Critices editioni reservare tum statuisset. Ad XVIII, parum Simonis interesse putat, an unquam Socinismum palam sint professi *Brenius*, a *Sandio* utique in *bibliotheca antitrinitariorum* relatus, ejusque avunculus *Cuperus*: sufficere, quod Unitariorum in explicanda Scriptura methodum Critico minime ignoratam uterque sequatur. Ad ultimas denique literas XIX, & XX, respondet, si qui corrupti sint Scripturæ loci, non quidem eos pro lubitu reformare ecclesiam posse, attamen si consultis apographis melioribus res nondum definiri certo possit, fideles ad traditionis constantis canonem remittere, hocque sensu *solam ecclesiam habere veras Scripturas*; ejus Simonem autoritati velle cedere, si qua indubia traditio de primæ linguæ infusione extet; mirari ipsum Theologos Helveticos, qui omnes alios suæ confessioni fidei & Synodo Dordracenæ subjicere voluerint, neque tamen ecclesiæ decisiones Tridentinas non detrectent. Multa præterea sunt, quæ animadvertit Bollevillius: verum cum partim prolixum nimis foret & ab instituto nostro alienum singula persequi, partim ab ipsomet ὡς ἐν παρέργῳ inserta multa videantur, filum hic abrumpimus.

HYDRO-

HYDROLOGIA PHILOSOPHICA, OR AN Account of Ilmington VVaters in VVarvvickshire, vvith Directions for the drinking of the same: by Sam. Derham Bachelour in Physick Lately of Mad. Hall. Oxon.

sive,

Descriptio Aquarum Mineralium apud *Ilmington* in Comitatu *Varvicensi* repertarum, una cum bibendi easdem methodo, autore Samuele Derham Medic. Baccalaur. ultimum Aulæ S. Mar. Magdalenæ Oxonienſ.

Oxonii, apud Joh. Hovvell, A. 1685, in 8.

NOn dubium eſt, quin Aquæ Medicatæ, de quibus Noſter hic agit, ad oppidum *Ilmington* recens repertæ, aque loco, ubi ſcaturiunt, quibusdam *Balmoore VVaters* denominatæ, multum illuſtrent famam, qua Comitatum jamdum Varvicenſem in Anglia præ reliquis hujus provinciis ob ſalubrem aeris conſtitutionem celebrem *Dn. Briot, dans l' Hiſtoire des ſingularitez Naturelles d' Angleterre p. 191.* commemorat. Primus Medicorum, qui Aquas iſtas in uſum medicum vocaverit, *Cl. Cole* ab Autore effertur in præfatione, rationes, quibus inductus præſens de iisdem ſcriptum in *tres* diſtributum *partes* concinnaverit, exponente. In partium harum *prima* Autor in mixtorum corporum principia, & in glebas Minerales, Aquarum Spadanarum eſſentiam primario conſtituentes, inquirit. Quoad principia corporum, quatuor potiſſimum Philoſophorum hodie excellere hypotheſes refert, *Ariſtotelicorum* videlicet, *Chymicorum*, *Thaletis & Helmontii*, *Epicuri* denique *ac Democriti*; e quibus *Ariſtotelicorum ac Chymicorum* Elementis rejectis, poſteriorum ita amplectitur ſententias, ut cum *Thalete* quidem & *Helmontio* Aquam ſeu ſuccum potius ſui generis nutritium materiale mixtorum principium,

pium, ex quo omnia corpora, adeoque Aqua ipſa, tanquam Elementum ſecundarium, componantur, cum *Epicuro* & *Democrito* indeterminatam quandam aſſerat Materiam. Glebas vero Minerales quod concernit, juxta harum diverſitatem in terræ viſceribus ab acido eſurino ſeu univerſali diverſa efformari ſalia, a quibus omnis Aquarum Mineralium deſcendat varietas, cum *Helmontio*, quem ſtrenue adverſus *Liſterum de Fontibus Medicatis*, tam quoad Sal eſurinum univerſale, quam quoad Vitrioli generationem propugnat, defendit. In ſpecie Aquas Ilmingtonenſes de Vitriolo Martis participare in *Parte ſecunda* oſtendere nititur, ceu in qua, præter alia Experimenta, ſequentia circa colorem, pondus ac naturam iſtarum a ſe inſtituta exhibet. Scilicet Aquas Ilmingtonenſes in ſe luſtratas colore apparere multo pallidiore, quam aquam e petra alias exeuntem; miſtas vero cum violarum ſyrupo, hunc in viridem mutaſſe, cum pulvere autem gallarum colorem modo purpureum, modo etiam nigrum contraxiſſe: a decima quippe ſexta grani gallarum parte, vel integrum Aquæ ſextarium, ſive pintam, colore tinctum fuiſſe purpureo, quem magis tamen conſpicuum, ac ſyrupo roſarum Damaſcenarum cum Aqua ſimplici miſto perquam ſimilem, octava ſaltem grani gallarum pars adjecta reddiderit; non ſecus ac major pulveris gallarum quantitas addita obſcuriorem ac atramentoſum penitus Aquæ colorem induxerit. Ab Aquæ ejusdem pinta ficciori tempore trutinata, pintam aquæ communis dimidiam fere drachmam fuiſſe ſuperatam; humidiore autem tempeſtate & ubi ochra jamdum ſubſederat, æquilibrium utramque inter aquam adfuiſſe; unde fere nullum certum cujuslibet aquæ fontanæ definiri poſſe pondus conjicit. Aluminis nequicquam Aquis Ilmingtonenſibus ineſſe, e comparatione harum cum aquis aluminoſis facta perſuadet; aluminis ſiquidem ſolutionem oppido lacti inferre coagulum, non item aquas Ilmingtonenſes; Aquas alumınoſas vi pollere cathartica, fontium apud Scarbrough, Epſom & Barnet. &c. exemplo, Spadacrenem vero Ilmingtonenſem diuretica potius gaudere virtute; e diverſo aquas apud Ilmington fæces alvinas inficere nigredine, ſecus ac aquas imprægnatas alumine, cui ipſi alias ſolenne quoq; eſſet ſit cum ſpiritibus urinoſis, v. g. ſpiritu cornu Cervif. effervescere, cum pulvis tamen rubellus poſt evaporationem aquæ Ilmingtonenſis relictus non, niſi cum acidis in efferves-

 ſcentiæ

ſcentiæ abiret motum. Porro neque nitrum in aquis ſæpius memoratis deliteſcere, multo minus ſulphur commune ſubeſſe, exin dededucit, quod primũ aquæ quocunq; examinatæ modo, ſive deſtillatæ, ſive evaporatæ &c. ne veſtigium exhibeant nitri, quin potius pulvis poſt evaporationem reſiduus multum a nitro diſcrepare obſervetur; dein vero deſtillatæ aquæ eædem partim aquam fundant prorſus inſipidam, nec odore ſulphureo nares ferientem, partim autem ſuppeditent remanentiam, quæ, uti & ſedimentum, carbonibus vivis aut ferro candenti impoſita, ſulphuris communis ad inſtar nequaquam concipiat flammam. Quod vero Aquæ prædictæ, ubi aliquamdiu ſtagnaverint, cuticulam ſive cremorem quendam ſubcæruleum in ſuperficie contrahant, odoremque tetrum exhalent, non tam ſulphuri ctidam adjudicat communi, quam putrefactioni ſulphuris embryonati, cum minerali ſimul adportati, tantillum exaltanti. Concludit proin e mutationibus, quas a pulvere gallarum fons Ilmingtonenſis patitur, hunc ingredi omnino vitriolum; an album tamen ſive venereum hoc ſit, an vero martiale, ulterius ſcrutatur. Sed cum Aquas Ilmingtonenſes omni vi emetica & cauſtica deſtitutas deprehendat, e contra talem obtinentes ochram, quæ ad terram mineralem potius ferri, quam cupri accedat, mox vitrioli albi aut venerei deliteſcentis ſuſpicionem removet. Nihilominus ut ad oculum quaſi vitriolum Martis præſentibus in Aquis monſtret, phænomena Aquæ Minerali ac ſolutioni Vitrioli Martis Aqua ſimplici factæ, Ochræ itidem ac Vitriolo Martis communia, prout a ſe obſervata ſunt, ſtudioſe ſubnectit: (1) videlicet, & Aquam mineralem, & Aquam vulgarem Vitriolo Martis imprægnatam, eodem propemodum ſapore affeciſſe linguam; (2) utramque Aquam a minori gallarum portione colorem acquiſiviſſe purpureum, ſub hac tantum diſparitate, ut purpureus Aquæ Mineralis color ad rubrum, ſolutionis vero Vitrioli ad cæruleum magis accederet; quod tamen diſcrimen ab ochra ſubrubra, ſaltem Aquæ Minerali combinata, provenire, nec diverſam arguere materiam, prolixe ſatis evincere ſatagit; (3) Aquam utramque a majori pulveris gallarum copia atramentoſo colore ita fuiſſe tinctam, ut nigredinem hanc, ob rationes additas, modo cum transparentia priſtina adjecto acido commutarit, modo etiam ab alcali inſtillato denuo recuperaverit; (4) Aquam neutram lacti conciliaſſe coagulum; (5) vero utram-

utramque Aquam parum ab oleo tartari per deliquium fuiſſe præcipitatam; (6) terram ſubrubram poſt evaporationem relictam, item ochram ſponte ſua ſubſidentem, cum paucis aliquot guttulis ſpiritus æque nitri ac vitrioli inſtillatis, notabilem & cum ſpuma fumoque ſociatam concepiſſe ebullitionem, cui ſimilem quoque in Vitriolo Martis a ſpiritu nitri, non tamen a ſpiritu vitrioli, cum ab hoc ferrum in vitriolo Martis perfectius jamdum, ac quidem in Aqua Minerali ab acido eſurino ſaturatum ſit, annotatam fuiſſe effervescentiam; (7) denique, Sal e terra inſipida, poſt evaporationem multam ſuperſtite, convenienter extractum, colorem quidem pallidum figuramque irregularem obtinuiſſe, eosdem tamen cum vitriolo Martis dediſſe effectus. Satis ſic natura Ilmingtonenſium Aquarum vitriolica comprobata ad *partem Auctor* progreditur *tertiam*, ubi poſtquam varias in corpore ſano fermentorum ope expoſuit digeſtiones, morbosque pariter a fermentis deperditis aut depravatis oriundos enumeravit, ipſum perſequitur uſum, qui nominatis in morbis ab Aquis Ilmingtonenſibus, intuitu vitrioli Martis, poſſit ac debeat expectari; quem in finem uſitatas quoque Martis præparationes cum operandi harum ratione ſuppeditat, in Methodo tandem ab iis, qui Aquas deſcriptas fructuoſe haurire geſtiunt, obſervanda finiens.

DE IMPETU TRACTATUS DUPLEX, Autore Franciſco Eſchinardo, e Soc. Jeſu Math. Prof. in Colleg. Rom.

Romæ, 1684, in 4.

RAtionem motus rerum naturalium, quem vel ex gravitate innata, vel ex impetu habent, traditurus ingenioſiſſimus Autor, priori tractatui partes duas facit, unam de impetu, ejusque natura & proprietatibus; alteram de Mechanica inſcriptam. In illa per capita quinque poſt explicationem terminorum, exiſtentiam impetus, ſeu qualitatis motus productivæ, tum ex projectione corporis gravis in altum, tum ex acceleratione motus in deſcenſu probat, illumque vel intrinſecus corpori inhærere, ut in motu animali membro-

rum, gravitate, &c. vel extrinsecus provenire, ut in projectis, attractione, &c. ait. Differit inde de productione, conservatione, propagatione & destructione impetus, omnia adductis exemplis declarans. Docet spatia localia, quæ occupat corpus naturali motu descendens, inter se in ea ratione esse, in qua sunt quadrata temporis, in quo unumquodque perficitur, nimirum si in uno minuto lapis ex alto decidens spatium certæ magnitudinis conficiat, in duobus minutis quadruplum, in tribus noncuplum &c. confecturum. Crescere itaque spatia de minuto ad minutum per 2, progressione Arithmetica, v. gr. 1, 3, 5, 7, 9, &c. & quidem non minus in descensu inclinato, quam perpendiculari, per media quæcunque, aerem, aquam, &c. Quantum vero temporis ad conficiendum quodlibet spatium requiratur, ex Galilæo & Torricellio inde determinat, quod grave libere descendens eodem tempore, quo pendulum integram vibrationem simplicem faciat, octuplum longitudinis fili permeet, pendulum vero $4\frac{1}{3}$ palmorum, vel, ut alio loco tradit, $3\frac{1}{3}$ pedum Geometricorum, aut juxta Ricciolum, 3 pedum cum 3 unciis & $\frac{27}{100}$ vibrationem simplicem in uno secundo horæ perficiat. Solutis posthæc duabus, quæ traditis obstare videbantur, difficultatibus, agit Autor de motu reflexo, seu repercussione, cujus causam statuit introductionem impetus contrarii a corpore percusso in percutiens, diversisque casibus ejusdem expositis transit ad vibrationes penduli, & præmissa terminorum definitione, adductisque aliorum cum aliqua ὑπόθεσει sententiis tum super centro oscillationis, tum super pondere ipsius penduli, longitudines filorum docet invicem esse in duplicata ratione temporum, quibus vibrationes peraguntur, adeoque si velis vibrationem simplicem per duo secunda durare, requiri longitudinem supra dictæ quadruplam, &c. prorsus ut in descensu perpendiculari. Eique asserto demonstrando varias ex Torricellio & Galilæo repetit propositiones, subjunctis quibusdam corollariis, & problematibus. Parte altera de Statica, & machinis per quatuor capita disserit, iterumque præmissa terminorum explicatione, quid sit vis movens, quid momentum? tradit modum inveniendi centrum gravitatis, & discussa natura sive proprietate vectis, docet, ad habendum æquilibrium, requiri, ut virtus movens ad resistentiam corporis movendi

vendi sit in reciproca proportione distantiæ unius cujusque a fulcimento. Momenta enim inter se habere rationem potentiarū in distantias ductarum. Unde erasse arguit Galilæum, in determinanda potentia requisita ad sustinendum per vectem grave inclinatum. Enarrat hinc quædam experimenta, quando pondere currus vel carrus, determinata rotarum altitudine & distantia, atque axis crassitie, sic vel aliter onustus in plano, tum horizontali, tum elevato moveri potuerit, aitque motum horizontalem per se nullam experiri resistentiam a corpore vel gravi movendo, nisi quæ ex contactu oriatur, unde pluralitatem rotarum motum difficiliorem reddere concludit. Postea exponit varias machinarum species, suculam, vectem, cuneum, cochleam, ac inprimis Archimedeam, cujus delineandæ modum præscribit, horologia, & quæ huc pertinent, insperfis quibusdam de motu campanarum, & de indicibus aeris incalescentis, aut remittentis.

Posteriorem tractatum corporibus fluidis destinat Autor, & postquam cap. primo supposuit, omne fluidum (saltem sublunare) gravitare, ejusque partes facile ab invicem separari, & in hoc a solido differre, præmissa definitione gravitatis speciei & molis, cap. secundo demonstrat: 1. superficiem fluidi in vase inclusi, esse sphæricam; 2. solidum corpus in vase inclusum, ejusve partes non moveri ad constituendam superficiem sphæricam; 3. solidum specie levius in aqua tantundem immergi, quanta sit moles aquæ æquiponderans toti; 4. solidum specie gravius in aquam immersum ac ab alto suspensum, tanto minori pondere sustentaculum urgere, quam in aere suspensum faciebat, quantum ponderet moles fluidi, solido æqualis; 5. si totaliter velis immergere intra aquam solidum specie levius, tantam vim exercendam esse immergenti, quanto plus ponderet altera tanta moles aquæ; 6. æquilibrium altitudinum, seu superficiem sphæricam fluidi non impediri per inæqualitatem vasis continentis, sed partem illam solidam vasis, quæ illud inæquale reddit, tantundem resistere fluido, quanta sit gravitas alterius tantæ molis fluidi; 7. sustinentem vas, in quo est fluidum, sentire pondus totius fluidi, etiamsi partes ejusdem æquilibrentur. Quibus subjungit, quantam vim & quomodo faciat fluidum inclusum tam in latera, quam in fundum vasis, quantumq; differat impetus sive pressura fluidi fluentis & quiescentis; & ejusmodi alia.

Cap. tertio agit de fontium naturali fluxu, qui sive continuatim descendat, sive rursus ascendat, utrobique requirat, ut orificium canalis, unde egressura sit aqua, respectu horizontis inferius sit loco ingressus. Amplitudinē vero canalis ad impetum fluxo vel augendum vel minuendum per se nihil putat facere; facere tamen per accidens & indirecte, quod nimirum altitudo aquæ in vase magis minusve diu conservetur, prout foramen exitus arctum vel amplum sit. Impetū porro in canali inclinato ab altitudine perpendiculari ait metiendum; eundem eni essem, sive hoc, sive illo modo descendat; tempus autem diversum esse. Differit hinc ex Mersenno de quantitate aquæ ex vase aliquo fluentis, tum absoluta, tum cum aliis collata; de distributione aquarum in ductibus seu fistulis, præfertque huic fini foramina quadrata æqualis altitudinis, rotundis; Portiones enim inæquales longe accuratius haberi posse, per solius latitudinis diversitatem; item de ascensu aquæ tam intra canalem, quam in libero aere; de remedio aerem in canali compressum educendi; de aquarum libellatione, &c. Caput quintum paucissimis absolvit, fontium artificialium structuram, & rationes ex Microcosmo Autoris Physico Mathematico, & quæsitis sub finem hujus Tractatus annexis petendas innnuens. Monet tamen, per siphonem vel anthliam aquam ultra 18 cubitos, vel 46 palmos circiter in altum attrahi non posse, istudque orificium siphonis, unde aqua fluere debet, inferius esse debere respectu horizontis, quam alterum, per quod aqua ingreditur, quod equidem in vulgus notum est. Capite quinto comparat fluida diversa, tum inter se, tum cum solidis, aitque fluida graviora regulariter inferiorem locum occupare, nisi diversitas modica sit. Solida vero tantæ moli aquæ æquiponderare, quantam occupent, si eidem innatent. Urinatores propterea pressuram aquæ superioris non sentire, quia tantundem repellantur ab inferiori. Diversum tamen quodammodo expertum esse Boylium in animalculo intra Mercurium abdito. Capite sexto & septimo agit de experimento Torricelliano circa Mercurium in fistula ultra palmos $3\frac{1}{3}$ non adscendentem, vel remanentem, si in vas eodem plenum fistula aperto orificio immittatur, adductis & inter se collatis rationibus diversorum Autorum. Ubi simul quærit, quidnam id sit, quod descendente ita Mercurio in fistulæ summa parte

parte quasi vacuum remanet. Capite octavo eoque ultimo mensuram aquarum currentium tractat, & præmissis terminorum definitionibus, quæque circa velocitatem exitus aquarum quietarum ab earum altitudine dependentem observata sunt, vel supponuntur, varia problemata de quantitate & velocitate aquarum effluentium per foramen vel emissarium datæ magnitudinis, item de intumescentia & decrescentia fluminum ex determinato accessu vel defectu, solvit, adjecto lemmate, per foramen unciæ palmi Romani quadratæ, tempore 80 secundorum ex aqua quieta exire quasi 17 heminas. Heminam autem alibi ait continere 18 uncias cubicas pedis Romani, cujus $\frac{3}{4}$ sint palmus. Sextarium porro æqualem 2 heminis, & congium 6 sextariis. Digressione dein facta de origine fluminum & ventorum, examinat quæstionem, an expedierit sectio Isthmi inter mare rubrum & mediterraneum, quam quosdam Regum Ægygti & Persarum, ut & Trajanum Imperatorem intendisse veteres narrant, expensaque altitudine utriusque, nullam quidem inundationem metuendam fuisse concludit, futurum tamen autumat, ut arena in canali per ventos accumuletur, & si illa conjunctio mediante Nilo fiat, aquæ ejus salsæ reddantur. Addit denique prælecta quondam de inundatione Tiberis de Anthlea, per machinam, de frigore cavearum montis Dolioli, sive Testacei, & de Cochlea Archimedis pro attollenda aqua.

Sequuntur coronidis loco quæsita, seu problemata centum, ex hactenus traditis solvenda, quæ recensere nimium foret.

PETRI PETITI PHILOSOPHI ET DOCTORIS Medici Parisiensis de Sibylla libri tres.

Lipsiæ, apud Heredes Frid. Lankisch, 1686, in 8.

QUos de Sibylla libros Scriptor doctissimus promiserat in dissertatione *de furore poetico p. 33.* eleganti cultu omnique doctrina perpolitos nobis dedit. Nihil pene videbatur addi potuisse, ex quo tot prodierunt monumenta, in quibus, sive historiam Sibyllarum cognoscere cupiamus, sive illarum oracula, examussim singula apparent discussa. Heic vero haud vulgaria & jam observata ab aliis, sed

alia

alia reperies omnia. De qua re jam Taciti ævo dubitatum fuit, *una an plures Sibyllæ fuerint*, Annal. lib. 6. cap. 12. ſententia fertur, & unam fuiſſe contenditur Sibyllæ nomine apud Græcos celebratam: ex hac autem una & ſingulari Sibylla plures vulgi errore inductas, duabus de cauſis; tum quia longæva admodum fuit, & vitam ultra ſolitos ætatis humanæ limites produxit, tum quia in tam longo ætatis decurſu fere ſemper peregrinata eſt, inque variis urbibus vaticinationum ſuarum monumenta reliquit, præſertim Erythris, Cumis, Samo & aliis Aſiæ civitatibus, in quarum templis oracula ejus repoſita fuerant. Quæ de ea veteres prodidere, aut ab iis prodita poſteri congeſſere, nequaquam ſollicite recoquuntur, aut ad normam religionis componuntur; ſed, quod nemo in hunc diem egerat, Divæ hujus facultas prænunciandi futura, corporis temperamentum, indoles animi, itemque educatio, victus, longa ætas, vita ſolitaria & cœlebs, peregrinationes, habitacula in antris, mors ipſius, cum ſepulcro & epitaphio, penſiculate exhibentur. A genere quidem divinandi ac ſacris illius librum primum orditur, quæ Græcorum fuiſſe propria demonſtrat, & hinc non Sibyllam tantum, verum & omnes fatidicas reliquas internoſcit. Nomen Sibyllæ non eſſe appellativum contra Grammaticos docet, inprimis Servium, Heſychium, Iſidorum, Lilium Gyraldum, quem præterea falſum eſſe in Phemonoe & Caſſandra indicat. Mox Ariſtotelis & Plutarchi loca ſibi profutura aut explicat, aut emendat, tranſiturus ad vaticinationem Sibyllinam, ejusque rationem ac naturam interiorem, ubi principium agnoſcit ſublimius, quam indoles fert humana. Sed neque excludit omnino vim naturalem, qua Sibylla præ aliis habita ſit idonea ad ſocietatem cum cælitibus colendam, & divini afflatus capax fuerit: factaque digreſſione oſtendit, an & quomodo innata homini ſit vaticinandi facultas, & quatenus ea cum memoria conveniat, quomodo per varias ſpecies, phantaſmata, & operationes memoriæ hoc vaticinandi genus comparatum fuerit, quanta ſit virtus vini ac ſomni in divinatione, ac quare morituri vera interdum prædicant. Futura autem contingentia ab homine nulla ratione prævideri poſſe, argumentis contrariis propoſitis, erudite diſquirit. Sic porro ex ingeniorum diverſitate colligit, quodnam ſit aptiſſimum ad prænoſcenda incerta, quæque ſit ad fundenda oracula efficacia mentis, naturaliter rapta ad contemplationem divinorum, ſic ut ferrum trahitur a magnete: hoc addito diſcrimine, quod viſio cœleſtis pauciſſimis detur, nec niſi illis quos ad magna genitos Deus hiſce amoris ſui ſymbolis dignetur, ut arcana voce cum ipſis intus loquatur. Sibyllæ temperamentum ex Ariſtotele indicat, & maxime aptum fuiſſe illud exiſtimat atræ bili generandæ, tanta copia ut melancholicis proxima cenſeretur. Ac ſimile quid deprehendi in Moſe, qui tali corporis habitu præditus amaverit ſolitudines, opilio ſoceri, ac minus ad eloquendum promptus, ἰσχνόφωνος καὶ βραδύγλωσσος; nec non Elia, cujus vitæ rationem e ſacris tradit. Nec vero ſemper neceſſariam eſſe ad altiores mentis functiones quasvis obeundas (e quibus præſtantiſſima eſt futurorum eventuum cognitio) præclaram indolem cenſet, nec Sibyllam ideo naturæ quodam privilegio excelluiſſe, cujus vi mundum impleret oraculis; ſed dæmonem præcipue ſuperbia incitatum hic quoque Dei opera voluiſſe imitari, ut quantum valeret in rudi & ſocordi muliercula, oſtenderet. Præter dotes nativæ κράσεως ex Cardano & Pomponatio docet, in ortu Sibyllæ aſtra etiam concurriſſe, eamque ad vaticinandum præparaſſe: quando tamen non ad omne divinandi genus quod afflatu conſtat hæc poſſunt accommodari, legitimæ demonſtrationis dignitatem adhuc requirit. Terræ halitu Sibyllam motam eſſe, inſtar Pythiæ quæ exſpiratione antri Delphici ediderit oracula, non plane negat: cum in agro Veronenſi mulier ex ſpelunca quadam ædis D. Mariæ pari impetu vaticinata ſit, teſte illorum temporum Leonico Thomæo, philoſopho Platonico. Hieronymus contra redarguitur, auctor ſententiæ, quod ob virginitatem Sibylla in præmium acceperit facultatem prædicendi futura, immemor Jacobi, numeroſæ familiæ patris, qui hoc dono præcelluit, ac Salvatoris noſtri adventum apertiſſime prænunciavit. Interim ex caſtitate & veneris abſtinentia ortum apud virgines furorem, ſecundum Hippocratis opinionem declarat, & ex menſium ſuppreſſione oriri putat, cum venæ in uterum tendentes obſtruuntur, & ſanguis, prohibito exitu per inferiora, ſurſum refluit ad ſeptum transverſum, indeque ortus calor nimius ecſtaſim cauſſatur. Longævitatem Sibyllæ ex ſententia Cardani & Verulamii contemplationis ſtudio, habitationi in ſpelunca, ac alimentorum rationi tribuit; quæ quod ſimpliciora fuerunt, plurimum ad protractiorem ejus vitam contuliſſe affir-

affirmat. De ſolitaria etiam Sibyllæ & aliorum vita, tum nobili, tum ferina, haud contemnenda profert. Explicatis hunc in modum libro primo naturalibus & inſignibus proprietatibus Sibyllæ, quas nemo antea adeo accurate inveſtigaverat, in poſterioribus duobus libris hiſtorica perſequitur, Sibyllæ patriam, &, cum ea varie jactata fuerit, diverſa cognomina inde orta, plurimasque peregrinationes & in antris habitationes, aditumque ad Tarquinium commonſtrans: ex quibus ipſam ceu vatem gentium conſiderat, atque κακοζηλίαν dæmonis rurſum deſignat, qui eam in varias terræ partes abegerit, juxta modũ quo Deus homines ſanctiſſimos, mutatione locorũ ſubita transtulit in montes remotos, avia nemora, ſcopulorũ abrupta & feris horrendas & torrentium fragoribus ſolitudines, ut ſine ullo labore ab una regione in alias remotiſſimas ſe abductos ſentirent. Poſt hæc, ſubterranea loca, & Corycium ac Cumanum antrum detegit, in quibus habitaſſe Sibylla dicitur; ac per occaſionem myſticum Nympharum antrum, quod Homerus deſcripſit lib. 13. Odyſſeæ, cum perenni aquarũ fluxu exponit, & quid ſapientiæ ſub iſthoc fabuloſo antro lateat, oſtendit. Qua occaſione, an mediam inter hominem & dæmonem Sibylla obtinuerit naturam, ex Platonicorum potiſſimum ſententia erudite diſquirit, ac de migratione ejus poſt obitum in globum lunæ, hujusque proprietatibus, facie, deliquiis, & comparatione cum mente Sibyllæ, quæ nunquam tota numinis afflatu repleta fuerit, ſicut nec luna propter maculas tota exſplendeſcat unquam, tandemque de morte illius, & poſt eam cultu, ſolida veterum documenta ab aliis hactenus non obſervata profert. Tandem prædictionum ejus differentiam ab aliis vaticiniis, & quo charactere ab aliorum vatum facultate vis ejus ſeeerni poſſit oſtenſurus, univerſali quadam præſagiendi ſcientia eam valuiſſe, neque tempori aut loco cuipiam peculiari addictam fuiſſe, inſtar Pythiæ & aliorum vatum, ſed quovis loco & tempore vim ſuam præſto habuiſſe, adeoque univerſalem orbis univerſi & plane mundanam vatem, theſaurumque vaticiniorum & prophetiæ apud paganos fuiſſe, docet: in prodigiis autem notandis, explanandisque ſacrorum ritibus, quibus placandi eſſent Dii, verſatum eſſe ejus ſtudium, & ea ipſa de quibus aruſpices reſpondebant, oracula iſtam edidiſſe tradit. Quo factum ut maxima veneratione, apud Romanos præſertim, ea culta fuerit, ejusque libri ingru-

ingruente publica calamitate aditi & conſulti ſint. Quia vero & in his majora comparent, quam ut prævidere mortales queant, nec conficta tamen aut ſuppoſita omnia a fraudulentis hominibus exiſtimanda ſunt, cacodæmonis artes interceſſiſſe affirmat, ejusque artes expendit, quibus futurorum ſcientiam ſibi arrogarit alaſtor ſuperbiſſimus, quippe qua opinionem divinitatis ſe conſecuturum crediderit. Quæ futura igitur eſſent, partim incredibili qua pollet ſagacitate eum conjeciſſe, partim verborum ambagibus involviſſe, ne, quamcunque in partem eventus ceſſiſſet, mendacii redargui poſſet: in his autem, Deo concedente, non ſemper caſu & fortuito, multa vidiſſe & prædixiſſe vera. Idem ſentiendum affirmat de aliis vatibus, dæmonis afflatu rerum futurarum veritatem attingentibus: in quorum tamen numerum falſo referri exiſtimat, editis carminum fatidicorum centuriis celebrem, Michaelem Noſtradamum, Doctorem Medicum Monſpelienſem, cujus originem, ſtudia, honores, famam, amicitiam ſimultatemque cum Scaligero patre deſignat, & ſcientiam ejus aſtrologicam & hariolationes a malevolorum obtrectationibus liberat, aliorumque vaticiniis illuſtrium virorum exempla profert, qui fata hominum ac ſingulares rerum eventus prædixerunt. Ex iis autem colligit, eandem facultatem Sibyllæ adfuiſſe, proindeque præſcita in veterum monumentis ejus nomine prolata pro adulterinis non omnia eſſe habenda: ubi tamen non diffitetur, ab otioſis & malitioſis hominibus multa jam inde a priſcis ſeculis nomine ejus conficta ac veris inſerta fuiſſe; rationem igitur genuina ab adulterinis dignoſcendi tradit: qua occaſione egregia affert de poetica Sibyllæ, ſcriptura ejusdem in foliis palmarum & per notas, opertis Apollinis, & Hyſtaspe mago. Octo autem illos Sibyllinorum oraculorum libros, ab Antimacho, Betulejo & Caſtalione vulgatos, piæ Chriſtianorum ſeplaſiæ & fraudis magna ex parte inventum cenſet, ideoque non habendos eſſe dignos quorum teſtimonium inter vera fidei inſtrumenta, vel ad ethnicos convincendos, vel ad infringendam Judæorum pertinaciam, habeatur.

VITÆ CLARISSIMORUM JCTORUM, N. Boerii, G. Budæi, A. Augustini, A. Goveani, F. Hotomanni, J. Cujacii, B. Brissonii, J. Bertrandi, P. Pithœi & G. Panciroli, ex recensione & cum notis Frid. Jac. Leickheri, U. J. D.

Lipsiæ, sumtibus Mich. Guntheri, Bibliop. Dresd. 1686, in 8.

GRatissimus nunquam non eruditis habitus fuit eorum labor, qui magnorum virorum vitas ac elogia tradere, eosque post fata etiam vivis adhuc coloribus depingere sategerunt: plus enim plerumque efficaciæ in formandis ad virtutem hominum animis habent præclara ejusmodi exempla, quam prolixæ morum regulæ. Operam proinde semet haud perditurum speravit editor præsentis libelli, si recentiorum quorundam eorumque humanioribus literis cultiorum JCtorum vitas congereret ac una quasi tabula exhiberet. Extabant quidem eæ jam antea, sed cum aut difficilius reperirentur, aut non nisi cũ operibus eorundẽ, magno plerumq; precio constantibus, haberi possent, consultum judicavit ipsas in unum collectas exhibere, non dissimulatis tamen eorum nominibus, qui singula hæc elogia concinnassent. Sic in hac decade exhibita Nic. Boerii vita autorem habet Joh. Alesmium, Guil. Budæi Ludovicum Regium, Ant. Augustini & Ant. Goveani Andream Schottum, Franc. Hotomanni Petrum Neveletum Doschium, Jac. Cujacii Papirium Massonium, Joh. Bertrandi Franciscum Bertrandum, Pet. Pithœi Josiam Mercerum, Guidi Panciroli denique Jac. Phil. Thomasinum. Barnabæ Brissonii elogium editor ipse ex Thuano, Sammarthano, Botero aliisque compilatum conscripsit. Nec tamen præterea nihil de suo idem adjecit; nam hinc inde addidit notas elegantulas & ad historias hasce collustrandas haud parum facientes, evolutis hanc in rem prædictorum Virorum scriptis ac enotatis inde, quæ huc pertinere fuere visa. Singulis insuper elogiis subjecit catalogum operum a quolibet horum JCtorum conscriptorum, commemoratis simul diversis horum editionibus. Cæterum quod Gallorum maxime JCtorum vitas præ aliis colligere ipsi placuerit, factum ait partim, quod Germanorum plurimi jam a Melch. Adami & Joh. Wittenio forent descripti, partim quod Galli in elegantiori Jurisprudentia excolenda aliis fere palmam præripuisse passim judicentur. Denique lectorem jubet aliam propediem decadem huic simílem expectare, in qua Æmylii Ferreti, Hug. Donelli, Guil. Marani, Jani a Costa, Franciſci Florentis, aliorumque vitas semet exhibiturum promittit.

REPETITIO LEGIS QUOTIES COD. Quando non Petentium partes Petentibus accrescant. Leonori Comitis de Valmarana Opus postumum.

Venetiis, apud J. B. Tramontinum, 1684, in fol.

QUamvis tempora nostra librorum singulis pene momentis prodeuntium copia vix ullis cedere videantur, non tamen ubivis eandem cum prioribus ubertatem ostentant. Sic enim, ut ad rem statim transeamus, tam fœcundam Repetitionum, quas vocare solent, segetem hæc sane ætas non tulit, ut præcedentis ævi industriæ hoc inscriptionis genere comparari queat, aut modernorum labores tot spissis voluminibus, quot a veteribus habemus, concinnandis sufficiant. Qua tamen laude æquo fortasse animo illis cedere possumus, postquam insignibus documentis deprehensum est, quam non tot commentariis atque repetitionibus Jurisprudentiæ jam dum mole sua laboranti consulatur, & quanto rectius judicio quoque magni Carpzovii, illi faciant, qui sententiis curiarum memorabilibus atque decisionibus casuum rariorum colligendis operam impendunt. Ne tamen nil ad augendaRepetitionum volumina nostra ætas contulisse dicatur, juxta alios effecit Leonorus Comes de Valmerana, qui l. un. *C. quando partes non petentium petentibus accrescant*, peculiari Repetitione eaque satis prolixa exornandam suscepit, usus stylo huic scribendi generi admodum accommodato, ut dictionis majestate non minus quam decidendi felicitate Bartolum, Baldum & reliquos istorum temporum

rum proceres expressisse videatur. Universum vero opus his fere finibus consistit. Ab initio quidem Auctor textum ad liberos, & quidem ex jure Prætorio succedentes restringit, utut propter rationis similitudinem & liberis ex jure Civili succedentibus, & extraneis hæredibus institutis decisionem legis adplicari posse concedat. Inde rationem juris adcrescendi in hæreditatibꝰ inquirit, quam ubi ex testamento succeditur, ex notissima juris regula, quod nemo pro parte testatus pro parte intestatus decedere debeat, in aliis vero ex vocatione legis repetit. Hinc utrum portio hæreditatis vacans personæ an portioni adcrescat, expendit, & hac occasione ad quæstionem, utrum si hæres ex parte partem suam vendiderit, pars quæ postea vacat, illi an vero emtori adcrescat, dilabitur. Ubi vero jam abundanti jure textum ipsum perfudit, glossam quoque aggreditur, & cum in vero ejusdem sensu eruendo non parum solicitum se præbuisset, suum quoque hæredem, si longissimo tempore hæreditate se abstineat, jure immiscendi per præscriptionem excludi asserit, & tandem in quæstione, utrum prohibitio testatoris jus adcrescendi tollere queat, desinit.

ANTONII MATTHÆI, JURIS IN ACADEmia Lugduno-Batava Antecessoris, de Nobilitate, &c. Libri quatuor.

Amstelodami & Lugduni Batavorum, apud Janssonio-Waesbergios & Felicem Lopez, 1686, in 4.

MUltifaria sunt, quæ libri hujus rubrica (cujus potiorē saltem partē brevitatis ergo hic expressam voluimus) lectori promittit. Præter titulum enim de Nobilitate, inscribitur etiam, *de Principibus, de Ducibus, de Comitibus, de Baronibus, de Militibus, Equitibus, Ministerialibus, Armigeris, Barscalcis, Marscalcis, Adelscalcis, de Advocatis Ecclesiæ, de Comitatu Hollandiæ & Diœcesi Ultrajectina*: ut adeo prima facie mirari quis facile queat, qua ratione thema tam multigenum in unam compingi tractationem potuerit; nisi præfationem operi præmissam & methodum ab Autore adhibitam propius inspexerit. Scilicet cum hic in evolvendis consuetudinibus Ultrajectensium

sium non ita pridem occupatus fuisset, ibique in locum quendam incidisset, qui absque pleniori Nobilitatis, antiquioris inprimis, cognitione vix commode intelligi valeret, statuit materiam hanc profundius excutere, atque hinc præsens ipsi volumen enatum est. Quemadmodum vero ad excursiones subinde faciendas admodum proclivis est Autor, ita dum inter varias Nobilitatis species etiam ad Comites devenit, hac occasione ad Comitatum Hollandiæ ejusque historiam speciatim delabitur, quo nomine quoque porro de Diœcesi & rebus Ultrajectinis tractandi ansam arripit, quo hac ratione suæ erga civitatem patriam devotionis aliquod extare faceret monumentum: atque inter hæc dum de Episcopatu etiam & Ecclesiasticis rebus agit, unum alterumve caput de Advocatis Ecclesiæ inserere ac materiam hanc una quadantenus dilucidare satagit. Nec putandum est, eum levi saltem brachio hasce materias pertractasse: quin potius tam diffusū semet in iis præbuit, ut vix tertia operis pars principali de Nobilitate tractationi manserit residua. Tametsi vero copiosæ hæ digressiones ingratiores forte cuiquam videri possent; fatendum nihilominus est, earundem lectionem nec injucundam esse, nec usu destitui, cum variæ in iis res exponantur non ubivis obviæ, quarū pleræq; insuper per chartas & instrumenta publica, verbotenus plerumq; exhibita, edita partim, partim adhuc inedita, aut confirmantur aut illustrantur. Speciatim occupatus est Autor passim in obsoletis antiquiorum scriptorum ac diplomatum verbis ac sensibus investigandis ac annotandis. Sic notat v. g. vocem *Juncfrouwen* in chartis antiquis tanquam titulum appropriatum fœminis nobilibus apponi, nec alium ipsis regum filiabus datum fuisse: eundem vero tam late quoque patuisse, ut non innuptæ saltem, sed nuptæ etiam ac viduæ, quin & anus eo appellarentur, *pag. 24*. Pariter deducit pluribus, Hollandiæ ante seculum undecimum aut duodecimum vix factam reperiri mentionem: dictam vero olim hanc provinciam fuisse nomine *Kinnem* & *Flatirdinge* quandoque, ejusque comitem sæpe vocari *Comitem aquarum* seu *aquaticum, pag. 45. seqq. & pag. 65*. Porro multus est in variis antiquorum comitum nominibus derivandis ac explicandis, dum scilicet alii appellantur *Burggravii*, alii *Frygravii, Centgravii, Gogravii, Pluymgravii, Dyckgravii, &c.* In specie Pluymgravium

narrat

narrat cygnis olim præfuiſſe per tractum Delfenſem ac totam Rynlandiam, ita ut nulli jus eſſet hoc invito cygnos publice alendi: datum id honoris olim fuiſſe Dominis de Waſſenaer, itemque Dominis de Naeldwyck per univerſam Schielandiam, ac comprehenſum hoc ipſo una fuiſſe jus *Grutæ*, i.e. exigendi certam penſionem a coctoribus cereviſiariis pro uſu purioris aquæ, ac diſſipanda tollendaque lenticula paluſtri, *Croos* vulgo dicta, aquas alias operiente, *pag. 910.* Ne de aliis dignitatum titulis, quorum plurimos enodare ſategit, dicamus. Ubi de Hollandiæ Comitatu agit, pluribus deducit, erroneam eſſe opinionem, quæ ſtatuit Theodericum primum fuiſſe comitem Hollandiæ, collatæ ipſi a Carolo Calvo: nam utut fateatur Theodericum a Carolo, (non Calvo tamen, ſed Simplici,) quasdam terras accepiſſe, Hollandiam tamen fuiſſe negat; in qua provincia comites plures ante Theodericum regnaſſe probat, *pag. 42. & pag. 117. ſeqq.* Id quoque latius refutat, quod vulgo dicunt, Willebrordum primum fuiſſe, qui Friſiis (quo nomine tum Hollandiæ incolas etiam veniſſe evincit) Evangelium annunciarit: oſtendit enim jam ante hunc eo munere ibi defunctos Eligium, Wilfridū, Vulfrannum, Vicbertum, aliosque, *pag. 100. ſeq.* De urbe etiam ac diœceſi Ultrajectina ejusque tum hiſtoria, tum politia ac ſtatutis ſpecialia plurima alibi vix occurrentia, edocet, quæ tamen huc adducere prolixum nimis foret. Promittit Autor inſuper in præfatione editionem cujusdam rerum Ultrajectinarum ſcriptoris hactenus inediti, antiquioris tamen adhuc annalibus Johannis de Beka: pariter quoque *pag. 1023.* ait, penes ſe eſſe annales Egmondanos Johannis a Leidis, qui ſub Maximiliano I vixerit, itidem nondum in publicum emiſſos, quorum ſimiliter editionem lectori propediem ſpondet.

M. JOH. REISKII EXERCITATIONES Hiſtoricæ de Imaginibus Jeſu Chriſti, quotquot vulgo circumferuntur, reviſæ, interpolatæ, figuris æneis & multis acceſſionibus auctæ, quibus exercitatio philologica de Lingua vernacula Jeſu Chriſti emendatior & locupletata ſubjungitur.

Jenæ, typis Joh. Jacob. Bauhoferi, 1685, in 4.

Duo-

Duodecennium eſt, ex quo CL. hic Autor, cum eruditionis non trivialis laude inter Magiſtros Jenenſes exſplendeſceret, tres de Imaginibus Chriſti exercitationes, tanquam publicæ diſputationis materiam, pro Academico more prodidit, Bibliothecis tum publica, tum privatis, celeberrimi inprimis polyhiſtoris Boſii, adjutus. Poſt illa tempora operis ſcholaſticis penes Luneburgenſes immerſus tantum abeſt, ut curas ulteriores imaginum illarum intermiſerit, ut potius exercitationes de iis ſuas horis ſubceſivis recognoverit, caſtigarit, novisque acceſſionibus locupletarit, & tum quidem cum maxime, cum Rectoratum, ut vocant, Gymnaſii Guelpherbytani cum Luneburgenſis moderamine commutaſſet, & Bibliothecam ibi illuſtriſſimam & longe inſtructiſſimam perreptare ipſi liceret. Et vero ſic factum, ut exercitationes, quæ juveniles antea fuerant, ad virilem quaſi ſtaturam illam, in qua nunc temporis conſpiciuntur, perductæ fuerint. Unice autem imaginem Chriſti illam, quam penicillo ac calamo ſuo expreſſere familiares ejus Apoſtoli, veneratus, tam ἀχειροποιήτους, quam χειροποιήτους, ut vocantur, imagines Chriſti ſub examen revocat, dumq; id agit, non πολύγλωττον tantum & terſæ latinitatis, ſed & diffuſæ lectionis & exquiſitæ κρίσεως ſcriptorem legentibus ſe approbat.

Præmittit autem exercitationibus ſuis primum theſes vel propoſitiones ex univerſa hiſtoria deductas, atque in illis fundamenti loco præſtruit, Scripta Hiſtoricorum alia genuina eſſe, alia ſuppoſititia, ſcriptoresque ipſos aut αὐτόπτας eſſe aut αὐτηκόους, eosque vel æquales eſſe rebus, quas commemorant, vel poſteriores, atque adeo vel priſcos vel recentiores; teſtimonia ſcripta prævalere narratiunculis vel rumuſculis; monumenta alia publica eſſe, alia privata; alia item religionis veræ multum, alia ſuperſtitionis non parum habere, nec tam ad multitudinem, quam ad ſinceram teſtimoniorum fidem in re hiſtorica reſpiciendum &c. Theſes haſce generales XII excipiunt Hypotheſes IX, ab omnibus, quotquot Chriſtiani ſunt, admittendæ; quæ eo tendunt, ſacras literas non exponere, quo vultu Servator conſpicuus in terris fuerit, nec ad ſalutem pertinere hujusce rei notitiam, quin ſatius eſſe, Chriſtum verum Deum ac hominem fide perpetua intueri. Hypotheſibus ſubjiciuntur XXX concluſiones,

quarum hæc summa est, frustra esse, qui vel examussitatam corporis pulchritudinem, vel singularem Christo deformitatem adscribant.

Et ista quidem sunt προλεγόμενα. Sequuntur Exercitationes VIII, in quibus tam ἀχειροποίητοι quam χειροποίητοι, ut Jconolatræ vocant, h. e. tam miraculo & sine hominis adminiculo formatas, quam arte humana factas Christi imagines distincte examinat Reiskius. In Exercitatione I, qua Edessenam solam, quæ ad Abgarum Regem transmissa a Christo traditur, sub examen vocat, non incommode & epistolas illas ἀμοιβαίας Jesu & Abgari, quas Syriaca, Persica, Arabica, Græca & Moscovitica linguis extare observat, simul attingit, easque suspectas apocryphasque esse ostendit, adductis ex ipsis Pontificiis, Gelasii videlicet Papæ, Concilii Francofurtensis a Carolo M. instituti, Laurentii Vallæ, Bellarmini, Melchioris Cani, Costeri & Valesii autoritatibus, illosque insimul, qui pro epistolis illis tanquam γνησίοις militant, Baronium nempe, Montacutium & H. Grotium confutat. Epistolis hisce νοθείας accusatis imaginem Abgarenam sive Edessenam ipsam, quam ex Joh. Damasceno, Nicephoro aliisque asserit Baronius, supposititiam esse contendit, quod neque ab Evangelistis, neque ab Apostolis sit tradita; quod primitiva Ecclesia intra 400 annos ab usu imaginum abstinuerit; quod pictura Sanctorum tum in Concilio Eliberitano, A. Christi 305, tum in Concilio Constantinopolitano A. Christi 338, prohibita fuerit (ubi & testimonia Epiphanii, Augustini, & Georgii Cassandri, viri inter Pontificios cordati, afferuntur;) quod item Imago Edessena proximis post C. N. quinque seculis nihil quicquam autoritatis habuerit, illiusque nulla penes Eusebium, qui de Jesu tamen & Abgari epistolis non pauca retulit, fiat mentio; quod denique plures ex scriptoribus posterioribus, ad quos provocat Baronius, mirifice tum quoad subjectum, quo effigies concepta fertur, tum quoad expressionis modum inter se dissentiant. Autores postea a Baronio citatos, Evagrium scilicet, Joh. Damascenum, Georgium Syncellum, Theophanem, Constantinum Porphyrogenetam, Simeonem Metaphrasten, Cedrenum, Curopalatem & Nicephorum Xanthopulum excutit, eosque partim nimiæ credulitatis, partim falsæ narrationis ac fictionis incusat, interque alia Synodo Nicænæ II, pseudo-Catholicæ (quæ, contra quam in Constantinopolitana decretum fuerat, imaginum cultum confirmarat,) scripta Caroli M. & Concilium Mœno-Francofurtense opponit, & quam invisa atque exosa plerisque gentibus, Orientalibus maxime, imaginum usurpatio ac veneratio fuerit, commonstrat; corollarii etiam loco Casaubonum contra Jac. Gretserum defendit, qui in Syntagmate suo de imaginibus ineptias ei impegerat, quod dixisset Evagrium primum fuisse, qui miraculosæ Edessenorum imaginis meminerit. Quamvis enim prior sit Procopius, ex quo sua desumpsit Evagrius, nusquam tamen Evagrium profiteri, quod particulam de imagine Abgarena e Procopio desumpserit; perperamque adeo urgere Gretserum, extitisse olim in Procopio, quæ hodie in Procopio tam edito, quam Manuscripto non inveniantur.

In Exercitatione II, de imagine Christi illa, quam S. Veronicæ a Christo ipso datam Pontificii credunt, doctissimus Autor dispicit. Est autem hæc vulgatissima de ea traditio. Cum Veronica eo tempore, quo Servator una cum cruce ad crucem protrahebatur, præ foribus domi suæ stetisset, linteumque capitis peplum Christo cruciario, ut faciem sudoribus cruentis horridam abstergeret, porrexisset, Christus effigiem vultus sui impressisse linteo, ac mulieri velut argumentum amoris indubitatum reddidisse perhibetur. Sed præter hanc & alia traditio ex Martini Corneri, Ord. Prædic. Chronico Manuscripto, quod in Senatus Luneburgensis Bibliotheca extat, alia item ex Conradi de Mure, Canonici & primi Ecclesiæ Tigurinæ Cantoris Nomenclatura Ecclesiastica, quam Tigurini, teste Hottingero, adhuc asservant, a Reiskio affertur. Refert autem Cornerus Volusianum quendam, qui Hierosolymam ad Jesum Romam adducendum, quo Tiberium a gravissimo morbo liberaret, ablegatus fuerat, ex S. Veronica intellexisse, Medicum, quem quæreret, crucifixum quidem esse, at reliquisse tamen imaginem, quam si intuiturus esset Tiberius, pristinæ illum valetudini mox restitutum iri; quod & eventus post deinceps ipse comprobasset. Conradus vero de Mure id memorat, Vespasianum simul ac per nasum, qui vespis plenus erat, juraverat, se mortem Jesu Medici vindicaturum, a malo suo fuisse restitutum; Titum vero ejus filium lepra laborantem misisse quosdam ad Pilatum, qui de vita & morte Christi scisciterentur, hosque, cum in Veronicam sibi obviam incidissent, ab ea non certiores tantum de morte

Christi fuisse redditos, sed & Christi effigiem sudario impressam accepisse, qua conspecta & Titus a lepra fuerit liberatus. His minime inter se convenientibus de Veronicæ imagine relationibus subjiciuntur a Reiskio, quæ a Baronio, Chiffletio, Bosio & Aringho pro asserenda illa afferuntur, ut & Inscriptio Urbani VIII Papæ, qua conditorium effigiei ejus, quæ Romæ sanctissime hodieque colitur, exornavit. Quamvis autem Veronicæ huic imagini fidem undecunque conciliare satagant Pontificii, Reiskio tamen & hæc non minus, quam prior Edessena suspecta est; & his quidem de causis, quod de Veronica ejusque sudario ne γρὺ quidem extet in sacra crucifixionis historia; nec de nomine ejus satis constet, (aliis Berenicen, aliis Beronicen, aliis Veronicam eam appellantibus) multo minus de ejus patria, religione ac vita; quod nullus imaginum ex VIII seculo patronus, hanc fœminam, aut divinam hujus peplo impressam effigiem consignarit; quodque ipsi Pontificii, Baronius, Pamelius, Bzovius & Salmeron in narratione hujus rei minime conveniant. Nec momenti quid afferre imagini isti videtur Reiskio, quod Bullæ quædam Pontificiæ indulgentias omnibus eam aspectantibus indulserint, quodque preces, quales tres affert, effundi ad illam consueverint. Nam eadem ipsi hic fabula videtur ludi, quæ penes veteres Romanos circa cultum Cereris Ennensis, de qua Cicero Orat. IV in Verrem: *Mira quædam in tota Sicilia privatim ac publice religio est Cereris Ennensis. Etenim multa sæpe prodigia vim ejus numenque declarant; multis sæpe in difficillimis rebus præsens auxilium ejus oblatum est, ut hæc insulæ ab ea non solum diligi, sed & incoli custodirique videatur. Tanta enim erat auctoritas & vetustas illius religionis, ut cum illuc irent, non ad ædem Cereris, sed ad ipsam Cererem proficisci viderentur.*

In Exercitatione III, Imaginem Christi sindoni ac linteis sepulcralibus impressam sub examen vocat Reiskius; & primum quidem observatis aliquot Judæorum circa corpora sepelienda moribus, sudarium soli capiti, non toti corpori obvolvendo inserviisse, contra Chiffletium contendit; dein imagines hasce æque ac duas antecedentes, suspectas reddit, quod nullus Evangelistarum, nullus Apostolorum, nullus Doctorum ætati Christi proximorum tale quid prodigio simillimum recensuerit, nec ullus patrum ante Bedam mentionem

nem sudarii fecerit; quod præter illud Anglicanum, non Vesontinum tantum, quod pro genuino venditat Chiffletius, sed & Moguntiacum & Cadunense, nec Taurinensis tantum sindon, sed & Compendiensis, aliæque plures alibi ostendantur, neque inter omnes de omnibus conveniat.

In Exercitatione IV, ab imaginibus Christi ἀχειροποιήτοις, quas Pontificii vocant, transit ad χειροποιήτας h. e. manibus hominum effectas, fusas videlicet, sculptas, pictas & signatas; & primum quidem agit de imagine Christi & statua Paneadensi, quam hæmorrhousa ad Jesu sanata præ foribus suis in urbe Paneade, Cæsarea etiã Philippi dicta, collocasse traditur, auctoribus Eusebio, Philostorgio, & Nicephoro Callisti, & qui hos sequuntur, Ruffino, Cedreno, & Cassiodoro; ex recentibus Bellarmino, Possevino & Aringho. Accedit autem Reiskius, quod hanc statuam attinet, non Martino Chemnitio, Theologo Lutherano, nec Hospiniano & Forbesio, Reformatis Theologis, quibus vera videtur ista hæc historia, sed J. Dallæo, celeberrimo antiquitatum sacrarum censori, qui cum Carolo M. rem omnem in dubio atque incerto collocat, cum de statua ista, neque Evangelistæ, neque patres primorum seculorum, qui in Apologeticis suis pleraque alias Christi miracula studiose conquisivere, Justinus puta, Irenæus, Tertullianus, Minutius Felix, Clemens Alexandrinus & Origenes, quicquam commemorent; Eusebii etiam narratio rumore ἀχεφάλῳ innitatur, historiciq; duo reliqui Philostorgius & Nicephorus cum Sozomeno in unam relationem haud conspirent.


In Exercitatione V, Imaginem Christi illam, quæ S. Lucæ tribuitur, sub discussionem vocat Reiskius. Tribuitur autem Lucæ a Theodoro Lectore, Simeone Metaphraste, Nicephoro Callisti seu Xanthopulo, Baronio, Possevino, Aringho & Athanasio Kirchero; quemadmodum & aliæ Sanctorum imagines, Mariæ inprimis, Petri & Apostolorum profectæ a Luca traduntur. Sed autor & hic impetrare a se non potest, ut assensum illis præbeat, quia ea de re neque in Actuum Apostolicorum historia, neque in Epistolis Apostolorum, neque in universa patrum ad seculum usque IIX historia vel vestigium quidem compareat; dein quia Romanenses ipsi, Bellarminus, Sixtus Senensis & Gretserus ambigue admodum de imaginibus his loquantur; & denique quia Lucas medicus quidem, sed non pictor fuisse penes veteres legatur, suspectaque præterea Theodori, Metaphrastis & Nicephori sit narratio.

In

In Exercitatione VI de imagine Christi per Nicodemum sculpta, quæ tertia est inter χειροποιήτους, agit. Hujus mentio fit in libello Athanasii Episcopi Alexandrinæ urbis de passione imaginis Domini nostri Jesu Christi. Fertur enim Nicodemus arte sculptoria Christi effigiem ex ligno, ad exemplar linteis sepulcralibus impressum efformasse. Sed hæc Nicodemi imago eodem a Reiskio censetur pretio, quo Nicodemi Evangelium; quod Nicodemus nempe neque in sacris literis, neque in historia Ecclesiastica sculptor fuisse legatur, nec ferri etiam inter Judæos potuisset, quippe qui pictores ac statuarios ex terris ac civitatibus suis proscripserint; porro quod liber Athanasii sit minime genuinus, ipsis Pontificiis scriptoribus non diffitentibus; maximaque inter Græca & Latina exemplaria sit discrepantia; quod denique Synodi Nicænæ II, in qua historia illa de Nicodemi imagine refertur, plane nulla, dudumque dejecta sit autoritas.

In Exercitatione VII, ventilantur Imagines Christi juxta epistolam Lentuli & prosopographiam Nicephori delineatæ. Præmittitur igitur epistola Lentuli proconsulis ex Manuscripto quodam Bibliothecæ Jenensis, ut & epistola Pilati ad Tiberium Imp. de Christo perscripta. Sed mox notha a Reiskio pronunciatur illa Lentuli epistola, quod nihil fundamenti in Eutropio habeat; quod cum historia Lentulorum non congruat; quod plena sit barbarismis ac solœcismis; quod altissimum de ea penes antiquos patres sit silentium; quod denique a quibusdam Pontificiis & ipsa explodatur. Nec melioris Reiskio notæ est & altera Pilati epistola, quanquam Acta Pilati vera esse posse non abnuit. Quod prosopographiam Nicephori attinet, rejicitur & illa, quod nihil de ea Evangelistæ & Patres antiquiores memorent; præsertim cum Nicephorus ridiculus rhapsodus, fabulosissimusque multarum fabularum narrator ab ipso Baronio & Possevino agnoscatur, Patresq; contrarium potius de informi & inglorio Christi vultu afferant; Nasiræatus etiam Christi probari ex sacris non possit, quamvis Nazarenus ab oppido Nazareth dicatur.

In Exercitatione VIII, dijudicantur imagines Christi per numismata procusæ. Facit autem Reiskius tres numismatum id genus classes, quarum in unam primæ, in alteram mediæ, in tertiam postremæ ætatis collocat; cumque per tria secula priora afflictissimus rerum Christianarum fuerit status, nihil talium nummorum ad primam æta-



niæ unius longitudine digreditur, revolutionemque suam circa Saturnum bidui fere spatio absolvit. Detectus est mense Martio anni 1684, lentibus Dn. Campani, 100 & 36 pedũ, citra tubi opem usurpatis.

Secundus, ab extremitatibus ansarum, aggregato Diametrorum Globi & ansæ Saturninæ recedit. Revolvitur circa Saturnum trium fere dierum spatio, iisdemque cum priore lentibus observatus est.

Tertii distantia ab ansis maxima paulo major est diametro annuli:

TAB. XII *ad a. 1686. pag. 469.*

Systema Saturni ex observationibus I.D. Cassini Vitris I. Campani in Regio observatorio habitis.



In Exercitatione VIII, dijudicantur imagines Christi per numismata procusæ. Facit autem Reiskius tres numismatum id genus classes, quarum in unam primæ, in alteram mediæ, in tertiam postremæ ætatis collocat; cumque per tria secula priora afflictissimus rerum Christianarum fuerit status, nihil talium nummorum ad primam æta-

ætatem pertinentium suppeditare ait. Profert equidem ex Hottingero, ex Bibliotheca Guelpherbytana, & CL. Wagenseilii Sota nummos aureos & argenteos, eosque æri incisos, in quibus Christi imago cum literis Hebraicis est inscripta. Sed hi omnes Reiskio adulterini sunt ac supposititi, a falsario videlicet quodam vel monetæ falsæ artifice ad Lentuli vel Nicephori prosopographiam efficti. Ex secunda classe vel ætate nullos esse affirmat nummos, qui Christi effigiem referant, tum penes Patinum, tum penes alios rei nummariæ scriptores; falso etiam tales Constantino M. a Damasceno, & Justiniano M. ab Occone, Strada & Chiffletio tribui ostendit. Ad tertiam classem refert nummos Servatoris ex octavo, nono & decimo seculis, Zimiscæ inprimis Imperatoris, qui A. C. 969 imperavit; nummos item Comnenorum & Serviæ Regum, ac Venetorum Ducum, qui quidem non Christo tantum, sed & Mariæ, Michaeli Archangelo, aliisque sanctis sunt dicati; qua occasione & de varia Christi effigie, & nummorum inscriptione differit, multosque illorum, qui pro Christi nummis venditantur, incertitudinis arguit, una cum numismate aureo, quod Johannes quidam Schlegelius tanquam genuinum Constantino M. asserere non dubitavit.

Exercitationibus hisce annectit CL. Reiskius exercitationem Philologicam de lingua Christi vernacula, quam Chaldæo-Syram fuisse censet.

NOVÆ OBSERVATIONES CIRCA SYSTEMA Saturni, habitæ in Observatorio Regio Parisiis, a Dn. Joh. Dom. Cassino, lentibus Dn. Joannis Campani.

TAB. XII.

SYstema Saturni, præter annulum quo cingitur, quique Planetam hunc utrinque ansatum repræsentat, quinque ejusdem sattellites comprehendit.

Primus intimusque, ab extremitatibus ansarum paulo plus ipsa ansæ unius longitudine digreditur, revolutionemque suam circa Saturnum bidui fere spatio absolvit. Detectus est mense Martio anni 1684, lentibus Dn. Campani, 100 & 36 pedū, citra tubi opem usurpatis.

Secundus, ab extremitatibus ansarum, aggregato Diametrorum Globi & ansæ Saturninæ recedit. Revolvitur circa Saturnum trium fere dierum spatio, iisdemque cum priore lentibus observatus est.

Tertii distantia ab ansis maxima paulo major est diametro annuli:

nuli: Revolutio vero circa Saturnum 4 dierum & 12½ horarum. Observatus hic est Telescopio Campaniano 34 pedum.

Quartus qui prioribus longe magis conspicuus est, ab iisdem terminis elongatur paulo supra tres diametros annuli; revolutionemque suam 16 fere diebus absolvit. Repertus hic est primũ a Dn. Hugenio

Quintus a Saturno decem diametris annuli digreditur, & 80 circiter diebus circa eundem revolvitur. Observatus est Tubospecillo Campaniano 73 pedum anno 1671.

LIBRI NOVI.

LA Morale de Jesus Christ. a Paris chez E. Michallet 1686, in 4.

La Morale de Tacite, de la Flaterie, par le Sr. Amelot de la Haussaie. a Paris chez I. Boudot. 1686, in 12.

Traité du Corps & du Sang du Seigneur, composé en Latin il y a plus de huit cens ans, par Ratramne; traduit en François avec des Remarques. A Paris chez I. Boudot, 1686, in 12.

Essais nouveaux de Morale. De l' Ame de l' Homme premier Essai. a Paris. chez la veuve Macroy 1686, in 12.

Traité de Mouvement des Eaux & des autres Corps fluides, par feu M. Mariotte, mis en lumiere par les soins de M. de la Hire. a Paris chez E. Michallet. 1686, in 12.

Stephani Morini Dissertatio de Horis salvificæ Passionis Jesu Christi. Lugd. Bat. 1686.

Le veritable penitent, ou Apologie de la Penitence. a Cologne, chez B. d' Egmond. 1686, in 12.

Lettres du Pere Malebranche, dans lesquelles il répond aux Reflexions de Mr. Arnauld sur le Traité de la Nature & de la Grace. A Rotterdam, chez R. Leers 1686, in 12.

Reflexions Philosophiques & Theologiques sur le Nouveau Systeme de la Nature & de la Grace. Livre second touchant l' ordre de la grace. a Cologne 1686 in 12.

— — — Livre troisieme touchant Jesus Christ comme cause de la grace. a Cologne 1686 in 12.

Histoire de l' Etat present du Royaume de l' Hongrie. a Cologne 1686, in 12.

Specimen Philosophiæ Civilis, continens Excerpta Aristotelica e libris ad Nicomachum, Cartesii de Affectibus librum, Institutionem Reipublicæ, cum excerptis Ovidianis. Ulricus Huberus rationem instituti in præfatione reddit. Franequeræ apud J. Gyselaer, 1686, in 8.

Abrahami Heidani Corpus Theologiæ Christianæ. Lugd. Bat. 1686, in 4.

Histoire de l' origine & des progrés de la Monarchie Francoise, par Guill. Marcel. a Paris chez D. Thierry. 1686.

Jacobi Rhenferdii Dissertationes Philologicæ de decem Otiosis Synagogæ. Franeck. apud I. Gyselaar. 1686.

Traité de l' efficace des causes secondes, contre quelques Philosophes modernes. a Leyde chez Cl. Jordan, 1686, in 12.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipsiæ

Calendis Octobris, Anno M DC LXXXVI.

COSMOPOLITÆ HISTORIA NAturalis,

seu

Nova & Genuina Animalium Generatio, nec non Accuratissima Corporis Humani Delineatio Anatomica.

Lugduni Bat. typis Joh. Kellenaar, 1686, in 12.

PRo novis duo hæc opuscula in præfatione Typographi ad Lectorem venditantur, quorum Auctores, tum ex modestia, tum quod vino vendibili opus non esset suspensa hedera, reticeri nomina sua voluerint. Neque dubitamus, excepta ea velut nova a multis fuisse, cum parum abfuerit, ut etiam nobis abeorum editore imponeretur. Ast postquam pervolvere librum cœpimus, minime nova esse opuscula, sed mutatis titulis, omissisque auctorum, qui latere tamen non voluerunt, cum hos fœtus suos luci publicæ primũ exponerent, nominibus, novam tantum faciem mentita, facile deprehendimus. Et primus quidem tractatus, qui *Nova & Genuina Animalium Generatio* hic inscribitur, non alius est, quam qui Medioburgi sub titulo, *Novus & Genuinus Hominis Brutique Animalis Exortus*, auctore Anthonio Everardi, anno 1661 prodiit. Nec in eo mutatum quicquam, nisi quod cum epistola dedicatoria Præfatio Everhardi ad Lectorem plane omissa est, forte quod ad palatum novæ editionis curatori non essent verba, quæ altera statim ejus pagina leguntur: *Turpe sane & indecorum est, alienæ messis fructus colligere, vel aliorum ovis incubare* &c. & non multo post: *Fert proverbium, mun-*

mundus vult decipi &c. Alter vero, qui nunc sub titulo, *Accuratissima Corporis Humani Delineatio Anatomica*, exhibetur, Viennæ Austriæ anno 1682 hoc titulo prodiit : *Francisci Stockhamer Doctoris Medici & Anatomici Microcosmographia, sive partium humani corporis omnium earumque actionum & usuum brevis quidem, accurata tamen et atoma Descriptio, novis hujus seculi inventis exornata.* Cum vero recentior hic liber esset, ne fraus pateret, transpositione saltem capitum opus fuit visum. Ita enim, quæ in editione genuina capite ultimo *de fœtu* leguntur, in nova hac de verbo ad verbum, dempto tantum primo paragrapho, Opusculo instar præfationis cujusdam, procemio Stockhameri omisso, præmittuntur: quod in Stockameri editione caput XIII est, in hac primum constituit ; quod ibi duodecimum, *de facie & ejus musculis*, hic quartum est, & ita porro. Cæterum uti de opusculorum argumento dicere nil attinet, quod dudum trita sint eruditorum manibus, ita vindicanda tamen ea Auctoribus suis merito fuere, quos fructu laboris sui & gloria meritorum in rem medicam privari indignum erat.

CAROLI DRELINCURTII OPUSCULA DE fœtus humani Conceptione, Membranis, Umbilico, Nutritione atque Partu.

Lugd. Batav. apud Cornelium Boutenstein, 1685, in 12.

SI quis generationis nostræ negotium paulo curatius reputat, Authorumque plurium ea in re vel ignorantiam crassam, vel negligentiam aut credulitatem, vel pertinaciam nulli cedentem atq; intempestiva litigia, vel arrogantius ac plane singulare novitatis studium expendit, eum certe non poterit latere summa illa difficultas, quæ doctrinam de hominis generatione undique premit. Itaque hoc magis admiramur & exosculamur præsentia Authoris Nostri scripta, Opuscula certe non parvi æstimanda, utpote quæ subtili brevitate multũ in recessu habent, laboremque ac ingenium ostendunt non translatitium. Nimirum id unice intendit Cl. Drelincurtius, ut quicquid ab aliis traditum vel fictum est, adducat & examinet nervose, in adversariis de conceptione, in hypomnematibus de humani fœtus membranis, specialius in meletematibus de tunica fœtus allantoide & animadversionibus de tunica chorio, nec non castigationibus de membrana fœtus agnina atque emendationibus de fœtuum pileolo, item in meditationibus elencticis super humani fœtus umbilico : ubi vero aliorum insufficientiam, hiatus & errores manifestos dextre detexerit, suam quoque mentem exponat candide, potissimum in systemate de humano fœtu. Et quandoquidem Tractatus hi non indigent suspensa hedera, seque ipsi satis commendant omnibus, sufficiat, posthabitis amplioribus encomiis, saltem pauciora, non potiora, indicasse, ut qualitercunque contentorum suavitatem Lectori prægustandam offeramus.


Sententia Authoris Nostri circa generationem hæc est. Dum in fœcundo coitu uterus mulieris libidine tentatur, flaccidæ alias tubæ ad instar mentulæ virilis eriguntur, spiritibusque venereis turgidæ expandunt fimbrias suas foliaceas, donec cœco impetu in testiculorum amplexus ruant. Elidunt itaque ovulum quoddam maturius suo compressu, juvante insimul nisu proprio scrobiculi nerveo-carnosi cui inhæret ovulum ; nec obstat tunica testiculos investiens, quippe quæ non minus diduci & expandi videtur ovis maturatis, quam pericarpia solent in plantis, cum semina maturuerint. Elapsum hoc modo ovulum, suisque inclusum membranis, excipitur a tuba illa uterina, atque ope fibrarum ejus per anfractus maximeque tortuosam viam in cavitatem uteri deducitur. Hic vero demum accedit seminis masculini fermentum spirituosum, innumeris constans atomis acido-salinis, quæ sicuti ab universo corpore deciduæ sunt, ita & partiũ ideis instructæ ovum petunt ejusque porulos quoquoversum subeunt. Uniti hac ratione spiritus cum spiritibus itidem acido-salinis ovuli muliebris, colliquamentum suum jugiter conquassant ac subigunt, primum quidem subtilissimas portiunculas in venarum fila propellentes, cordisque primordia formantes, donec forma salientis puncti sanguis purpurascens intra cor in conspectum prodeat. Excitatum ita corculum a sanguine intra se calefacto expansoque, & ad sui contractionem invitatum, in alia quoque fila sursum ac deorsum annexa diffundit recentem sanguinem, atque sic longius latiusque protendit molliora illa embryonis stamina. Hactenus albugine sua totus mergitur embryo, duplicique incluſus tunica, quarum una im-

mediate succingens succum illum albugineum cum embryone amnion vocatur, cui altera chorion dicta exterius incumbit, non secus, ac dura meninx piæ matri. Postquam autem fœtus grandescens colliquamentum suum pæne consumsit, necessum est, aliunde peti ulteriorem nutritionis materiam. Eam vero promte affundit maternus uterus, utpote cujus poris acini placentæ quasi per inoculationem sese insinuant, affusique per arterias hypogastricas & spermaticas sanguinis partem nobiliorem excipiunt, atq; per venam umbilicalem deferunt in tenellum fœtus corpusculum. Abit autem peculiari via per medias jecoris portas ad venam cavam, atque ex hac partim per canaliculum venosum pergit ad sinistrum cordis ventriculum, partim dextro cordis ventriculo excepta beneficio canalis arterioſi ex arteria pulmonali ad aortam transfertur, ubi cum sanguine reliquo e sinistro cordis thalamo prodeunte concurrens, ad nutritionem singularū partium distribuitur per universum corpus; atque hoc pacto non tantum circuitum suum intra fœtum, sed & extra eum absolvit, quatenus per arterias umbilicales binas, ad evitandum suffocationis periculum, sanguinis quantitas notabilis placentæ uterinæ reaffunditur. Interea dum sanguis per arterias ad cunctas partes affluit, necessum est, non aliter ac in adultis, humores sequestrari, laudabiles pariter & excrementitios, lympham puta, urinam, bilem &c. Lympha quidem e glandulis oculorum, narium, oris & maxillarum partim quidem in fauces & ventriculum delabitur, partim in amnion redundat. Hinc liquori salivali admiscetur urina per urethram egressa, siquidem in homine nec urachus est, nec peculiaris tunica allantois. Bilis autem & succus pancreaticus cum reliqua lympha intestina successive replent, donec collecta majore quantitate tormina inde oriantur in fœtu, quæ cum inquietum reddant eundem, matrem simul excitant, ut vel hac de causa maturum partu excludat fœtum.

ANT. DE LEUVVENHOECK OBSERVATIONES circa generationem & conceptionem fœtus in utero.

Ex Transact. Angl. M. August. 1685. n. 174. p. 1120. seqq.

Post-



POstquam aliquo abhinc tempore *Leeuwenhoeckius* in semine masculo variorum animalium detexit, ope præstantissimorum, quibus instructus est microscopiorum, insecta seu animalcula viva numerosissima, ansam inde sumsit comminiscendi novam quandam rationem, qua abstrusum istud generationis atque conceptionis negotium explicaret. Scilicet rejecta penitus illa opinione, tantum licet hactenus applausum merita, qua ovulum ex ovario muliebri elicitum per tubarum angustias in uterum descendere existimant, ibidem per virtutem virilis seminis ulterius elaborandum; statuit, in homine pariter ac brutis non aliter conceptionem fieri, quam ex prædictis animalculis. Putat nempe dari in utero ejusve tubis paucas quasdam easque exiguas arteriolas aut loculos recipiendis ac enutriendis istis animalculis aptos; ex his animalcula, si in ea incidant, alimentum sugere, donec brevi aliam induant figuram, & abjecta exemplo gyrini, cauda aut pellicula tota extima, formam retineant corporis cujusdam ovalis ac fœtui convenientis, atque sic magis magisque crescant, donec ad maturitatem partus pervenerit. Exhibetur forma hujusmodi insectorum ex canis semine in *Fig. 1. & 2* in priori quidem ut viva apparent, in posteriori, uti mortua conspiciuntur, ubi I. K. L. itemque E. F. G. corpus insecti, H & M. vero caudam indicant. Similiter in *Fig. 3* vivum, & in *Fig. 4.* exanime cernitur animalculum, qualia in semine cuniculorum fuere conspicua: ubi in specie annotavit Autor, horum corpus A. B. C. & E. F. G. non globosum aut ovale, ut in aliorum fere brutorum semine, sed complanatum magis apparuisse, diversis insuper ac clarioribus globulis inibi contentis insignitum, uti pariter figuræ indicant. Tanto vero numero animalcula hujusmodi in materia feminis aiit esse, ut eorum multa millia in guttula arenæ grano non majori conspiciantur; agilia insuper & vivacitatem suam vario caudæ motu satis ostendentia, post septem & plures quandoque dies adhuc viventia, si a frigore muniantur, nec humor, cui innatant, deficiat. Sexum etiam fœtus non aliunde arcessendum credit, quam ex iisdem animalibus, utpote quæ & ipsa duplicis figuræ conspici perhibet, ac proinde conjicit, ea jamjam in se sexu diversa esse, pariter ac membris visceribusque instructa; cujus rei probabilitatem exemplo minimorum insectorum, ipsamque visus nostri aciem propè effugientium arguit. Ac verosimilius multo autumat, animam ani- TAB. XIII.

malculis hiſce jam inſitam ibi remanere, figura eorum externa ſaltem immutata; eamq; animam ex corpore uno in aliud, ex ſemine ſcilicet in ovulum, migrare. Non ergo auram aut vaporem ſeminis ad conceptionem ſufficere poſſe concedit, ſed ipſum ſemen neceſſario matricem intrare debere opinatur, nec aliam dicit eſſe rationem, cur canes, lupi, vulpes, inter coeundum tam firmiter cohæreant, quam ut parum illud ſeminis, quod exſtillent in congreſſu, melius intra uterum fluendi ſpatium habeat. Virorum quoque frigiditatem non alia in re conſiſtere conjicit, quam quod eorum ſperma aut animalibus iſtis in totum deſtituatur (uti obſervatum narrat in viro quodam olim quidem fœcundo, nunc vero ſterili) aut ea tam debilia ſint, ut vitam in utero diu producere nequeant. Multum enim intereſſe putat, num vivacia hæc ſint, nec ne; nam nec animalculum mox ipſo coitus tempore reperire punctum nutritioni aptum, ſed contingere id aliquando poſt pluſculos etiam dies: præterea fieri poſſe, ut uterus non mox prima vice eorundem receptioni ſit accommodus, ſed poſt unum alterumve diem demum his alendis idoneus reddatur. In oviparis quoque neceſſum ait, ut animalculum maſculi ſeminis juſtum vitelli punctum feriat, ubi intrare & nutriri poſſit: tum deinde ovum unice inſervire paſcendo ſucceſſive animalculo, non vero putandum eſſe, ac ſi hoc ipſum animam ſuam poſtmodum intra ovum perderet. Cæterum alteram illam opinionem, quæ vult, viviparorum quoque generationem ex ovo fieri, cum rationibus impugnat, tum experimentis ex diſſectione variorum brutorum fœminini ſexus, canum puta, ovium, cuniculorum captis. Imprimis urget magnitudinem ovulorum in ovariis contentorum, utpote quæ ſubinde piſorum quantitatem adæquent, cum tubæ cavitas, per quam (& plura ſimul quidem in multis animalibus brevi illo coitus tempore) migrare debeant, vix ſtylum mediocrem admittat & ſinuoſos habeat anfractus, uti infuſo argento vivo ſemet expertum teſtatur. Ovula iſta præterea exitum ex ovario quomodo & qua via habere queant, ſe fruſtra quæſiviſſe ait, præſertim cum eadem membranis tam valide cohæreant, ut vix ungue divelli poſſint. Nec unius generis ovula eſſe, quæ in ovario deprehendantur, alia nempe ex partibus glanduloſis conſtare, alia veſiculas aquoſas referre, quæ iſtis minores eſſe ac ſub iisdem profundius fere latere ſoleant. Probabile præterea eſſe dicit; ovula

ovula hæc, ſi ad generationem dicata eſſent, in tenellis animalibus fore exigua ac tum demum grandeſcere, cum ad maturitatem hæc perveniſſent; uti in oviparis animantibus obſervare eſt: at vero hic omnia contraria apparere: examinatis enim in præſentia aliorum ovariis vitularum 3, 4, 5, 6 ſeptimanas natarum, apparuiſſe ovula æque grandia ac in juvenca adulta; pariter ovula agnæ lactentis, magnitudine adæquaſſe ovula robuſtæ ſatis ovis. Inſtitutam præterea brutorum ſectionem aliquot poſt eorum coitum diebus, nunquam ſibi exhibuiſſe quicquam intra uterum ejusq; cornua, quod ſimilitudinem ovulorum talium, viſu alioqui ob magnitudinem haud difficilium habuiſſet; ſemper autem ingentem animalium iſtorum ſeminalium copiam, tam in utero, quam in ejus cornibus, extremis etiam, dummodo beſtiæ vita poſt congreſſum tam diu conceſſa fuiſſet, ut iſta natando illuc penetrare valuerint: e rudi enim calculatione ex motu & natatione eorum collecta conjicit, intra 40 minuta unius horæ ea $5\frac{1}{3}$ pollices nando progredi poſſe. Ovaria proinde vulgo ita dicta exiſtimat revera nil aliud eſſe, quam inſtrumenta ad exonerandas partes vicinas facientia; ac in mentem ſibi veniſſet ait, an non inſerviant evacuandis aliquibus humoribus eo tempore, quo clauſo utero per vaginam via non pateret: inventum enim quandoque à ſe in tenuiori tubæ parte non procul ab ejq orificio materiam albidam, conſiſtentem ex globulis transparentibus, paulo craſſioribus ac globuli iſti, qui ſanguinem componunt, eſſe ſoleant. Ad id vero, quod multi anatomicorum paſſim aſſerant, reperta a ſe ſæpenumero intra tubas & uterum ovula talia fuiſſe, reſpondet corpuscula illa globoſa quæ iſti offendiſſent, nequaquam pro veris ovulis habenda eſſe, ſed vel pro reliquiis ſeminis virilis in globuli formam coagulatis, vel pro alius generis excrementorũ particulis undiquaque æquali vi preſſis, atque hoc pacto in corpora globoſa efformatis. Dubio denique, cui bono tot animalium millia in una gutta ſeminis comprehendantur, cum vel unicum eorum ad generationem ſufficiat, occurrere nititur per ſimilitudinem a ſemine pomorum aliorumve fructuum petitam. Videlicet facta in ſolo fœcundo foveola, & in eam conjectis ſimul pluribus pomi ſeminibus, non tot arbores inde proventuras ait, quot grana fuiſſent: ſed illud ſolum granum, quod in principio maximam in terra radicem fixiſſet, in ar-

in arborem excreturum, cæteris omnibus suffocatis : quo tamen pacto num objectioni huic aliisque dubiis hanc opinionem comitantibus satisfactum sit, nec ne, penes alios esto judicium.

OSSERVAZIONI NATURALI, OVE SI CONtengono Materie Medico-Fisiche, e di Botanica, Produzioni Naturali, Fossofori diversi, Fuochi sotterranei d' Italia, & altre curiosità. disposte in Trattati familiari da D. Paolo Boccone,

i. e.

Observationes Naturales, in quibus varia Medico-Physica & Botanica, Productiones item Naturales, diversi Phosphori, Ignes subterranei Italiæ, aliaque curiosa continentur, in tractatus sive epistolas familiares dispositæ a Paulo Boccone M. D.

Bononiæ, apud Navolassos 1684, in 12.

QUi Observationum num. XXVI hic sistitur fasciculus, Italice ab Autore Nobili Siculo prodit conscriptus, postquam Idem tam Gallice *Disquisitiones & Observationes Physicæ circa corallium, Astroiten &c. Parisiis* primum anno 1671, dein *Amstelodami* auctiores longe an. 1674, quam Latine, *Icones & Descriptiones rariorum plantarum Siciliæ, Melitæ etc. Londini* anno 1674 ediderat. Inter admiranda vero Recentiorum inventa, quemadmodum cum reliquis de primatu fere certat Noctiluca sive Phosphorus Aereus, ita & in *Observationum* quæ familiaribus his continetur literis, *Prima* statim Phosphori hujus Aerei effectus non minus, atque causa, & præparatio, prout hæc a *Domino Boyle* quidem edocta prostat, perlustrantur. Hinc in *Obs. II.* Ignium subterraneorum, qui in ditione Mutinensi reperiuntur, recensentur phænomena, horumque causa non sine ambagibus ex effervescentia quadam ab acido & alcali oriunda, materiaque subtili sive ætherea huic

huic interposita, deducitur. Sed Medicamina nonnulla pestis tempore præservationi & curationi inservientia speculatur Autor *Obs. III.* multum inter ista extollens Vesicatoria, ceu quorum præsidio anno 1656, cum Genuæ dira admodum sæviret pestis, quicunque eodem se muniverant, a truculento hoc morbo ex relatione viri cujusdam experti fuerint præservati. Unde Autor Radici quoque Colchici, quam ex scripto quodam Germanico salutare in Germania anno 1680 præstitisse amuletum intellexit, virtutem laudatam non tanquam amuleto simplici, sed tanquam blando potius Vesicatorio, ratione actiorum quibus constat particularum, fert acceptam. *Obs. IV.* annulos considerat ferreos (ex quorundam mente eosdem cum *Helmontii* annulo, quem *c. 2. de Febribus §. 39.* non solum laudavit, sed & describendum *Tractatu In, Herbis, Verbis & Lapidibus magna est virtus*, licet sine effectu, promisit,) absque ullo ignis adminiculo e clavis soleæ ferreæ, quæ ungulæ anteriori sinistræ equi nondum castrati aliquamdiu affixa fuerit, fabrefactos; veluti egregie a spasmo & vertigine, si in digito annulari manus sive dextræ sive sinistræ gestentur, præservantes, forsan ratione particularum volatilium e ungulis acceptarum; magnam quippe effluviorum ejusmodi esse efficaciam, multis una exemplis, v. g. Tanaceti crispi, prout Lugduni Gallorum ad refocillandos defatigatos, item ad sudorem provocandum in usu esse solet &c. comprobatur. Aliorum effectuum naturalium, qui sympathetici plerumque audiunt, catalogus *in Obs. V* conficitur. *Obs. VI.* lapillos illos gypseos & aculeatos, quibus superficies piscis Rajæ, Pastinacæ Marinæ similiumque contegitur, commode lapillis cancrorum, utpote in Italia rarioribus, substitui posse e partium analogia conjicit. *Obs. VII.* plantas aliquas rariores, quarum proventum in montibus circa pagum *di Alano* inspectioni *di Quero* subjectum Autor observavit, variaque remedia empirica, hinc inde, præsertim adversus fascinationem usitata, enumerat. *Obs. IIX.* Aquam describit fumantem, quomodo ex Mercurii sublimati libris duodecim, ac stanni optimi unciis octo, destillando proliciatur; hancq; in lateribus vitri, in quo paulo ante oleum anisi asservatum fuerat, elegantes inopinato produxisse ramificationes reticulares, coloris sanguinei, ita tamen, ut nec perspicuitas nec fumandi etiam proclivitas ipsius aquæ remiserit, commemorat. Succinum in Italia produci, paucioribus est notum,

tum; nihilominus in *Obſ. IX.* loca Italiæ nonnulla denominantur, in quorum aliis flavum, in aliis autem nigrum colligatur ſuccinum. *Obſ. X.* in media Oſtrei teſta, reperta in Monte Mario, nidum quendam detegit inſectorum, non abſimilem nidis iis celluloſis, qui a muſcis certis vel apibus in arborum cavitatibus, nec non ſupra plantas ſolent efformari. *Obſ. XI.* animalcula quædam & in tubulis aliquibus teſtaceis, & in certis plantis reperta indigitat, e. g. ſingulas veſiculas Veſicariæ Marinæ præter aquam obtinuiſſe materiam quandam flavam, inſtar minutisſimorum ſeminũ Pentaphylli; quod libet vero ſemen microſcopio examinatum exiguam admodũ exhibuiſſe cochleam &c. *In Obſ. XII.* diverſa diverſis Quadrupedum morbis plantarum viribus feruntur auxilia. Virum quendam in Umbria poſt uxoris mortem mammis propriis anno 1633 lactaſſe infantem, hominum fide dignorum teſtimonio confirmatur in *Obſ. XIII.* Quænam curioſa rerum naturalium Muſæa hinc inde in Italia, præſertim Bononiæ, ſingulari cum voluptate conſpiciantur, in *Obſ. XIV.* videre eſt. *Obſ. XV.* Phoſphorum ſeu Lapidem Bononienſem, hujusque præparationem exhibet, Autoris methodo, ſi lapis per bihorium plus minus calcinandus prius maſſa quadam, e portione anatica Lapidis Bononienſis crudi atque Nitri pulveriſatorum, cum ſufficienti urinæ humanæ quantitate confecta, incruſtetur, concinne peragendam. Aſt curioſum ſatis eſt phænomenon, quod de urina humana communicatum Autori a Dn. D. Joh. Baptiſta Martelli ſubjungitur: hunc ſcilicet in arcani cujusdam remedii præparatione occupatum, poſtquam ab urina putrefacta ſal omne volatile, quod prima prodierat deſtillatione, aliquoties cohobarit, in octava cohobatione, cum vitrum ruptum ab igne removere, materiamque alii vaſi indere haberet neceſſe, notabilem ſatis Mercurii vivi quantitatem, uncias duas cum drachmis duabus æquantem obſervaſſe, Mercurio vulgari quoad pondus, colorem & fluiditatem non diſſimilem; eum nihilominus repetitis cohobationibus ſenſim iterum defeciſſe, donec in earum vigeſima Mercurii currentis penitus amiſerit formam, tandemque diutius protracto labore, pondo olei tartari per deliquium, colorem rubini, ſalis dulcis ſaporem, ac fragrantiſſimum violarum inſtar odorem acquiſiverit. *Obſ. XVI.* plura enumerat concreta terrea, ſingula abſorbendis acidis apta. *Obſ. XVII.* ſalutarem Antimonii adverſus Italorum quorundam

dam timiditatem vindicat uſum, magni cumprimis faciens Panacæam ex Antimonio crudo, Liquoris Nitri cum carbonibus fixati auxilio præparatam, ac a *Franc. Lana* in Prodromo ſuo p. 126. jamdum deſcriptam. *Obſ. XVIII.* Radicis Perfoliatæ Alpinæ latifoliæ minoris Bauhini, ab Autore in certo Corſicæ monte repertæ, mirabilem evolvit texturam, eamque inſtar multiplicium membranarum artificioſe invicem complicatarum rugoſam, cujus ſignaturæ quoque intuitu, Radicem nominatam herniis forſan mederi eo magis, quod alia Perfoliatæ ſpecies, Chabræo Leporis Auricula dicta, in earundem medela fructuoſe a quibusdam adhibeatur, conjicitur. *In Obſ. XIX.* ea annotantur, quæ aliorum experientia quoad Fontem Plinianum, fluviumque, Torbidone incolis ſalutatum, ſuggeſſit, v. g. Fontem Plinianum menſe Aprili anno 1680 una horæ quarta ad altitudinem trium digitorum accreviſſe, detumuiſſe vero ſeſqui horæ intervallo, hancque viciſſitudinem alternativam ordinarie ſingulis binis horis ſucceſſiſſe; obſervatam itidem tunc fuiſſe fontis intumeſcentiam trium digitorum non duabus diebus, uti vulgi ibidem ferret opinio, ſed paucis ſolum horis ante, quam imber defluxiſſet. *In Obſ. XX.* dum muſcæ æq; ac formicæ nonullæ Piſanæ, odorẽ moſchi ſpirantes delineantur, fragrantiã ejusmodi a ſubtiliſſimis ibidẽ ſtercorũ particulis ſulphureis, volatilibus animalculorũ prædictorũ ſali combinatis poſſe derivari aliquot oſtẽditur exemplis. *Obſ. XXI.* cauſas, cur plantæ nonnullæ omni anni tempore vireant, enucleat quatuor; primo videlicet abundantiam particularum oleoſarum, uti in Tanaceto, Agerato, Mentha Græca, Cupreſſo &c: deinde ſubſtantiam magis craſſam & viſcidam, v. g. in Sempervivo majori, Tithymalo Paraceſſ. &c: hinc fibrarum folia componentium implicatam admodum texturam, e. g. in Opuntia, Aloe Americana &c: cuticulam denique, a qua folia quædam inveſtiuntur, duriorem, v. g. in Lauro Alexandrina, Buxo, Helleboro nigro &c. *In Obſ. XXII.* de Inſectis, quæ foliis Myrti Tarentinæ inſidentia Romæ ab Autore anno 1678 fuerunt deprehenſa, eademque judicantur cum iis, quæ a *Ballonio* in Obſervationibus ſuis animadverſa leguntur, referuntur ſequentia: ſingula ſcilicet inſecta coloris gryſei, nudo oculo figuram exhibuiſſe convexam, inſtar cannabini ſeminis dimiati, microſcopio vero adhibito ſuperficiem oſtendiſſe,

quemadmodum millepedes, e multis squammulis coagmentatam; affricta hinc v. g. chartæ, hanc oppido colore purpureo satis splendido & grato infeciſſe, adeoque magnam præ ſe tuliſſe convenientiam cum ipſis Cochinillis, ceu quæ pariter juxta exactam eorum deſcriptionem, *a Dn. D. Paulo Ammanno in Manud. ad Materiam Medicam* traditam, inſecta ſint cimicibus ſimilia, ac foliis ficus Indicæ adhærentia. *In Obſ. XXIII.* rationibus de perenni plantarum quarundam viriditate paulo ante datis cogitata ſuperadduntur alia: v. g. tametſi folia multarum plantarum, quæ hyemis rigori reſiſtunt, quemadmodum Arum vulgare, Acetoſa, Beta, Branca Urſina, Braſſica &c. ſubtiliſſima cingantur membrana, hanc nihilominus, quia microſcopia ſimili gaudere textura demonſtrant cum cuticula humana, ſimilem quoque cum iſta præſtare uſum, i. e. defendere partes ſubjectas ab injuria externa. Quod vero plantæ nonnullæ ſolidioris etiam texturæ, mutationibus anni temporum ſint obnoxiæ, cauſa tam in Auſtri vehementiam, quam in humidum in iisdem plantis ad reſiſtendum inſufficiens rejicitur &c. *In Obſ. XXIV.* Exhalationum in nonnullis Italiæ locis e terra quadam ſulphurea emergentium prodigioſi recitantur effectus, quorum cauſa tamen doctioribus eruenda relinquitur. *In Obſ. XXV.* Salis Ammoniaci, poſt horribile Montis Ætnæ incendium, ſuper eructatas ſcorias ferrugineas anno 1669 ab Autore reperti, ac in *Diſquiſitionibus & Obſervationibus Phyſicis circa Corallium etc. Edit. Amſtelod. pag. 47.* jamjam deſcripti, novæ non ſolum exponuntur conditiones, ſed & ad quæſtionem a *Cl. Menzelio de Lapid. Bononienſ. Sect. 2. Cap. 4.* Autori propoſitam: An lapide quodam gypſario vel alterius fixioris naturæ fuerit permixtum? reſpondetur. Tandem in *Obſ. XXVI.* virtus Lapidis Bezoar Mineralis, qui in Sicilia colligitur, & ab Autore in Diſquiſitionibus modo allegatis valde quoque celebratur, denuo commonſtratur efficaciſſima, adeo, ut in virgine aliqua 19 annorum, febri epidemica laborante, aliisque, cæteris nequicquam juvantibus alexipharmacis, ſalubrem non minus ſudorem provocarit, ac cuticulam ab univerſo corpore ſummo cum emolumento ſe pararit; ſed qua ratione? ſimul expenditur.

LA

LA MORALE D' EPICURE, AVEC DES REflexions, &c.

ſive,

Moralia Epicuri cum annexis Animadverſionibus. Editio noviſſima, recognita, correcta & adaucta per Autorem Vitæ Epicuri.

Hagæ Comitum, apud Barent Beek, 1686, in 12.

Autor Vitæ Epicuri, quem præſens rubrica innuit, non alius eſt, quam Rondellus, prout jam patere poteſt ex iis, quæ proxime præterito *menſe Auguſto pag. 385. in actis hiſce* perhibuimus, dicentes eundem novam & auctiorem Vitæ modo dictæ editionem ſpondere. Stetit nimirum promiſſis, dum eodem hoc anno biographiam iſtam rurſus in lucem emiſit, pariter Hagæ Comitum inpreſſam; quæ utut paucis abſolvatur pagellis, pleraque tamen omnia per compendium exhibet, quæ apud Laertium aliosque tam antiquos quam recentiores ſcriptores hac de materia reperiuntur: inprimis dogmatum Epicuri ſumma capita indicare ſategit, inſimul demonſtrans, ex quo fonte perverſa iſta de Philoſopho hoc opinio, quæ vulgo percrebuit, primum fluxerit, & quomodo Stoici, quorum elatum ſupercilium Epicurus contemnere conſueverat, hanc ipſi maculam adſpergere haud fuerint veriti. At non acquievit in hac promiſſi ſui impletione Rondellus; ſed & præſentis libelli, (cujus autor eſt *Dn. des Coutures*) editioni expoliendæ manum admovit, cum affinis eſſet argumenti: de cujus methodo ac contentis jam a nobis pauca erunt pro inſtituti ratione dicenda. Ac in præmiſſa quidem præfatione proliuscula Autor occupatus eſt in encomio Epicuri formando, docens, quomodo is honor & admiratio ſui quondam ſeculi fuerit, ac invidas malevolorum criminationes integritate vitæ diluere fuerit ſolitus, laudemque adeo meritus multorum celebrium virorum, Ciceronis puta, Auguſtini, Hieronymi, quin & Senecæ, Stoicæ licet ſectæ addicti: id quod adeo permoviſſe narrat Joh. Gerſonem, Pariſienſis

sienſis quondam Univerſitatis Cancellarium, ut duos ſibi fingeret Epicuros; cum perſuadere ſibi non poſſet, unum eundemque hominem fuiſſe, cujus vita tot paſſim conviciis proſcindi, quique rurſus a Seneca aliisque tantis excipi encomiis meruerit. Fatetur quidem Autor, eum falſam quodammodo de Deo ideam dediſſe: ſed nec alios Philoſophos plerosque hac in parte minus erraſſe monet, cum v. g. Ariſtoteles mundum Deo coæternum ſtatuerit, Plato ſolem & aſtra pro diis habuerit, Stoici Deum fato ſubjecerint. Nec hos ergo, nec phyſicos Epicuri errores, morum ejus integritati præjudicium facere debere, ſed nihilo ſecius moralem ejus doctrinam utique cognitu dignam eſſe concludit. Ad quam porro antequam ſe accingat, præmittit expoſitionem tituli *Sapientis*, cum ejus deinde nuſquam non mentio eſſet facienda, docetque quemnam ſub hoc nomine diverſarum Philoſophiæ ſectarum aſſeclæ voluerint intellectum. Pergit hinc ad moralia ipſa exponenda, quæ quidem univerſa ex Diogene Laertio excerpta ſunt, cujus tamen verba, quandoque nimis ſuccincta, plerumque per commodam paraphraſin clariora reddere ſtuduit. Idem etiam fere ordo obſervatus eſt, quo in Laertio iſta proponuntur; ut nimirum primo loco ſtent axiomata potiora, ſeu regulæ in morali Epicuri doctrina eminentes: ſequatur epiſtola ejusdem ad Menecæum, per compendium exhibens ea, quæ ad felicitatem vitæ facere poſſe credidit: hinc ponantur opiniones quædam a Philoſopho hoc ejusque ſectatoribus defenſæ, ac tandem agmen claudant ſententiæ ratæ, quas vocant, tales nempe, quas pro certis maxime habuit idem Epicurus. Univerſa vero hæc uti particulatim & per diſtincta axiomata ac regulas proponuntur, ita ſingulis iſtis ſegmentis animadverſiones ſeu conſiderationes ab Autore ſubjiciuntur, in quibus per exempla ex hiſtoriis petita, & rationes ex meliori Philoſophia deſumtas, ampliorem iis lucem affundere occupatus eſt, quæ ſtylo breviſſimo Laertius ſolum conſignata reliquit. Cæterum, uti dictum, ea tantum ex ſcriptore hoc delibavit autor noſter, quæ moralem concernere doctrinam viſa ſunt: non item phyſica aliaque Philoſophi hujus etiam dogmata, uti in incomparabili ſuo ad decimum Laertii librum commentario fecit celeberrimus Gaſſendus. Subjungitur denique in fine, Vitæ Epicuri, prout eam ſæpe dictus Dio-

Diogenes Laertius deſcripſit, in Gallicam linguam ab Autore facta translatio.

EXERCITATIO AD NICOLAI CHWALkovii Jus Publicum Regni Poloniæ.

Dantiſci, anno 1685, in 4.

EDidit anno 1676 Nic. Chwalkovius, Eques Polonus, Conſiliarius & in aula Regis Poloniæ Reſidens Curonicus, librum de Jure Publico Poloniæ, Regiomonti impreſſum; quem cum non ita pridem denuo in eruditi orbis conſpectum prodire juſſiſſet, auctiorem quadantenus & auguſtiori jam forma conſpicuum, anſam dedit ſcripti præſentis Autori anonymo accuratius in ejus contenta inquirendi, mendaque ſic inibi deprehenſa, tum ex prima editione reſidua, tum noviter illapſa detegendi. Fatendum vero utique eſt exercitationem hanc perlegenti, ejus concinnatorem rigidi ſatis cenſoris munere defunctum eſſe, dum non ea ſolum perſtrinxit, quæ in hiſtoriæ veritatem ſtatusve regni notitiam impingere viſa ſunt; ſed & in aliis, quæ non ſatis ipſi ad palatum fuere, annotandis & corrigendis multa uſus eſt libertate, in tantum ut nec typi fere ſphalmata condonet, & quandoque ſuper nomine ſcriptoris, ex quo hauſiſſe quid Chwalkovium hinc inde conjecit, non allegato, magnas ſatis turbas moveat. Sic mox ab initio plurimum conqueritur de imperfectione Catalogi Scriptorum rerum Polonarum, quem modo dictus Autor operi ſuo adjecit; expoſtulans, quod cum unum alterumve tale quid vix meritum in eo numero recenſuerit, multo plures tamen memoratu, ut credit, digniores ibi nominare omiſerit; Stephanum puta Damalevicium Vartam de Vitis Epiſcoporum Vladislavienſium & Archiepiſcoporum Gneſnenſium, Franciſcum Marinium (ſeu, quem ſub hac nominis larva latuiſſe ait, Secretarium Thorunenſem Joannem Sachſium) de ſcopo Reipubl. Polonicæ, Hoſium item, Reſcium, Cichotium, Lochovium, Gorecium, Sienenium, Firlejum, Lubomirſcium, Kuſzevicium, Mlodzianovium, Pruſzczium, Gliznerum, Twardovium, Kunicium, Liſiecium, Nixdorffium, Paprocium, alios-

aliosque. Cæterum non pigebit exempli loco unum alterumve caput historiæ ac juris publici Poloniæ indicasse, in quibus Chwalcovium erroris aut negligentiæ coarguere annisus est Autor. Sic *pag. 22.* corrigit illum asserentem, jjussisse Casimirum M. ut omnibus regni incolis idem jus esset imposterum; idque ad solos Nobiles restringendum esse inde colligit, quod civici ordinis hominibus idem Rex usum Juris Magdeburgici ipse confirmaverit, & ad illud melius exercendum Tribunal Juris Magdeburgici Cracoviæ erexerit, ne, ut antea, cogerentur incolæ regni ad Scabinos Magdeburgenses provocare. *Pag. 25.* negat, quod tamen Chwalcovius asseruerat, Sigismundum Augustum semet titulo heredis per Constitutionem anno 1564 abdicasse, probatque eundem illo postea quoque usum esse, legemque illam post fata demum Sigismundi Augusti latam, heredis titulo Reges ne utantur. *Pag. 26.* evincit, Vladislaum Jagellonidem non Posnaniæ juxta Chwalcovium, sed Cracoviæ fuisse coronatum. *Pag. 27.* negat anno 1540, ut ille voluerat, cautionem Sigismundi Augusti factam esse, qua sancitum, ut rex neque conjugium absque Senatu, neque divortium absque justis causis quæ-rat: id enim cavere adactum fuisse regem anno demum 1548, cum invito & reclamante Senatu Radziviliam sibi matrimonio junxisset. *Pag. 43.* culpat, quod Chwalcovius præcisum catalogum nunciorum terrestrium pro quibuslibet Palatinatibus ac terris exhibere sustinuerit, cum tamen eorum numerus nulla constitutione reperiatur definitus, sed subinde variare soleat. *Pag. 68.* eundem reprehendit, quod Prussiam Regiam a Pomerellia distinguere fuerit ausus, cum tamen terræ hæ æterno nexu sint conjunctæ. Atque hæc quidem specimnis loco adduxisse sufficiat. Quod reliquum est, protestatur Autor in fine operis, hæc a se neutiquam scripta esse eo fine, ut Chwalcovii librum lectoris manibus excuteret, sed potius ut eundem ad ejus perlectionem validius impelleret, utpote quem sua neutiquam utilitate destitui, ultro largitur.

GEOR-

GEORGII ASH, SOCIETATIS DUBLINENSIS Secretarii Epistola, scripta Dublino d. 10 Octob. 1685 ad unum e Secretariis Societatis Regiæ, de puella quadam Hibernica, e cujus corpore varia excrevere cornua.

Translata ex Transact. Philos. Angl. M. Nov. 1685. n. 176. pag. 1202.

RElatio, quam hic de puella cornigera transmitto, imperfectior multo est, ac eandem fore speraveram; partim quod hujus parentes aut cognati, qui de initio ac occasione germinationis istorum cornuum quadantenus informare nos potuissent, ad manus haud forent: partim quod hujus monstri possessor persuaderi haud valuerit, ut delineationem ejus nobis permitteret, quam vobis alias destinaveramus.

Puellæ nomen est *Annæ Jackson*, natæ in civitate *VVaterfordiæ* parentibus Anglis, quorum uterque sanus ac valens fuisse narratur. Symptoma istud non exseruit se, antequam trium circiter annorum esset, quibus elapsis mater ejus celare ipsam præ pudore, ac clam educare studuit: verum hac brevi mortua, ac patre in extremam paupertatem delapso, infantis alendæ onus ad Parochiam devolutum est. Vivit jam inter 13 & 14 ætatis annum, at vix dum ambulare potest, estque statura adeo pusilla, ut infantes quinque annorum proceriores viderim. Stupidi est ingenii, nec nisi parum loquitur, idque non distincte satis, sed festinanter & cum difficultate nonnulla, voce submissa & aspera. Temperamento atque vultu satis bono est, oculis exceptis, quibus omnis nitor vividus abest, obductis, ut apparet, membrana aut cornu quodam succrescente, in tantum ut jam vix colores ipsa distinguere valeat.

Cornua majore copia erumpunt præcipue circa commissuras atque flexuras, nec adeo in torosis aut carnosis corporis partibus. Cuti annectuntur fere ut verrucæ, quibus etiam circa radicem non multum absimiles in substantia sunt, quamvis versus extremitatem duriorem & magis corneam induant formam. E summitate singulorum,

tam in manibus, quam pedibus, digitorum cornu tale extat digitum longitudine adæquans, non directe tamen antrorsum, sed in medio inter unguem & carnem sursum paulisper vergens : (prope radicem enim harum excrescentiarum unguis instar est ;) ac rursus recurvum velut ungula gallopavi, cui & colore multum accedit. In reliquis utriusque generis digitorum articulis minoris formæ cornua extant, decidentia quandoque, aliis in eorum locum succrescentibus. Universa cutis in pedibus, cruribus atque brachiis perquam dura est & callosa, ac indies magis magisq; talis evadit. In genibus quidem, cubitis & juncturis circumquaque varia enascuntur cornua, duo tamen notabiliora fere extant in apice utriusque cubiti, intorta similiter cornibus arietinis, idque quod in sinistro brachio est, plusquam dimidii pollicis latitudinem, quatuor vero pollicum longitudinem habet. In natibus puellæ magnus eorundem numerus excrevit, quæ ipsa ob frequentem sessionem planam nactæ sunt figuram. In ejus axillis mammarumque papillis germina nonnulla exigua substantiæ durioris erumpunt, tenuiora ac albidiora, quam reliqua illa apparent. Prope utramque etiam aurem extat cornu. Cutis in collo nuper cœpit fieri callosa & cornea, perinde ac illa, quæ in manibus ac pedibus est. Cæterum edit ipsa bibitque strenue, belle quoque dormit, nec aliis naturæ officiis secus defungitur, ac sanus quilibet: evacuationibus tamen ejus sexui propriis hactenus destituitur. Atque hæc sunt de puella hac specialia, quotquot potuimus conquirere, &c.

STEPHANI MORINI S. T. D. &c. DISSERTATIO de Horis salvificæ Passionis Jesu Christi Domini nostri.

Lugd. Bat. typis Joh. Lindani, 1686, in 8.

PRæmissis locis, quibus Evangelistæ certum temporis articulum in historia passionis Christi notarunt: in plerisque circumstantiis constantem verborum concordiam laudat Auctor. Mox *Lucam* & *Marcum* discordes, quin ipsummet *Marcum* a se ipso dissidentem, *Johannem* vero ab omnibus alicubi dissentientem sistit. Dehinc ab ovo

ovo repetere instituit varia tentamina, quibus lites has componere enixi sunt veteres non minus ac recentiores Scripturæ Interpretes, ab *Hieronymo* exorsus, ad *Theophylactum*, *Petrum Alexandrinum*, atque *Augustinum* progressus. Hisce subjungit *Lyram*, eique assentientem *Bezam*, faventem *Baronium*, succenturiantem *Maldonatum*, & suppetias ferentem *Grotium*. Deinceps *Heinsium* alia machinantem memorat. *Casaubonum* denique cespitantem addit. In singulis quid desideret, non præterit. Inprimis vero fundamenta vulgatissimæ sententiæ, quæ diem in quatuor quadrantes a Judæis fuisse divisum, eosque horarum nomine appellatos, urget, omni conatu, nec infeliciter diruit. Varias igitur diei divisiones ab ipsius temporis exordio cum cura repetit. Et primum quidem, post noctis & diei discrimen, diem distinctum in duas partes monet, mane & vesperam; quibus postea accesserit tertia, meridies, solenni Hebræorum, Græcorum, & Romanorum consensu. Similem noctis divisionem in tres vigilias, Hebræis & Græcis haud ignotam, ac a militari usu derivatam recenset. Quadripartitum vero diei & noctis multo recentiorem & minus constantem ordinem, ad militarem Romanorum consuetudinem unice refert. Judæis hunc usum denegat. Sed nec quadrantes illos, etiamsi Judæis darentur, horarum nomine insignitos fuisse fusius ostendit. Quapropter ad minutiorem in horas partitionem descendit. Et Israelitis quidem antiquis ne nomen quidem horæ innotuisse inculcat. Quamobrem vocis שעה, a Daniele primum usurpatæ, vim ac genuinam significationem exponit, ac רגע]ש vel momento respondere, ex *Onkelosio* & *Jonathane* Syriacaque versione confirmat. Quanquam postea ad horam designandam fuisse adhibitam non neget. Nec feliciores Chaldæos atque Arabes prædicat, quibus pariter vox peculiaris desit, qua horam exprimant. An Ægyptii jam olim horas agnoverint autore Mercurio, explorat, sed & pernegat. Septentrionales gentes nullam earum habuisse notitiam, *Busbequii* & *Cluverii* testimoniis corroborat. Ex quibus concludit, antiquos Judæos a nullis gentibus horarum usum accepisse, cum omnes eum ignoraverint. Recentius igitur esse inventum, Romanis præcipue acceptum ferendum, & ad primum bellum Punicum transmittendum, it assertum. Græcis tamen initia deberi non diffitetur. Ceterum horas istas recentiores, duodecimam partem definientes,

mox ad excubias & vigilias cognominandas a Romanis simul fuisse traductas, ut hora trihorium quoque notaverit, indeque duplicem hunc nominis usum in Judæam transiisse, non admittit, cum nullo id nitatur testimonio: præterquam quod duplex illa denominatio, qua hora duodecimam, dein & quartam diei partem notet, maximam in Republica peperisset confusionem. Proinde veram horæ significationem ex Græcia repetit. Ubi ὥρα generatim tempus, mox idem opportunum denotet, indeque ad quatuor anni tempestates signandas transferatur. Missо, quod ὥρα totum quoque annum comprehendat. Unde ὡρόγραφοι annalium Scriptores dicti. Speciatim vero ad divisionem diei in duodecim horas descendens, totum cum annexa nocte diem in duodecim olim horas fuisse distinctum, & quamlibet harum duas nostrarum comprehendisse docet: ab aliis autem duplices illas horas fuisse divisas, ut 24 diei assignarentur, quarum duodecim diurnæ & totidem nocturnæ quavis anni tempestate numerarentur. Et inæquales primum, hybernas breviores, æstivas longiores extitisse conjicit. Quæ inæqualitas mox sit correcta, & ad constantem æqualitatem reducta, horologiorum & gnomonum umbratilium opera. Quorum originem & usum, ut & clepsydrarum & arenariorum horologiorum scrutatur, ac nullam ea ex se cum horis habere affinitatem, vel si quam habeant, post inventas horas contraxisse, supponit.

Postquam igitur ex historia longa serie diduxerat, quadrantes diei, eosdemque ab horis primis vel postremis appellatos, omnibus gentibus fuisse incognitos: objectiones etiam, ex historia sacra petitas, diluit. Et huic tandem sententiæ merito acquiescit: Post horas a Græcis constitutas, Romanos Judææ dominos eas admisisse, atque in Judæam & per totum suum imperium deduxisse. Collapso igitur vulgaris conciliationis, in trihorio quadrantis sitæ, fundamento, ipse Autor aliam dissidia Evangelistarum componendi viam subindicat: ex diverso, puta, horas numerandi initio, propter diversum diei principium, quod alii a vespera, ut Athenienses, inchoaverint, alii, ut Romani & Ægyptii, a media nocte, alii, ut Babylonii, a solis exortu, alii, ut Umbri, a meridie. Sed & hunc modum repudiat. Sibi itaque relicto rem omnem definiendi loco, Passionis historiam in 4 distin-

distinguit partes, ut prima initum a Pontificibus concilium comprehendat. 2. Accusationes a concilio illo & comitante turba in Christum intentatas, sententiam Pilati, & contumelias a satellitibus illatas. 3. Crucifixionem ipsam, & comites tenebras. 4. Mortem & passionum tenebrarumque exitum. Dehinc Evangelistarum in singulis consensum parat. De concilio Pontificum nullum dubium, cum summo mane coactum dicant omnes. Accusatum vero & damnatum hora tertia sive nostra nona, juxta Marcum, qui magna diligentia judicium & sententiæ horam descripserit. Quippe cum in historia ad executionem transeundum foret, interrupta subito narrationis serie obiter inseruerit: *Erat autem hora tertia*, cum scilicet juridicus hic processus peragi cœpit, continuatus per quartam & quintam. Mox interruptum narrationis filum iterum pertexuerit his verbis: *Et crucifixerunt eum &c.* Tandemque totam crucifixionis historiam clauserit: *Et facta hora sexta, tenebræ ortæ.* &c. Atque in subsidium vocat Autor testes, Romanos judicia sua hora tertia instituisse. Crucifixioni horam sextam assignat, Lucæ testimonio fretus, qui dicit, hora ὡσεὶ ἕκτη tenebras ingruisse, h. e. hora sexta completa. Posthæc apicem rei attingit, & objectionem ex Johanne format, qui circiter horam sextam Christum coram Pilato adhuc comparuisse, nondum lata sententia, aperte asserit. Solutionem quærit in vocula ὡσεὶ, qua utitur Johannes, quæ ab utroque latere non exiguam latitudinem & horam integram possit complecti. Ut sensus sit, *cum immineret sexta*, vel, *cum quinta paulo post esset in sextam desitura.* Quod autem nimis angustum temporis spatium unius vix horæ videatur relinqui innumeris injuriis, quibus post dictam sententiam Christus fuit expositus, longo itineri a prætorio ad Golgatha, alisque actionibus & remoris; in præcipitem furoris aliquamdiu retenti impetum transfert. Quin etiam potuisse Christum crucifixum videri, simulatque crux molestissima humeris ejus est affixa. Expirasse Christum hora nona, unanimi Evangelistarum consensu adstruit, cum tenebræ operuissent terram a sexta ad nonam. Et illam quidem mortis horam illustrare studet typo agni Paschalis, qui inter duas vesperas fuit mactandus. Duas autem vesperas totum pomeridianum tempus complecti, nonnullis testimoniis confirmare annititur. Postremo decus aliquod suæ conci-

liationi quærit ex epistola Ignatio adscripta, & titulis Syriaco Matthæi textui adjectis, ut & canonibus quibusdam Apostolicis, quos ab antiquitate robur aliquod habere persuasus est.

Atque hæc de libelli argumento dixisse sufficiat. Cæterum non possumus ea occasione dissimulare, perveniisse ad manus nostras non ita pridem doctissimi cujusdam Viri schediasma, quo comprobare is aggressus erat, non posse difficultatem omnem rectius & expeditius tolli, quam si dicatur, *Marcum* Judæorum, qui a solis ortu horas diurnas numerabant, *Johannem* vero Romanorum, qui a media nocte horas computabant, calculum secutos; eandemque horam fuisse, quæ *Marco* secundum Judaicum stylum tertia, *Johanni* secundum Romanum sexta appelletur. Quæ sententia (aliis quidem jam ante notata, sed non probata) uti plausibilis est, ita non dubitamus fore, ut justo studio exculta publicæ luci peculiari commentatione ab Auctore suo propediem exponatur.

OCCULTATIO JOVIS A LUna, observata d. 31 Martii vesperian. 1686, Grenovici, Noribergæ, & Lipsiæ.

PHænomeni hujus, rarissime hactenus ab astrorum peritis annotati, observationes a Clarissimis Viris *Joanne Flamsteedio* Grenovici, & *Joh. Jacobo Zimmermanno* Noribergæ habitas; illam ex literis Autoris, hanc ex typis Noribergæ sumptibus Joh. A. Enteri impresso schediasmate, una cum Lipsiensi *Kirchii* nostri, annectere hic visum fuit: ut Astrophili, quibus ejusmodi spectacula cœlestia curæ sunt, rem gratam faceremus, eosque simul invitaremus ad publicanda, quæ circa historiam hujus phænomeni rei astronomicæ promovendæ futura comperient.

OB-

OBSERVATIO GRENOVICENSIS.

Tempore Horologii oscillatorii ex altitudinibus stellarum correcto.

H. / . //		Partes. microm.	/ . //
9. 32. 30	Jovis limbus tangebat lunæ limbum Maræotidis diametrum a termino ejus boreo.		
9. 33. 42	Jupiter totus tectus erat, quantum per vapores horizontis, & undulationem limbi valde turbidam licuit conjicere.		
10. 11. 12	Differentia declinationum limbi lunæ Austrini & loci ingressus, Tubo ped. 8	1546	12. 42
10. 30. 30	Jovis particula emersera e regione Borealis limbi Moeotidis.		
10. 31. 36	Jupiter totus jam liber.		
10. 35, 50.	Differentia declinationum centri Jovis & limbi Lunæ Austrini - -	3436	28. 15
10. 41. 40	Eadem differentia repetita - - -	3585	29. 28
10. 44. 0	Lunæ Diameter - -	3906	32. 7
10. 45. 44	Eadem repetita - -	3915	32. 11

Immersio Jovis & egressus Tubo 16 pedum observati sunt, declinationum autem differentiæ & lunæ diameter pedum 8, & micrometro proprio.

OBSERVATIO NORIBERGICA.

Ex hac solas B. Lectori exhibemus Tabulas, ipsius Observationis historiam, cum aliis huc spectantibus, ex memorato supra schediasmate facile petituro.

Tabula

Tabula A. Exhibens ea quæ ex Tabulis & Ephemeridibus ſupponuntur.

Autores	Siderum nomina	Longitudo	Latitudo	Aſcenſio recta	Elongatio à ☉e	Tempus à meridie
		○ /	○ /	○ /	○ /	Hor. / //
Ricciolus.	Jub. Col. ♌	25. 6. ♌	8. 45. Bor.	150. 36.	131. 10.	8. 43. 19.
Kirchius.	Saturnus	25. 15. ♍	2. 31. Bor.	176. 38.	157. 12.	10. 27. 8.
Ricciolus.	Altera ſeq. in hume. ♍	5. 46. ♎	2. 49½ Bor.	187. 37.	167. 43.	11. 10. 52.
Kirchius.	Sol.	21. 3. ♈		19. 26.	0. 0	0. 0. 0.

Tabula B. Vibrationes Oſcillatorii Singulis Φαινομένων interſtitiis temporariis reſpondentes ac debitas continens.

Inter bina Φαινόμενα.	Vibrationes	tempora debita	Inter bina Φαινόμενα.	Vibrationes	tempora debita
	Sexag. vibr. 2æ. iæ. o.	hor. / //		Sexag. vibr. 2æ. iæ. o.	hor. / //
A juba culmin. ad ortum ſuperioris ☽ phaſeos.	0. 26. 15.	0. 27. 2	A ♄no culminante ad culmin. prædictæ ✱ in ♍.	---	0. 43. 44
Ab ortu ſuperioris ☽ phaſeos ad ortum limbi inferioris.	0. 4. 8	0. 4. 15.	A fixa hac ad integram ♑ emerſionem.	0. 11. 38.	0. 11. 58 ſ.
Ab hinc ad ortum ♑	0. 2. 33.	0. 2. 37 ſ.	Ab emerſione totali ♑ ad emerſ. medii ſatellit.	0. 2. 48	0. 2. 53.
Ab ortu ♑ ad contactum ☽æ.	1. 0. 54	1. 2. 42.	Ab emerſione medii ad emerſionem tertii viſorum.	0. 5. 13.	0. 5. 22.
Ab contactu ad totalem immerſ.	0. 0. 50.	0. 0. 51. ſ.			
A totali ♑ immerſione ad ♄num culminantem.	0. 6. 10.	0. 6. 21.			

Tabula

Tabula C. referens tempora omnium apparentiarum debita, & ab antecedente meridie numerata.

Apparentiæ ſingulæ.	Hor. / //	Apparentiæ ſingulæ.	Hor. / //
Juba colli ♌ culminat	8. 43. 19	Saturnus culminat ---	10. 27. 8
Superior ☽æ phaſis oritur.	9. 10. 21	altera ſequens in humero ♍	
☽a tota oritur. - -	9. 14. 36	culminat.	11. 10. 52
Jupiter oritur. - -	9. 17. 13	Jupiter totus iterũ emergit.	11. 22. 51
Jupiter ſtringit limbum ☽lucidum.	10. 19. 56	Medius Satell. triũ emergit.	11. 25. 43 ſ.
Jupiter totus occultatur.	10. 20. 47	Tertius eorum emergit.	11. 31. 6

Tabula D. determinans ea, quæ moras, initia ac fines occultationis ſpectant.

	Hor. / //		Hor. / //
Initium occultationis ♑	10. 19. 56	Finis totius occultationis.	11. 22. 51
Initium omnimodæ occultationis.	10. 20. 47	Mora omnimodæ occultationis.	1. 1. 12
Mediũ temp. occultationis.	10. 51. 23	Duratio ab initio ad finem.	1. 2. 55
Initiũ emerſionis æſtimatũ.	11. 21. 59	Diameter ♑is reſpondens	0. 0. 51. ſ.

Cæterum cum eodem loco occultationis hujus a Domino *VVurzelbauero*, rerum aſtronomicarum ſcrutatore percurioſo, inſtituta obſervatio a Domino *Zimmermanno* recenſeatur, & cum propria ſua comparetur, ſeriem ejus & momenta, prout a Clariſſimo Editore typis prodita ſunt, ſubnectere vel maxime congruum duximus. Ea ergo nunc ſequuntur.

Tempora Horologii Oscillatorii.			Altitudines Solis.		Tempora ex Altitudinibus ☉ supputata, demtâ ubi opus erat refractione, & suppositis Elev. Æquatoris Noribergæ 40° 30′. & loco ☉ ex observatione Meridiana. 21° 5′ ♈.	Tempora ex Altitudinibus ☉ supputata, demtâ ubi opus erat refractione, & suppositis Elev. Æquatoris Noribergæ 40° 30′. & loco ☉ ex observatione Meridiana. 21° 5′ ♈.		
Hor.	Min.	Sec.	°	′		Hor.	Min.	Sec.
4.	8.	30.	24.	10.	Quod in his & sequentibus observatis minutiorum secundorum singulorum rationem nō habuerim, est, quod fere solus observationi præfuerim, adeoque nulla non subinde morula interceserit.	4.	8.	40.
	11.	0.	23.	49.			10.	50.
	12.	30.	23.	29.			12.	58.
	19.	40.	22	22.			20.	12.
	24.	0.	21.	43.			24.	18.
	30.	0.	20.	45.			30.	24.
	45.	0.	18.	25.			45.	1.
5.	6.	0.	15.	2.		5.	6.	3.
	41.	30.	9.	19.			42.	0.
	46.	30.	8.	35.			46.	30.
6.	35.	0.	-	-	Sol post ædificia mihi occubuit.			
	45.	0.	-	-	Signum occasus ☉ horologiis publicis dabatur.			

8. 33. 0. culminat Cor. Leonis. Altitud. ejus meridiana 54° 4′ 35″.
9. 14. 0. Lunæ limbus superior oritur.
18. 0. Luna orta. Observabatur tubo 9 pedum duabus convexis lentibus armato.
21. 0. Jupiter oritur.
47. 0. Jupiter tanto intervallo a Macula Pal. Maræot. quanto hæc a Monte Sinai distat.
15. 0. ♈ distat a limbo Lunæ, quantum limbus ab Ætna.

Hor.

Hor.	Min.	Sec.	
10.	6.	30.	♈ distat a limbo ad longitudinem Insulæ Cercinnæ.
	14.	0.	--- distat, quantum loca Paludosa Cercinnæ ab Ætna.
	19.	0.	--- distat ♈ fere sesquidiametro sua.
	20.	50.	Jupiter appellit e regione locorum paludosorum Insulæ Cercinnæ.
	22.	0.	fere medius tegitur. Nulla macula lunaris cum disco
	22.	30.	totus tegitur Jovis magis comparari poterat,
11.	19.	40.	Jupiter emergere incipit. quam Insula Besbicus.
	21.	20.	---emersit in obscura ☽ parte ad dextram Pal. Mæotidis, inverso situ.
	37.	0.	---distat a Lucido limbo ☽æ, quantum Ætna ab Insula Rhodo.
	40.	0.	Altitudo Procyonis versus occasum 8. gr. 37. min.

Die sequenti, primo videlicet Aprilis, horologium oscillatorium, ut & vibratorium portatile, ab appulsu Solis hesterno ad hodiernum usque, non nisi unico minuto primo citius justo rediisse, simulque altitudinem Solis meridianam reperi 49. gr. 6. m. 20. sec.

Quæ porro ibidem de apparenti Solis Diametro ex mora ejus in occasu vel ortu deducenda, Terræque globo in longum & latum facili methodo dimetienda adjecta sunt, angustia spatii commemorare nos hic prohibet; nominanda vero B. L. fuere, ut episagmata aut corollaria hæc non inerudita ex ipso textu petere nobis indicibus possit.

Observatio Lipsiensis.

H. ′ ″	
10. 29. 16.	Jupiter 36 partibus micrometri h. e. 6′. 12″. distat tam a monte Porphyrite quam Palude Maræotide.
10. 30. 33.	Jovis Limbus Lunam contingit.
10. 31. 4	Jovis centrum Lunam subit.
10. 31. 35	Jupiter totus tectus.
11. 35. 0	- - - extra Lunam.

H. I. II	
11. 26. 50.	Jupiter 18 partibus micrometri, sive $\frac{1}{3}$. $\frac{6}{8}$ distabat a termino boreo Paludis Mæotidis.
0. 53. 25	Mora centri Jovis.
0. 54. 27	Duratio totius Eclipsis.
10. 57. 46	Tempus mediæ occultationis.

EXCERPTA BINA RHETORICARUM Accessionum, quorum priori enthymematica, posteriori affectuosæ inventionis doctrina Aristotelica ordinata, & triplo amplius aucta exhibetur: per Vincentium Placcium, Hamburg. J.U.L. Phil. Pr. & Eloq. PP.

Hamburgi, sumptibus Auctoris, 1686, in 8.

DOctrinam Rhetorum de argumentorum inventione majori perfectioni redditurus Cl. Autor, quatuor initio Excerpti primi recludit ac demonstrat Oratoriæ inventionis fontes: Experientiam, Scientiam, Excerpta, & Locos Dialecticos. Haud dissimilem ad modum præter Dialecticorum locos, quatuor Inventionis organa: Excerpendi, ambigua distinguendi, differentias rerum indagandi, & similitudines contemplandi solertia, Disputatori futuro commendantur I. Top. XIII. & seqq. ab Aristotele. Hinc locorum, ut & titulorum, maximarum, ac quæstionum distincta facit genera, communia (tum Rhetori & Logico, tum generibus causarum singulis) a propriis discernens, adducto insuper titulorum incremento, & maximarum in hoc libello expressarum ordine.

In speciali Excerpti hujus parte ad thematum singulorum genera descendit: ad quæstionem videlicet de accidente absoluto, de accidente comparato, de possibili facto & futuro, de bono & utili, de meliore & utiliore, de malo & pernicioso, de deteriore & pernicioſiore, de honesto, de honestiore, de turpi, de turpiore, de jucundo, de jucundiore, de molesto, de molestiori; regularumve inductione monstrat

monstrat, quem usum quæstioni unicuique probandæ præstent, quamque maximarum copiam effundant LOCI 1. transcendentes duo, ex probabilitatis natura, atque persuasionis derivati: 2. Notionales septem, generis, speciei, universalitatis, particularitatis, accidentis, proprii & definitionis: 3. Reales viginti, Locus videlicet existentiæ, quantitatis, qualitatis, actionis, passionis, correlatorum, totius, partis (quo compositionis quoque locum ac divisionis retulit) perfecti & imperfecti, causæ & causati, antecedentium, consequentium, & concomitantium, signi & signati, subjecti & adjuncti, relationis ad hominem ejusque partes corpus & animam, ejusdem & diversi, parium, majoris & minoris, similium & dissimilium, oppositorum: 4. denique Verbales quatuor, conjugatorum, etymologiæ, homonymiæ, & synonymiæ. Postremo titulo de maximarum usu ad inventionem potissimum oratoriam rite instituendam differt, objectionibus quæ diversum suadere videbantur solutis, enumeratisque autoribus, cum veteribus tum recentioribus, qui hoc in argumento laborarunt. Selectum in istis adhibendum suasurus: *Non semper æque*, ait, *opus esse hasce maximas percurrere, quin imo fieri posse, ut iis recte careamus, scientia & experientia collectaneisque circa materiam præsentem ita instructi, ut jam copia laboremus, non inopia enthymematum*; & rursus: *maximas singulas ita urgere velle, ut argumentum præbeant singulæ, id nunquam non erit inconsultum.* Lucis interim non parum, Stagiritæ certe regulis conciliant, quæ de locorum combinatione sive compositione, unde maximæ pluribus e locis compositæ resultant, & de transitu ex uno loco ad alia paragrapho hujus tituli octavo atque nono subjiciuntur.

In Excerptorum altero, quod Affectuosam probationem oratori familiarem tractat, sic progreditur, ut in principio naturam istius, species, attributa, & inventionem generatim ponat ob oculos. Deinde παθήματος cujusque naturam tradit, succincta definitione expressam; porro usum affectus oratorium, nonnunquam & moralem; denique affectus cujusque tum movendi tum evellendi, excitandi pariter ac sedandi media, prout variæ rerum partim, partim & personarum concurrentium conditiones oratori ista suggerunt. Illa enim sunt quæ præstantur ab Autore, evolutis affectuum speciebus singulis;

quarum quidem numerus excrevit nunc ad semicenturiam. Cum inter cæteros enim Schraderus *in Aristotelis Rhetoricæ Commentario l. 2. c. 1. Observ. 9.* plures & affectuum species, & de singulis propositiones in Philosopho desiderari advertisset, hoc excerpti genere non illustrandâ modo doctrinâ Aristotelis, sed accessionibus etiam suis, ad Aristotelis imitationem efformatis, explendum quodam modo desiderium illud Autor statuit. Sunt vero affectuum, dictum in modum hic evolutorum nomina: Attentio, admiratio, incuria, distractio, æstimatio, contemtus, irresolutio, amor, odium, dignatio, horror, philautia, odium sui, benevolentia, malevolentia, veneratio, detestatio, obedientia, inobedientia, lætitia, tristitia, acquiescentia, elatio animi, pœnitentia, depressio animi, gloria, pudor, favor, indignatio, invidia, Νεμεσησεναικία, misericordia, securitas, consolatio, tædium, luctus, desiderium, zelus, fuga, aversatio, cura, studium, angor, metus, spes, confidentia, desperatio, æmulatio, gratia, & ira. In calce opusculi subjungitur, clarissimorum, quos recitat, virorum exemplo, librorum hactenus abs Autore editorum, edendorumve impositorum, Juridicorum, Philosophicorum, Historicorum, ac Philologicorum, nec non alienorum scriptorum Syllabus, eo fine maxime, ut tanto uberior facultas Autoris propositum promovendi detur, quibus id facere libuerit.

D. PAPINI EXPERIMENTUM SOCIETATI Regiæ Anglicanæ exhibitum, concernens Jaculationem mediante aeris Rarefactione efficiendam.

Ex Transact. Philos. M. Jan. & Febr. 1686, n. 179. p. 21.

CUm vulgata sclopeta pneumatica per compressionem aeris sui um producant effectum; *Otto Guerike* novam eorum speciem excogitavit, quæ mediante rarefactione jaculatur; quod artificium quidem pluribus exposuit in libro suo *de Experimentis Pneumaticis*, non exprimens tamen, quantum & quam validum res hæc effectum præ-

præstiterit. Curiositate proinde ductus sum, ut ipse ejus periculum facerem alia quadam via, quam meliorem adhuc ejus invento esse autumo; primo quidem, quia hoc modo rarefactio perfectius, quam ad ipsius methodum fieri potest: deinde quia illius inventum usum habere nequit nisi in bombardis oris angustioris; cum contra ratio a me inita applicari possit sclopetis orificii etiam amplissimi, quale quidem ab opificibus parari queat: ut adeo ope hujus inventi vasta quoque pondera ad ingentem distantiam projici valeant.

A A est tubus perquam æqualiter excavatus ab una extremitate ad alteram. Tab. XIII. Fig. 5.

B B est canaliculus adferruminatus foramini cuidam prope extremitatem tubi A A, & applicatus laminæ machinæ pneumaticæ.

C C scabelli seu fulcri species est, ad sustinendam partem posteriorem tubi A A.

D frustum plumbi adaptatum foramini tubi A A.

Sic tubus A A claudendus est utrinque ope valvarum extrinsecus applicatarum, atque ita prædictus tubus, amplissimus licet, aere vacuus reddi potest mediante antlia pneumatica: quo facto illa e valvis, quæ est prope D, repente aperienda est, ita ut universa atmosphæræ pressio plumbo D incumbens id propellat per tubum A A tanta celeritate, ut ad notabilem distantiam evolet. Et quandoquidem valvæ talismodi, majus aliquanto foramen obturantes, apertu difficiliores esse possent, si scilicet tubus A A latioris sit orificii; sciendum est, aperturam prope D relinqui posse multo minorem ac ipsa tubi cavitas est. Aeris enim pernicitas tanta est, ut per exiguum etiam foramen in plumbum D vim suam tantum non æque libere exerat, ac si tota canalis cavitas late pateret.

Præparato sic sclopeti tubo, plumbum duarum unciarum capere apto, experimentum rei factum est in conspectu Societatis Regiæ, ac effectus satis notabilis deprehensus, dum vis haud multo minor se exeruit, ac in bombardis pneumaticis per compressionem esse solet. Idem experimentum repetita vice captum est adhibito longiori sclopeto, animadversumq; in hoc jaculandi genere, tubi longitudinem auctam nihil aut parum valde prodesse posse.

PEN-

PENSIERI FISICO MEDICI &c. di Giacomo Brachi Dottor in Filosofia, e Medicina.

i. e.

Jacobi Brachi Phil. & Med. D. Cogitata Physico-Medica circa Animalia, quæ moriuntur in Recipientibus, & Aere vacuis, & Aere factitio, a diversis mixtis fermentationis ope elevato repletis.

Venetiis, apud Andream Poletti, A. 1685, in 8.

TAntam Respirationis liberæ ad vitam animalem conservandam esse necessitatem, ut animalia pulmonibus instructa, si receptaculis ejusmodi includantur, quibus aer vel naturalis solerter subductus, vel alius magis artificialis ingestus est, oppido langueant ac tandem deficiant, satis ab eo tempore, quo ingeniosissimi Anglorum Philosophi Boylii Antlia Pneumatica versari, variaque hujus generis experimenta divulgari cœperunt, innotuit. Quemadmodum vero Eruditi in utriusque phænomeni modo memorati enodanda ratione nondum inter se consentiunt; ita quas Autor noster circa eadem, velut in Academia Sarottina experimentis a se deprehensa, foveat cogitationes, in tractatulo præsenti voluit eloqui. Quod mortem proin animalibus in vacuo sic dicto imminentem concernit, ut ætiologiam hujus tanto evidentius exponat, in principio statim respirationis usum juxta sententiam, *Praxagoræ*, Asclepiadis, Democriti & Hippocratis evolvit, ostendens inspirata minima aeris corpuscula diversimode figurata, sanguini in pulmonibus levem fermentationis imprimere motum, qui licet causa sit, ut fuligines inter fermentandum elevatæ tempore exspirationis foras expellantur, remanere tamen aeris particulas perfectiores, i. e. magis sphæricas, (quas ad mentem Hippocratis ex humido per Solis calorem declarat efformatas,) utpote & motu, & figura conformes moleculis sanguinem, in quo, seu potius, qui

qui ipse Anima sensitiva est, componentibus. His præmissis, dum varia, quæ animalia in Recipientibus Machinæ Pneumaticæ adaptatis exhibere solent, persequitur spectacula, horum palmarium, vitæ scilicet ipsius cessationem, sanguinis cuidam coagulationi, ex defectu aeris ambientis, a quo spiritus internus restaurandus sanguinisque fluiditas conservanda sit, oriundæ, unice adscribit, omni tunc pulmonum ac thoracis ab aeris inclusi elaterio inflatione rejecta, cum viscera exemta talem sistant nullam, e contrario vero pulmones in aqua subsidentes omnimodam aeris jacturam persuadeant. Dicta hactenus quo magis illustrentur, pisces producit Vacuo pariter cum aqua immissos, v. g. Gobium, Anguillam & Soleam, quorum iste ob expansum aeris interni elaterem, nervos ac vasa sanguifera comprimentem, non minus intumescat ac functiones exercere animales desistat, novo autem rursus aere admisso sensim ad vegetam redeat vitam, quantum quidem parum aquæ diu vitæ protrahendæ insufficiens permittat; cum e diverso Anguilla & Solea nequicquam tale patiantur: indicio manifesto, pisces, si cetaceos excipias ceu sanguine abundantes, aere non æque indigere ac animalia pulmonibus prædita, hinc branchiis saltem pulmonum loco gaudere, quibus crassior & frigidior Aquæ substantia nitrosa, vitæ ipsorum sustentandæ proportionata, secernatur. Cur animalia vero citius expirent in recipiente, qui vice naturalis aeris extracti, alio aere arte facto, v. g. ab uvis conquassatis fermentantibus elevato, turget; rationem eo expeditius suggerit, quo certius in antecessum, aerem purum ac simplicem mixto ac heterogeneo ad vitam diutius continuandã præstare, demonstrat. Scilicet cum primo spiritus nostri vitales & animales, naturam obtinentes simplicem & puram, homogeneum desiderent alimentum; dein homines quoque, qui in montibus aere puro fruuntur, magis longævi observentur præ iis, qui circa paludes degentes aerem halitibus impuris imprægnatum inspirant: in propatulo esse, halitus ejusmodi crudos, quales v. g. ab uvis conquassatis beneficio pauxilli aeris hisce interni elevantur, ineptum penitus existere alimentum, quo dulces animalium recipienti inditorum spiritus refocillentur: necessario hinc humorum contingere coagulationem, proximam mortis causam; partim ob spiritus ipsos dissipatos, motum alias humoribus conciliantes, nec vice hac restauratos; partim ob exhala-

halationes uvarum fermentantium acidas, coagulationi tali fovendæ perquam idoneas. Cæterum præter alias objectiones, quas hinc inde Autor removet, in fine fere iis etiam, qui ætherem pro spiritu universali omnium animalium vivificante venditant, nititur satisfacere, quatenus æther corpus sit subtilissimum, purissimum & homogeneum, quod solum indifferenter haud sufficiat adeo differentibus animantibus, utpote quæ specie diversa diversum quoque efflagitent alimentum vivificans; quin animalia iis quoque in locis, ubi æther tamen solus & copiosus adest, v. g. in montibus quibusdam præaltis, item in recipiente aere vacuo, occumbere observentur.

ACTA SANCTORUM APOSTOLORUM AD literam explicata, opera ac studio Caroli Mariæ du Veil Metensis, Sacræ Theologiæ Doctoris ejusdemque Professoris emeriti.

Londini, apud T. Malthum, 1684, in 8.

POst commentarios in Matthæi & Marci Evangelia, nec non in Canticum Canticorũ, 12 Prophetas minores, & Ecclesiasten editos, Apostolorum Acta aggredi Autori placuit, quæ in quatuor partes hoc ordine dispescit, ut prima ecclesiæ N. T. originem & progressum inter Judæos, altera a c. 9. incipiens ejusdem inter gentes dilatationem & propagationem, tertia c. 16. 17. 18. & 19. contenta diversas Pauli peregrinationes, & quarta denique postremum ejusdem iter Hierosolymitanum cum variis molestiis & persecutionibus conjunctum referat.

In singulis partibus verborum sententiam perspicue declarat, variisque observationibus e Theologia pariter & Philologia cum sacra tum profana petitis sic illustrat, ut eum in Hebræorum monumentis, historia ecclesiastica aliisque varii generis Scriptoribus egregie versatum esse, lectorum nemo dubitare possit. Explicationi textus haud raro vindicias, nonnunquam etiam alias digressiunculas subjungit, qualis est illa, quæ in notis ad c. II, v. 38 legitur, de baptismo non per

per aspersionem aut affusionem aquæ, sed per corporis in aquam immersionem peragendo. Hanc enim non liberam, sed necessariam esse ex voce baptismi, Christi & Apostolorum exemplo, perpetua ecclesiæ praxi, sacramenti hujus analogia, Græcorum & Russorum scandalo aliisque rationibus probare contendit. Adducit pro sententia sua præter alios *Nortonum Knachtbullum*, qui in notis ad 1. Pet. III, 20 & 21 asserit, finem baptismi non esse, ut interiorem a peccatis ablutionem repræsentet, sed ut mortem Christi immersione in aquas adumbratam, ejusdemque resurrectionem exprimat, idque Petrum, cum loco allegato non depositionem sordium in corpore, sed bonæ conscientiæ stipulationem apud Deum per Jesu Christi resurrectionem baptismum esse dicit, indicare velle, æque ac Paulum Rom. VI, Col. II, & I. Cor. XV, v. 29. ubi ex baptismo super mortuis resurrectio mortuorum demonstratur. E quibus concludit, rejectis humanæ contentionis erroribus, ad apostolicam traditionem & evangelicam autoritatem recurrendum, nec hoc in casu scandalum aut baptismi iterationem metuendam esse, cum baptismus per aspersionem aut affusionem administratus baptismi rationem non habeat, & juxta Gregorii Magni sententiam natum ex veritate scandalum permittere, quam relicta veritate scandalum declinare, utilius videatur. Eandem materiam repetit in notis ad c. VIII. ubi postquam pædobaptismum impugnasset, iterum pro antiquo immersionis ritu militat, *Lutheri* quoque & *Bugenhagii* testimoniis in medium prolatis, qui se Hamburgi infantis fasciis adhuc involuti caput aqua leviter aspergi non sine magno stupore vidisse profiteatur, ut cætera ejus argumenta a nostratibus Theologis jam pridem solide discussa silentio involvamus.

HISTOIRE DES REVOLUTIONS ARRIVE'ES dans l' Europe en matiere de Religion, par Monsieur Varillas.

i. e.

Antonii Varillasii Historia Revolutionum in Europa, quæ occasione religionis acciderunt.

Paris. apud Cl. Barbin. 1686, in IV. & secundum ejus editionis exemplum in Belgio recusa in 12.

MOdestior *Revolutionum* titulus in frontispicio libri ostentatus, iubito in odiosiorem transiit, dum singulæ libri paginæ *Historiam hæreseos* supra scriptam gerunt. In dedicatione etiam ad *Regem Christianissimum* euphemismum omnem deponens Autor, Protestantibus hæresin aperte imputat, & *Carolum Quintum* Imperatorem culpat, quod occasionem opprimendi Lutheranismi in autore suo per annos triginta neglexerit. Deinde in præfatione diserte recipit, se *contra hæreses* scripturum esse, alia tamen methodo, quam illi, qui probare intenderunt, *hæreses Scripturæ & traditioni* contrarias esse. Novam ipse invenit, ostensurus: *omnes qui ab annis trecentis contra veterem religionem docuerunt, aut concionati sunt, id ex causis pure humanis & sæpe criminosis fecisse; qui vero eos autoritate & armis defenderint, non aliud intendisse, quam ut ex turbis utilitates caperent*; quæ quo pertineant, non difficile est judicatu. Nam ut excusari possent, qui errore quodam mentis a veritate discedunt, ita nullam merentur veniam, qui dissensum simulant, & religionem sceleribus prætexunt. Itaque arduum negotium sibi sumsit autor; controversiarum enim alii tractatores ex verbis & scriptis errores eruunt, & sic tamen difficillime ad veritatem errantes reducunt: at qui animos hominum penetrare noverit & ostenderit, eos meliora videntes deteriora fraudulenter & utilitatis causa sequi, ille disputandi de dogmatibus molestia evitata, adversarios non refutandos, sed puniendos & opprimendos sistet, doli nequissimi convictos. Fatetur vero autor susceptum sibi scribendi onus gravius fuisse, quam ut defungi eo sine auxiliis potuerit, duosque inprimis collaudat, quibus gratiæ debeantur, si quid publici commodi ex labore hoc suo oriatur: unum, qui adhuc vivit, Archiepiscopum Parisiensem *Dn. Franciscum Harlaum*; alterum, qui decessit, *Eduardum Camusium*, egregiis muneribus functum, sed qui pro-

provectiori ætate per triginta annos in Carmelitarum monasterio, quod in suburbio Jacobæo est, Deo & proximo serviverit. Historiæ deinde suæ fontes aperit, & ex Protestantium autorum relatione retinuisse se scribit omnia, quæ sincera repererit, non nisi in illorum defectu ad Catholicos recurrens: maxime vero in tam prodigioso scriptorum numero usum esse epistolis *Hæresiarcharum* (ita *Lutherum, Melanchthonem, Bezam; Bucerum* & *Socinum* vocat) quia in epistolis minus quam aliis scriptis mens hominum dissimuletur. Commendat inde Manuscriptum *de Concilio Constantiensi* in Bibliotheca Puteana, & historiam Hussitarum *Æneæ Sylvii*, sive *Pii II.* De *Sleidano* omissa quædam (ut ait) ab aliis annotans, inter alia ignobilitatem generis inde arguit, quod cognomen non a parente, sed a patria sumserit, (quanquam id illo tempore suetum municipalibus familiis, etiam honestissimis fuit.) Pensionem eum annuam centum aureorum a Francisco I. Galliæ rege habuisse, ex *Manuscriptis Lomenianis* comperisse se testatur. Cæterum suppeditat aliquid, quod diligentiæ eruditorum, qui hæc legent, & talia non dedignantur, indagandum commendamus. Scribit enim primam commentariorum Sleidani editionem, quæ anno 1553, in *folio minori, litera Italica* prodierit, habere quædam, quæ Catholicis faveant, sed ex altera editione, quam *in octavo* majoribus characteribus impressam refert, expuncta ea esse. Fatemur, quanquam curæ aliquibus ex nostratibus fuerit editiones illas inquirere & conferre, nullam tamen, quanquam multæ aliæ comparerent, huc usque inveniri potuisse, quæ eum descriptione Varillasii conveniat. Sequitur prolixa collatio diversi styli & ingenii, quam ex epistolis Lutheri & Melanchthonis eruisse se existimat autor, in qua quid desiderari possit, alii examinabunt. Cæteri quos laudat autores, aliquando & taxat, sunt: *Joh. Meursius* de rebus Danicis, Autor Diarii de gestis *Georgii Fronspergii*, dein *Chytræus, Hieronymus Zanchius*, & de rebus Anglicis *Camdenus, Burnetus, Sanderus, Ribadeneira*, de quibus singulis non spernenda monet, multum vero epistolis Cardinalis *Bellaii* adjutum se scribit. *Bezam* de Calvino non historiam, sed panegyricum scripsisse judicat. *Hieronymi Bolsecci* Medici Lugdunensis bilem contra Reformatos non probat, & fidem elevat; idem de *Jacobo Langio* ejus exscriptore censet. Vitam

vero Calvini, quam *Balesdanus Papyrio Massonio* tribuit, credente id temere, ut ait, *Spondano, Jacobo Gilloto* vindicat, viro apprime docto. Quæ *Grotius* de Calvino scripsit, minus satyrica esse ait, quam Bolsecci & Langii, Arminianismum tamen sapere. *Drelincurtii* scriptum de Calvino ob elegantiam laudat; sed arctius justo esse & ad Genevensia restrictum notat. Allegat acta ex archivo regio duarum inquisitionum, Francisco I & Henrico II regnantibus habitarum, iisque plenam fidem tribuit. Periodum operis sive terminos constituit, ut ex lemmate Tomi I. apparet, intra annum Christi 1374 & 1658, & nunc *libros decem* exhibet, *duobus tomis*. Primus & secundus historiam Wiclefi & Hussi continet ab anno 1374. ad 1416. quæ (ut observat V. Cl. Roterodamensium relationum autor) jam anno 1682, absque nomine autoris Lugduni Gallorum prodiit, & nobis in Actis anni 1683 memorata est pag. 506. Libri III, IV, V. referunt, quæ occasione doctrinæ Lutheri ut & Zuinglii in Germania, in Helvetiis, & in Dania gesta sunt, ad annum usque 1525. Libro VI. narratur bellum rusticum; & quædam Belgica & ad Rhenum acta. Lib. VII. præmittuntur aliqua de matrimonio *Zuinglii* & *Lutheri*, inde de rebus *Borusficis* agitur, & de expeditione Cæsareani exercitus in Italia, item de comitiis Augustanis & exhibita in iis confessione Protestantium anno 1530. Libro VIII sequuntur, quæ usque ad annum 1533. in Germania gesta sunt ab Imperatore cum Protestantibus, & de horum fœdere, aliisq; eo pertinentibus, ut & de cœptis in Gallia Lutheranorum persecutionibus agitur. Liber IX res Anglicas enarrat sub Henrico VIII, ad mortem usque Annæ Bolenæ. Libro X Anabaptistarum tumultus *Monasterienses*, & Gallica quædam exponuntur, Calvini præcipue actiones & fortuna ad annum 1535. Non revocamus quidem laudes, quibus Varillasii libros historicos, in Actis nostris memoratos, prosecuti sumus, sed cum hoc opere, ut supra notavimus, non historicus, sed novus & singularis hæreticorum censor esse velit, mirum non est, si memor instituti nihil omisit, quod scopo suo serviat. Dissimulare non possumus, videri nobis immitius eum egisse cum Luthero & Lutheranis, quos vocant, quam *Ludovicus Maimburgius*, historiæ odiosissimæ de Lutheranismo autor, nuper defunctus. Quasdam enim huic prætermissas, easque atroces dudumque refutatas calumnias, in libros hos suos retulit Varillasius. Sed non est nostri laboris, nec hujus loci, ista speciatim annotare

re & refellere. An vero sufficiens rerum nostrarum peritia, aut noscendi eas diligentia Varillasio fuerit, dubitare nos multa faciunt, nec vitio nobis verti posse existimavimus, si id aliquibus exemplis, ex rebus potissimum Saxoniæ, quæ notissimæ nobis esse debent, petitis comprobaremus, non repugnaturo, ut speramus, autore; vera enim doceri neminem pudere debet, nec irritare, si modeste fiat. Neque tamen nisi historica notabimus, ad factum, ut dici solet, non ad jus pertinentia, omissis scilicet dogmaticis, & quæ statum publicum spectant, & ex comitiorum aliisque actis operosius examinanda essent. Fatendum est, cum prius ad nos editio Libri Batavica, quam Parisiensis perveniisset, multa quæ errata deprehendebamus, typographorum culpæ nos tribuisse: verum post aliquot demum menses exemplar Gallicum nacti, & eadem reperientes, non potuimus ab aliqua admonitione prorsus abstinere.

Præli quidem errores facile committuntur, nec rigide condemnari debent; inter alios tamen paulo crassior est, quod in utraque editione, *Libro Quarto* non solum *falsum lemma*, sed et *annus 1528* margini ab initio ad finem prope libri adscribitur, cujus loco *annus 1520 & 1521* notari debuisset. Orthographiæ etiam sphalmata multa sunt, v. g. quod *Staupitius* (nemini ignotus Augustinianorum vicarius) *Stanibiz*, vel *Stambiz*; *Tezelius* (itidem notissimus) *Teckel*, neque id una vice, sed nisi fallimur, semper scribitur. Vid. Tom. I. edit. Batav. pag. 226. 229. 237 & passim. Confundit etiam autor miris modis tres Electores Saxoniæ, *Fridericum*, *Johannem*, & *Johannem Fridericum*; abdomen sive molem corporis fere omnibus objicit, qua ultimus solum gravabatur. Hunc modo fratrem, modo filium Johannis facit. Sciunt autem vel mediocriter in historia hac versati, & autor ipse alicubi memorat, *Friderici* fratrem & successorem *Johannem* fuisse: hujus autem filius erat *Johannes Fridericus* post Patrem Elector; interim unus pro alio non semel ponitur, vel uni tribuuntur, quæ ad alium pertinent. Vid. Tom. II. pag. 87. 91. 126. 205. *Magdeburgensis Archiepiscopatus in centro Sax. Electoratus situs esse* dicitur, & urbs *Magdeburgum potentia totum Electoratum superare*, Tom. I. pag. 231. utrumque contra situs & rei evidentiam. Æmulationes inter familias Saxonicam & Brandeburgicam d. p. 231. & seqq. narrantur, ignotæ rerum nostrarum autoribus; sicut nec a

quo-

quoquam prodita ſcimus, quæ de offenſa & ſimultate inter Fridericum & Pontifices, ob Archiepiſcopatum Magdeburgenſem ad familiam Brandenburgicam translatum diſſeruntur. Eadem p. 231. *Fridericus* literarum omnium pene rudis deſcribitur, qui tamen Latinæ & Gallicæ linguæ non fuit imperitus. Quæ vero pag. 244. ab amicis Electoris Saxonici dicta referuntur, ut Luthero animum facerent Cajetano ſe ſiſtendi, unde didicerit autor, aſſequi non poſſumus. Ajunt illi inter alia, *metuendum eſſe Maximiliano Cæſari Fridericum, quia facile ab eo dejici imperio poſſet: tenues eſſe Auſtriacæ domus vires, & Electorem Saxonem fœderis Suevici ducem intra tres ſeptimanas ſeptuaginta millium exercitum colligere poſſe, nullo plane ſumptu: protectionem itaque perpetuam Luthero ab illo ſperandam eſſe, quia injurias a Sede Romana ſibi illatas irreparabiles exiſtimaret.* Nihil dici poteſt a veriſimilitudine remotius. Non erat in tota Germania Princeps Maximiliano Cæſari obſtrictior & fidelior, quam Elector Fridericus: nam præter ſanguinis nexum (avia enim ejus fuit amita Cæſaris) miniſterio etiam ſe obligaverat, ſupremumq; aulæ magiſteriū aliquot annis geſſerat, cui & abſens Cæſar vices ſuas demandabat. Vires erant Electori non ſpernendæ, ſed cum Auſtriacis non comparandæ. Fœderis Suevici ne membrum quidem fuit, nedum caput. De exercitu quæ adduntur, ut & de ira in Pontificem, incredibilia ſunt. Denique ea Friderico cautela fuit, ut neque hoc anno, cum Lutheri doctrina in tenuiſſimis verſaretur initiis, nec poſtea, cum incrementa maxima haberet, protectionem ejus aperte ſuſciperet; imo nec Lutherus eam deſiderabat, ut ex actis literisque ejus conſtat. Porro *Spalatinus* ejus *Conſiliarius* fuiſſe idemque pauper & multis liberis oneratus, dicitur pag. 254. cum nunquam Conſiliarius, ſed a literis Latinis & a ſacris illi fuerit, cælebs eo tempore, utpote Clericus & Canonicus Altenburgenſis. *Sex Epiſcopatuum Saxoniæ maxima pars in temporalibus invaſa* anno 1530 dicitur tom. II. pag. 153; cum non niſi tres ſint, in quos jus ſibi aſſerunt Saxoniæ Principes, nec Epiſcopis eo tempore ablatum aliquid fuerit, ſed *temporalia* eorum poſt multos demum annos mutationem paſſa ſint. Diſputatio Lutheri & Eccii *Marsburgi* habita eſſe dicitur pag. 264. quam Lipſiæ factam nemo neſcit, & autor alibi agnoſcit. *Pontificii Legati, Caracciolus & Aleander* (*Alexander* perperam vocatur.) *magnifice ab Electore excepti* traduntur

p. 308.

pag. 308; cum illum non niſi fortuito colloquio Coloniæ Agrippinæ in templo acceſſerint, frigide habiti, & in Saxoniam nunquam profecti. *Lutherus VVormatia redux ex cœnobio ſuo VVittenbergenſi raptus & abductus eſſe dicitur*, pag. 317; quod tamen in finibus Thuringiæ, quinque a Wittenberga dierum itinere factum fuiſſe notorium eſt. Caſtellum in quo latuerit, vocatur *Aſtat* d. pag. 317, & *Alſtat* pag. 372: ſed id erat Wartenburgum, Iſenaco imminens. Alſtet bidui itinere ab Iſenaco diſtat: Ibi inter ſparſos tunc rumores Cochlæo veriſimile viſum fuit Lutherum latuiſſe, quia Muncerus paſtor oppidi erat: Cochlæus autem plenam apud Lutheri adverſarios fidem invenit, calumniandi protervia. *Caroloſtadius primus ex Clericis uxorem duxiſſe* dicitur pag. 371 Tom. I. ſine fundamento; nominant enim hiſtoriæ, ipſiusque Lutheri Epiſtolæ, qui eum prævit, Paſtorem Kembergenſem. Fruſtra etiam ſcribitur pag. 372 Tom I. *Nicolaum Pelargum* (pannifex erat Zuiccavienſis, homo indoctus & militaris) Lutheri diſcipulum fuiſſe, ſicut & quod de *Muncero* Tom. II. p. 13 narratur. Hos Lutherus nunquam pro ſuis agnovit. *Auguſtiniani VVittenbergenſes* non anno 1523, ſed 1521, *nec omnes*, ſed privatas tantum ſeu ſolitarias miſſas abrogarunt, contra quam pag. 368 refertur. Virgines ex *Vimiguenſi* (Nimeccenſi ſcibere debuit) cœnobio rapuiſſe dicitur *Leonardus Koppe*, *Præpoſitus* (Prevoſt) Wittenbergenſium ſcholarium, ſeu ſtudioſorum, Tom. II. p. 7. Verum Koppius ille Torgenſis ſenator fuit, ſociosque facti non habuit ſtudioſos. *Catharina Boria*, d. pag. 7, quæ inter virgines monaſterio elapſas erat, deſtinata jam tum Luthero fuiſſe, nullo idoneo teſte dici poteſt, cum poſt biennium demum, ex improviſo, & jam ab alio ambita, Luthero nupſerit. Poſtea diverſa plane de Catharina narratio inſtituitur, quaſi alia eſſet, quam de qua d. pag. 7 dictum erat. Jam enim Lib. VII. pag. 86. & 87 *Abbatiſſa Miſnenſis fuiſſe, & in aula potentes cognatos habuiſſe* perhibetur; *Lutherus vero a Friderico Electore a nuptiis prohibitus, cum fratre & ſucceſſore ejus Johanne Friderico* (en iterum hunc pro Johanne patre poſitum) *pactus* dicitur, *ut Abbatiſſam jungere ſibi liceret, quam antea ſæpe inviſiſſet & dein VVittenbergam accerſiſſet*: quæ profecto neque cum raptu ejus ex Nimeccenſi monaſterio conveniunt, neque ulla nituntur fide; cui & repugnat, quod pag. 87 dicitur, *Electorem ſucceſſorem minus addictum*

 fuis-

fuisse Lutheri doctrinæ : contrarium enim verum est, quia Fridericus tantum connivendo & dissimulando, Johannes vero ejus frater & successor aperte & publice doctrinam illam fovit & professus est, ut omnes norunt. Sic etiam historiæ palam adversatur, quod pag. 9. 10 scribitur, *Lipsienses* nostros anno 1523 *bona Ecclesiastica invasisse, & edictum ea de re publicasse*: nam Georgio Duci tunc subjecti erant, accerrimo Lutheri hosti, & eo demum mortuo post annos fere XVIII, ad religionis libertatem pervenerunt. *Leisnici* (oppidum id ad Muldam est aliquot milliaribus a Lipsia dissitum) tale aliquid eo tempore gestum, in Lutheri tomis reperitur, & aliqua vocis similitudo autorē decepit. Pater Lutheri pag. 367 tom. I. *Jacobus* vocatur, quem alii omnes *Johannem* appellant. Carološtadii tumultus, & Lutheri ad eum sedandum reditus, *ad annum 1523* refertur, cum ad finem 1521 & initium 1522 pertineat. In belli rusticani narratione, præter alia, erratur insigniter, pag. 42, tom. 2. quod Electori Saxoniæ Johanni, in pugna ad *Franckenhusam* (*Cranchausen* mendose scribitur) ultimus locus assignatur, primus Georgio Duci, qui nullo modo Electorem præcedere potuit, multo minus, qui itidem Electori præponuntur, Brunsuicensis & Hassus. Nec Georgio fœderis Suevici, ut narratur, dux fuit, neq; copiæ Suevicæ in Thuringiā ad compescendos rusticos venerunt, domi satis occupatæ. *Helderang* seu *Heldrungen*, pag. 54, non fuit *oppidum*, nedum *primarium* Comitatus Mansfeldensis, sed arx cui pagus ejusdem nominis adjacet. *Melanchthon* nec *discipulus*, nec *secretarius*, nec in *contubernio* Luther; fuit, donec hic maritus factus esset, uti tom. II. pag. 140 scribitur ille : etiam prius quam hic uxorem duxit. *Viginti ex familia Saxonica* Principes vixisse, tempore pactæ inter Saxonicam & Clivensem familiam successionis, erroneum est p. 92. Tom. II, cum vix decem, qui tunc vixerint, patres & filii familias numerari possint. Sed hæc prætermissis pluribus, speciminis loco, nec alia, quam diximus mente, notata sunto.

Haud minori numero & graviora de aliis etiam Germaniæ rebus exempla ostendi possent, quæ paris incuriæ argumentum præbent, aut actorum fidei repugnant; duo saltem notabiliora afferemus, & primum quidem pro dignitate nationis Germanicæ. *Georgius Fronspergius* (rectius *Frundsberg* scriberetur) Eques Suev9, *Mindelheimii* Dynasta,

nasta, Præfectus comitatus Tirolensis sub Maximiliano I. & Carolo V Cæsaribus, magni nominis vir fuit, imo & patriæ & equestris nobilitatis decus. Non latuit id Varillasium; commendat enim in præfatione *Diarium* vitæ ejus, illoque usum se testatur *Libro Sexto* (*septimum* scribere debuit) hujus historiæ. Diarium aliud notum nobis non est, quam quod dissimulato nomine composuit *Adamus Reisnerus*, teste *Crusio* in *Annal.* Suevicis, Francofurti anno 1568 Germanice editum. Cum hoc vero minime concordant, quæ Varillasius Libro VII, pag. 95 & in præfatione de Fronspergio scribit. *Stultum & temerarium ei consilium* tribuit, *quod Romam excidio destinaverit*; describit eum *ut belluam, qui brutali omnia impetu agens vera virtute caruerit, & vulgi applausum solidæ laudi ab honestis viris prætulerit.* At ex Scriptore vitæ discitur, consilium de Pontifice Romæ oppugnando, nec Fronspergio, nec cui parebat Carolo Borbonio (is enim Cæsaris nomine res Italicas cum summa potestate curabat) ex destinatione, sed ex necessitate ob summam stipendii militaris inopiam captum fuisse; imo antequam copiæ ex Hetruria moverentur, Pontificem centum aureorum millibus damnum urbis, quod *viginti millionum* æstimatur, redimere potuisse. Fabula etiam de fune serico, quem strangulandi Pontificis causa Fronspergius gestaverit, refutat. Memoratur ibidem, quomodo non suo arbitratu aut lubitu, sed a Ferdinando Austriaco rogatus & impulsus Fronspergius, confecto ex oppignoratis suis & uxoris bonis, & Ferdinando mutuato ære, 12000 pedites conscripserit. Interim non negat autor vitæ, Fronspergium Pontificis erga Cæsarem machinationes vehementer odisse & improbasse, & pœna dignas statuisse. Ex eodem constat, Fronspergium quinto decimo post captam Romam mense Mindelhemii decessisse d. 20 August. 1528. Incidit nempe duobus fere antequam urbs caperetur mensibus, ex vehementi commotione, cum concione militari tumultuantes ob stipendia copias compescere non posset, in deliquium animi & loquelæ, in finibus Hetruriæ, d. 16 Martii 1527, & inde Ferrariam ductus ultra annum cum morbis conflictatus est, nulli rei gerendæ, etsi sollicitaretur a Ferdinando, idoneus. Atque inde demum domum, ut diximus, reductus diem obiit; tantum abest, ut, quemadmodum Varillasius narrat, *prædam Romanam cum militibus divisurus subito ab equo lapsus decesserit.* Corpo-

ris robur magnum ei fuit, ſed parva ex hoc laus, maxima ex animi virtute & prudentia, ex inſigni pietate, & ex conſtanti in Heros ſuos Auſtriacos fide. Belluinum ſane dictum ejus non eſt, quod refertur: *bello viris bonis abſtinendum eſſe tribus de cauſis, primum ne innocentes & miſeri opprimantur, ſecundo ob militum ſceleratam vitam, tertio ob ingratum Principum erga bene merentes animum.* Belluinum non magis erat, cum in prælio Ticinenſi cum cohortibus ſuis, idque ex more ſuo, in genua provolutus, ardentibus precibus ad Deum ſe converteret, antequam fortiſſimam Germanorum legionem, quæ Langenmantelio Auguſtano duce Gallis militabat, & in qua robur hoſtilis exercitus conſiſtebat adoriretur, ipſumque Tribunum, a quo ferociter provocabatur, cum omnibus ſuis ad internecionem cæderet. Erratur etiam, cum d. lib. VII ſcribitur, duos Fronſpergii filios Romæ peſte ſublatos eſſe, nam junior tantum, *Melchior*, obiit, ordinum ductor; natu major *Caſparus* paterni exercitus legatus, & virtutum æmulus, aliquot annos ſupervixit. Quantis vero elogiis *Carolus Imperator*, *Carolus Borbonius*, *Sforti* Mediolani Princeps, & *Antonius de Leva* Cæſareus dux, Fronſpergium honoraverint, quas penſiones & ditiones in Mediolanenſi Ducatu ipſi & filio aſſignaverint, nulla hæreſis imputatione, nec mentione, ex diplomatibus Diario inſertis relatu utique digniora videri poſſent, quam quæ in contumeliam nobiliſſimorum & fortiſſimorum virorum ex ſuſpicione vel incertis rumoribus afferuntur.

Reſtat alterum & ultimum, quod pro honore Principum, ex quibus *Sereniſſimus Potentiſſimusque Elector Saxoniæ, Dominus noſter clementiſſimus*, cum aliis ſummi ordinis magnatibus maternum genus ducit, addimus, in quo mire lapſus eſt autor. Scribit enim eodem Lib. VII, pag. 89, *Albertum Brandeburgicum*, qui ex Magiſtro Teutonici ordinis Dux Boruſſiæ factus eſt, ſexaginta novem annos natum fuiſſe (addit *completos*) cum Dorotheam Holſatam (erat autem Friderici I. Daniæ Regis filia) duceret, nec virginem alia mente aut ſpe in decrepiti ſenis nuptias conſenſiſſe, quam ut eo mox defuncto, juniori marito corpus, & ingens, quod pacta fuerit, dotalitium afferret; at (pergit) *egregie deluſa eſt, fit enim gravida, parit filium, cum quo ſpes potiundi opibus mariti decollavit, & quod pejus erat, coacta eſt cum Alberto, qui triginta fere annis ſupervixit, juventam totam*

tam tranſigere. Sed alia omnia ex Genealogiarum ſcriptoribus, vel ex Chytræo, quem legit & laudat autor, diſcere potuiſſet. Natus fuit Albertus anno 1490. Dorotheam duxit anno 1525, atque ſic florente ætate, annum nempe trigeſimum quintum agens. Dorothea plurium liberorum mater ex eo facta eſt, ex quibus tamen una ſolum filia ſuperſtes fuit, *Iohanni Alberto Meckelburgenſi* Duci poſtea nupta. Deceſſit ipſa Dorothea poſt annos 22, & Albertus anno 1550 ſecundo matrimonio Annam Mariam Brunſvicenſem duxit, ſenex quidem tunc ſexaginta annorum, vegetus tamen, ut *Albertum Fridericum* Boruſſiæ Ducem progigneret, cujus filia altera Electori Saxonico, altera Brandenburgenſi, reliquæ aliis Principibus elocatæ, poſteritatem ſplendidiſſimam & tantis majoribus dignam reliquerunt. Deceſſit *Albertus* a. 1568, cum ætatem ad annum ſeptuageſimum octavum produxiſſet, pro quibus nonaginta novem ei tribuit Varillaſius. Cadunt ergo omnia, quæ de improba illa Dorotheæ ſpe, de tædio mariti, de captato fœde lucro narrantur, falſo Chronologiſmo ſuperſtructa. Cautio ſit ſtudioſæ juventuti, quæ ad hiſtorias vel genealogias ſcribendas, ſæpe promtius quam prudenter properat: cautio etiam ſcripta peregrina legentibus, quorum autores ex præcipiti inſpectione malevolorum aut mendoſorum librorum, & absque ſufficienti hominum, locorum, temporum notitia, aliquando non tam facta referunt, quam ficta, aut quæ fieri potuiſſe, ex ſuo ſuæque nationis ingenio ratiocinantur.

PHILIPPI A LIMBORCH SS. THEOLOGIÆ inter Remonſtrantes Profeſſoris THEOLOGIA CHRISTIANA.

Amſtelod. apud Henric. Wetſtein, 1686, in 4.

QUod eorum, qui in Belgio Remonſtrantium nomen ſibi ſumſerunt, ſtudium eſt, (ut ex *Simonis Epiſcopii*, qui inter primos ejus Sectæ poſt Arminium faciem novam induentis, celebris extitit, operibus perſpicitur,) pauciſſimos fidei articulos ad ſalutem creditu

necessarios definire; plerasque controversias, inter Theologos post reformationem a Papatus erroribus, inaniter subtiles, & ad pietatis studium plane inutiles, temere & arroganter decisas judicare; ac proinde iis non obstantibus, suadere pacem & mutuam tolerantiam: id *Stephanum Curcellæum* recte tenuisse, in præfatione Operibus ejus præfixa laudat noster *Philippus a Limborch*, & ipsemet in hac Theologia Christiana prosequitur. Opus universum, quod synopsis & complementum Institutionum Theologicarum ab Episcopio & Curcellæo scriptarum dicas, in septem libros distribuit.

Primus est de Scriptura S. quem de Theologia ac Religione in genere orditur. Religionem naturalem sufficientem ad peccatorem in gratiam cum Deo reducendum negat, at notitiam Dei innatam cum Socinianis sociisque impugnat: acquisitam bene contra Socinum adstruit, & miracula quoque dari, ex quibus existentia Dei eluceseat, contra atheos evincit. Auctoritatem Scripturæ S. ab ejus veritate & divinitate, non a testimonio Ecclesiæ etiam quoad nos pendere, *adversus Pontificios* asserit, sed simul tamen testimonium internum Spiritus S. quo nobis divinam illam Scripturæ auctoritatem, ex characteribus ipsi impressis infallibiter persuaderi docent Theologi, rejicit. Scripturæ perspicuitate adstructa, infert pro libertate suæ sectæ, dogmata fidei ad salutem necessaria, quorum fidem & consensum ab aliis requirimus, vocibus ipsius Scripturæ exprimenda esse, nec quemquam adstringendum ad phrases, ab ipso Spiritu S. non usurpatas. *Versionem Belgicam* reprehendit; sententiam *Coccejanam* de sensu Scripturæ profligat; confessiones, catechismos, decreta Synodorum fieri, ut sint norma secundaria fidei & consensus, improbat. Clavem, qua obscurus Scripturæ sensus eruatur, duplicem proponit, Scripturam & rectam rationem; negat autem Philosophiam esse Scripturæ interpretem, quomodo *Autor Tractatus Paradoxi* nuper voluit.

Liber II Deum & opera divina considerat. In antecessum monet, ea subtilia & intricata, quæ circa attributa divina in scholis ventilari solent, consequentiis tantum & speculationibus metaphysicis niti, nullum aut exiguum ad pietatis exercitium respectum habere, ideoque sine salutis jactura ignorari posse, audacter non definienda,

da, nec decisorum fidem aliis imperiose præscribendā esse. Nomen *Jehovah* juxta ipsum non denotat essentiam Dei, sed constantiam in præstandis promissis: ex nomine plurali *Elohim* pluralitas personarum in divina essentia non solide colligitur: quæstiones, an æternitas Dei sit duratio fixa, vel successiva; quonam modo Deus sit omnipræsens, in medio relinquendæ. Futurorum contingentium præscientiam Deo asserit, negat vero esse articulum fidei necessarium plane ad salutem creditu, aut eos, qui eam non credunt, errore exitiali teneri. Negat Justitiam Dei vindicativam essentialem. In doctrina de Omnipotentia Dei, contra *Burmannum* Spinozæ castra secutum bene disputat. Ad Trinitatem in divinis probandam renuit uti 1. Joh. V. 7. utpote dubiæ autoritatis dicto: Spiritum S. esse Deum concedit, in Scripturis exserte ita vocari inficiatur. Inter personas tres divinas subordinationem facit; Patrem super Filium & Spiritum S. eminere ait dignitate & potestate. Suadet, ut in hoc mysterio abstinentes a terminis philosophicis, loquamur vocibus & phrasibus Scripturæ S. Decreta Dei non esse ipsam essentiam divinam, sed liberas volitiones ab essentia revera distinctas statuit, ideoque æterna ipsa non admittit. Primam creationem, longo tempore antecessisse secundam credibile putat. Maxime probabilem judicat sententiam eorum, qui credunt Angelos diu ante mundum hunc visibilem a Deo conditos, & supremi cœli incolas fuisse. Per Spiritum DEI Gen. I, intelligit ventum ingentem, aut agitationem divina virtute productam. Imaginem DEI in homine fuisse sitam in dominio super omnes creaturas docet, non simul in justitia originali, non in immortalitate. Quæstionem, an Conservatio creaturarum sit actus DEI positivus, an negativus, indecisam in medio relinqui posse opinatur.

Libro Tertio de Redemtione, speciali quodam Providentiæ modo tractaturus, occasionem ejus, miseriam hominis, in quam per peccatum lapsus est, præmittit. Negat primam comminationem Gen. II, 17. ultra mortem naturalem quicquam continere: negat promissionem vitæ æternæ ullam factam fuisse primo homini. Negat Adamum ex peccato contraxisse impotentiam bonum faciendi. Negat primum Adami & Evæ peccatum, posteris ipsorum esse imputatum.

In-

Infantibus peccatum originis connasci itidem negat. Negat extra fœdus DEI cum Abrahamo constitutos, convenienter tamen legi naturæ, monitisque DEI generalibus vitam instituentes, vita æterna exclusos esse. Negat Deum peccata absque satisfactione remittere non potuisse. Negat Christum patientem sustinuisse aut sensisse pœnas damnandorum. Negat omnipræsentiam Christi DEI & hominis. Christum asserit Legislatorem, qui præcepta sub N. T. dederit proprie dicta, ac legem Mosis novis additionibus perfecerit. Adversus *Socinum* bene propugnat, mortem Christi habuisse rationem sacrificii proprie dicti, per quam Deus ex irato placatus est redditus, peccataque, iræ suæ causam, remittere voluit; sed quod negat tum obedientiam Christi activam nostri loco, tum passivam pro omnibus pœnis debitis peccatis nostris, ac solum vult eundem pro nobis tulisse miseriam gravem & mortem cruentam, censuram Theologorum nostrorum incurret, quibus nec ea quæ de dignitate & vi sacrificii a Christo peracti sentit, satisfacient. Jesum esse Christum adversus Judæos nervose demonstrans, Marshami *de Septuaginta hebdomadibus Danielis* interpretationem confutat.

Lib. IV, de Prædestinatione divina hominum, tam ad salutem quam ad damnationem tractans, totam controversiam, in Actis Synodi Dordracenæ adversus Contra-Remonstrantes copiose discussam, in compendium redegit, præcipua argumenta selegit, eaque ab exceptionibus vindicavit, ad objectiones adversariorum respondit. Sumsit autem sibi præcipue refutanda *Wilhelmi Amesii Antisynodalia*, quem multi invictum habeant, & pro malleo Remonstrantium, quod a nemine eorum peculiariter sit refutatus.

Lib. V Præcepta Novi Fœderis proponit. De quibus *ingenere* differens, opera irregenitorum bona prædicat; motus primo primos peccatorum numero eximit: peccati mortalis ac venialis novas notiones excudit: peccatum in Spiritum S. interpretatur de eo, quo opera miraculosa, a Servatore nostro virtute Spiritus S. patrata, adscribuntur Diabolo; unde hoc peccatum hodie vix locum habere posse concludit. Hinc ad *speciales virtutes Christianas* a Jesu Christo nobis mandatas progressurus, præmonet omnia officia nostra in

N. T. frequenter venire nomine Fidei, quam exponit per obedientiam divinorum præceptorum. Virtutes ipsas generatim distribuit in intellectuales, quales nominat duas, scientiam & prudentiam; ac in morales, quas rursum in varias classes dispescit. Generales, quæ universum hominis Christiani officium summatim comprehendant, dicit duas, fidem in Jesum Christum & resipiscentiam. Fidei antecedens ipsi est scientia; formalis actus assensus, illiq; juncta fiducia; objectum in specie, Jesum esse Christum, i. e. Jesum esse Salvatorem illum, cui homines salvandi munus a Patre impositum est. Nam eo enunciato præcise contineri ait, quæ munus Jesu concernunt, non quæ personam, ejus naturas, harumque unionem. Quare pronunciat, filiationem æternam non esse necessarium fidei Christianæ objectum, nec duas in Christo naturas, nec modum unionis inter ipsas, nec incarnationem æterni verbi. Consequentem fidei actum, obedientiam esse docet. Fidei causas expendens, statuit fidem esse obedientiæ nostræ actum, a voluntate nostra, per gratiam divinam prævenientem & concomitantem excitata, elicitum. In divisionibus Fidei censet, vivam ac mortuam fidem differre, non specie sed gradu; ac omnem fidem in se nude spectatam mortuam esse, vitam autem accipere ab operibus. Resipiscentiam proprie in dolore animi de peccatis commissis ponit, cujus effectus, confessio DEO facta, ac propositum efficax vitam emendandi. Negat in regenitis manere concupiscentiæ innatæ reliquias; negat porro regenerationem in hac vita tantum inchoatam esse; itidem sanctissima nostra opera peccatis esse inquinata, ab inhabitante concupiscentia, negat. Virtutes, quæ Christiani hominis officium distincte & per partes explicant, ratione triplicis objecti trifariam partitur. Quæ Deum respiciunt, nomine Pietatis; quæ proximum, nomine Justitiæ, seu potius Charitatis; quæ nos ipsos, Temperantiæ, seu non Dilectionis mundi appellatione complectitur. Singulas earum virtutum partes excerpere, longum sit. Multa bene dicta sunt, non pauca etiam improbabunt Theologi, in quibus præcipua nunc succurrunt; eos qui circa essentiam divinam errant, non alium habere aut colere Deum; cultus religiosi objectum non includere tres personas in essentia divina; Judæos

non colere alienum Deum; cultum Jesu Christi ut Mediatoris, non esse absolute summum, sed cultui Patris subordinatum; Angelos in V. T. ut legatos DEI, fuisse adoratos; sub Lege Mosis odium erga inimicos proprios fuisse licitum, in religione Christiana demum prohibitum. Officiis, quæ omnibus Christianis ex æquo præscripta sunt expensis, tradit, quæ singulis juxta diversæ vitæ statum sunt necessaria. Istis præceptis Jesu Christi moralibus, subjungit Ceremonialia, ut vocat, sive Sacramenta, Baptismum & Cœnam Domini. Horum efficaciam omnem in significando collocat. Pædobaptismum non esse necessarium arbitratur, quanquam licitum habeat contra Anabaptistas. In Cœna sacra dari dicit merum panem & vinum, quæ tamen signa sint corporis ac sanguinis Christi, in quantum ceremonia illa fractionis panis, & effusionis vini adumbretur, qua ratione corpus Christi pro nobis sit fractum, & sanguis effusus. Hinc non solum Evangelicorum manducationem realem, sed & Reformatorum spiritualem explodit. Clausula libri est, hominem gratia DEI adjutum posse ea omnia præcepta ista perfectionis mensura implere, qua Deus eorum observationem sub æternæ condemnationis denunciatione a nobis exigit.

Liber Sextus promissa & minas Novi Fœderis enumerat. Initio quæstionem, an licitum sit spe præmii Deo obedire, affirmat multis argumentis. Promissa vero dicit respicere vel vitam hanc animalem, puta largitionem eorum, quæ ad nostri sustentationem sunt necessaria; vel vitam spiritualem. Et quidem quæ hanc concernunt, sunt actus divini, qui vel in hac vita, vel in futura implentur. Actus salutares, quos Deus in hac vita fidelibus confert, nominat Electionem, Adoptionem in filios, Justificationem, Sanctificationem, Obsignationem per Spiritum S. Electionem definit actum DEI, qui in tempore fit, quo fideles segregat ex impia pereuntium turba, & ex ordine damnandorum exemptos, velut in peculium suum seponit, & ordini salvandorum inscribit. Atque hoc modo electos, reprobos sua culpa fieri posse statuit. In justificatione hominis peccatoris coram Deo, negat justitiam Christi nobis imputari in justitiam propter Christum, sed vult acceptari justitiam nostram imperfectam pro perfecta, propter Christum, adeoque nos justificari operibus, inter quæ

quæ & fides est, evangelicis. Actus his oppositos, quibus Deus circa peccatores impœnitentes in hoc seculo occupatur, recenset, Reprobationem, Excœcationem & Indurationem. Post hanc vitam, negat animas piorum statim frui beata visione DEI, & impiorum animas mox infernali igne torqueri. Utrum eadem numero corpora sint resurrectura, an vero Deus corpora glorioſa eorum loco sit producturus, inter curiosas quæstiones, non necessarias, non utiles, numerat, censet tamen probabilius, eadem numero corpora resurrectura. Beatos non visuros essentiam divinam opinatur, sed splendorem quendam eximium a Deo diffusum.

Liber Septimus & ultimus Ecclesiam Jesu Christi sistit. Disceptationem, an Ecclesia V. T. eadem specie fuerit cum Ecclesia N. T. inutilem reputat. Excommunicationem pro instituto humano habet. Synodos nec ad bene esse Ecclesiæ absolute necessarias æstimat; ad decreta earundem neminem vult obstringi. *Mutuam* tandem dissentientium in dogmatibus non necessariis *Tolerantiam* persuasurus, pauca numero necessaria sancit, ac nonnisi ea, quæ vel in Scriptura clare ac perspicue extant, addita necessitatis nota, quorum summa in Apostolico Symbolo contineatur; vel sine quibus sanctimoniæ studium, aut æternæ vitæ spes subsistere nequit. *Per prius requisitum* necessariorum numero excludit 1. voces Trinitatis, personæ, ὁμοσίᾳ, & in materia de Sacerdotio Christi, meriti, satisfactionis vocabula. 2. quæ per obscuras ac subtiles consequentias eliciuntur, qualia multa sunt de DEO ac divina essentia, attributis ac decretis. 3. quæ clare in Scriptura exstant, sed non addita necessitatis nota. His accenset multas de Justificatione disputationes. *Per posterius requisitum* removet 1. pure speculativa, quæ nullam omnino ad pietatis exercitium relationem habent. 2. quæ ad praxin relata, utilitatem quidem habere possunt, non tamen simpliciter connexionem cum ea necessariam habent, v. g. quæstionem de pædobaptismo, de discrimine præceptorũ V. & N. T. utrum Jesus legem Mosaicam novorũ præceptorũ additione perfecerit. 3. quæ ex se arctam quidem & necessariã cum mandatorum divinorum observatione connexionem habent, quam tamen errantes, sive ignorantia quadam, sive judicii infirmitate non animadvertunt. Illustre hujus exemplum profert doctrinam de absoluta prædestinatione. Similiter circa præcepta morum *erroras*

alios exitiales judicat, qualis est Pontificiorum de cultu imaginum, & panis Eucharistici; eorundem & Reformatorum de hæreticidio; *alios non exitiales*, quales eorum, qui munus magistratus & juramentum Christiano illicitum credunt. Errores circa ceremonias, baptismum & cænam Domini, non fundamentales habet, modo idololatria Pontificia absit. Inter eos ergo, qui in non necessariis illis paucis ad salutem dissident, mutuam tolerantiam multis argumentis commendat, ostenditque qua ratione illa coli possit, ut unusquisq; prophetandi libertatem habeat, omnis confusio vitetur ac veritas conservetur.

Quanquam igitur non pauca in hac Theologia Christiana docentur, quæ displicebunt Theologis orthodoxis; iis tamen, quæ adversus Pontificios, Reformatos, Anabaptistas, Hugonis Grotii sententiam de Antichristo, perspicue & erudite dixit, laudem suam nemo negabit.

SOME ANIMADVERSIONS UPON A BOOCK intituled THE THEORY of the EARTH, by Herbert Lord Bishop of Hereford.

i. e.

Herberti Episcopi Herefordiensis Animadversiones nonnullæ in librum, cui titulus, THEORIA TELLURIS.

Londini, apud Carolum Harperum, 1685, in 8.

THomæ *Burnetii Theoriam Telluris Sacram* Latine conscriptam, quintoque abhinc anno publici juris factam, in Acta nostra anno sequente 1682, pag. 70 retulimus. Eandem non sine augmento *Anglice* editam Londini in fol. Regique dicatam anno 1684, nunc Lectorem latere nolumus, cum vernacula hac editione usus sit illius adversarius *Herbertus*, Herefordiensis Episcopus; cui cum videretur Burnetius ingenio variaque lectione contra Scripturæ autoritatem totiusque hactenus orbis fidem abuti, deliriaque e Gentilium, Epicuri præ-

præsertim, Marcionitarum item & Manichæorum, imo Atheorum lacunis hausta, ceu vera & divinitus tradita, magna cum animi confidentia Christianis propinare, indignum ipse censuit, Theoriam illam a quamplurimis applausu, a nemine animadversione exceptam fuisse. Unde quamvis jam secundum supra octogesimum annum ageret, nec nisi altero eoque satis hebeti oculo uti posset, sibi temperare non potuit, quin publico hoc scripto illam confutaret, ex quo aliquoties repetito commercio literarum (ad quarum etiam contenta liber hic subinde collimat, utut talia in ipsa Theoria revera haud extent,) Burnetium ad saniora perducere frustra tentaverat.

Dissertatio ipsa triplici sectione absolvitur. *Prima* quidem expenduntur dicta *II. Pet. III. 5. 6. 7. Proverb. VIII. 23. 28. Psalm. XXIV. 1. 2. CXXXVI, 4. 6.* quibus Burnetius suam telluris primævæ ideam superstruxerat, ostenditurque, ea præter, imo contra Autorum sacrorum mentem illuc detorta esse.

Sectione *altera* in destruenda explicatione *Diluvii* Burnetiana occupatus est Auctor. Scilicet, uti ex *loco Actorum nostrorum supra allegato* latius videre est, statuit Burnetius, exteriorem tum terræ crustam, (quam, post factam ex Chao diversæ naturæ particularum secundum innatam cujusque gravitatem separationem, ex materia oleosa, abysso aquarum supernatante, & delapsis in eam successu temporis aeris pulvisculis concrevisse ac induruisse vult,) nimio continuoque solis ardore fatiscentem rimas agere cœpisse, ac excitatis dein ab eodem sole ex abysso per rarefactionem vaporibus specie quadam terræmotus undique diffiluisse in frusta, atque his cum impetu in abyssum ruentibus, tantam aquarum inundationem contigisse. Ostendere itaque laborat Herbertus, hanc explicandi methodum *non esse necessariam*, cum *aut* aquæ supracœlestes (*Gen. I. 6. 7.*) & infracœlestes (*Psalm. XXXVII, 7.*) simul sumtæ eadem facilitate orbem tegere potuerint, qua primo mundi die ante separationem illam primævam eum texisse leguntur *Gen. I. 2*: *aut* aquæ infracœlestes divino miraculo (uti panes, quibus auditorum suorum famem explevit Servator) sensim multiplicari valuerint, nec indignior miraculo videatur παιολεθρία generis humani, ac victoria Josuæ adversus Amoræos, aut

aut sanatio Ezechiæ. Porro *nec Mosaicæ descriptioni consonam*, utpote quæ per gradus aquam crevisse memoret; *econtra totius Christiani Iudaicique orbis opinionibus adversam*, cum extra dubium tamen esse videatur, Noachidas exactam illius rei scitu, imo creditu maxime necessariæ memoriam ad posteros transmisisse; *multis denique absurdis obnoxiam* ostendit. Sic v. g. absurditatis arguit, quod juxta hanc sententiam, Solis calor per terræ ambitum seu crustam illam extrinsecam, quavis tamen nive millies profundiorem habitam, penetrarit in abyssi aquas usque, in regionibus etiam temperatis & Borealioribus, cum tamen camera arcuata terræ superficie viginti perticis profundior, in zona licet torrida, eidem hodie impervia deprehendatur: item quod tota terræ superficies imaginario isto terræ motu undique diffracta fuerit, nec rupturæ aliquot in zonæ torridæ regione, solis æstui maxime expositæ, sufficere potuerint vaporibus subterraneis emittendis, cum quilibet tamen terræ motus sedari soleat, ubi æstuantes vapores vel unico loco exitum nanciscantur: denique quod Noachus modo subsidente terra in abyssum dejectus, modo resilientibus terræ molibus undisve ad nubes propemodum rejectus, vitæ periculum non adierit, & quæ id genus alia sunt.

Sectione *ultima* sub examen revocatur Telluris Burnetianæ fabrica, probaturque primo, *non necessarium* esse cum Burnetio terram primævam undique uniformem & lævigatam statuere, eo quod hodiernæ telluris moles inæqualis, subesa, horrida, operis divini nomine indigna sit. Objicit enim illi Herbertus instantiæ vice Microcosmi corpus, membris variis, inæqualibus, externis, internis, extantibus, depressis, hirsutis, glabris, asperis, lævigatis, carneis, osseis constans, cujus præsertim intestina variam formam habeant, confusissimumque situm obtinere videantur. Sed & *injucundam* futuram fuisse telluris Burnetianæ faciem urget, cum vel sola nos varietas delectare soleat. Additur, *falsis* fabricæ talis commentum *principiis niti*, chao scilicet Epicuri, materia aliqua oleaginea, quintoque adeo elemento, aliis; *absurdorumq; feraciſſimam* esse, inter quæ sequentia familiam ducant: *quod* pisces & aves ex aquis productæ (*Gen. I. 20.*) ultra sedecim secula intra telluris carceres procul ab omni hominum conspectu latuerint; *quod* ita non hexaemeron, sed longissimum

simum temporis spatium Creationi impensum dici debeat, cum vix citius sedimentū terræ centralis subfidere, aqua abs oleo distingui, huic crassiores aeris particulæ inhærere, & sic in testam concrescere potuerint; *quod* tellus tanta pinguedine & fertilitate prædita fuisse feratur, ut animalia viva perfectaque sinu, sua sponte excluserit, cum tamen videatur tota fere lapidea fuisse, eo quod montium nostrorum cacumina, (quæ rudera terræ primigeniæ, in quibus non substantiæ sed situs tantum mutatio contigerit, Burnetio audiunt) durissima & solidissima offendantur. Improbabile quoque censet Auctor, particulas ob gravitatem ex aere delapsas oleo inhæsisse, nec ulterius, cum tamen graves ac terreæ essent, abyssum quoque penetrare potuisse: pariter, quod particulæ minerales & metallicæ tam inæqualiter, ut hodie in fodinis reperiuntur, olei partibus immersæ fuerint; quod Telluris planeta ob vicinorum planetarū pressionem e sphærico ovalis evasisse perhibeatur, cum tamen sphæræ duæ se invicem comprimentes, in circulum potius extendi soleant æqualiter, non in ovi figuram. Nec minus denique absurda Herberto videtur Burnetii ratio deducendi rivos paradisiacos, per superficiem terræ perfecte sphæricæ aut æquabilis: pluviam enim, quam ille versus polos tantum æqualiter placideque delapsam unice fluminibus istis materiam sufficisse credit, aut æqualiter a terra hauriri, aut æqualiter per omnia terræ, exacte scilicet lævigatæ, puncta promanare debuisse, nec sic ullam ad hunc illumve terræ tractum in fluminis alveum excavandi vim habere potuisse, Auctor noster autumat.

LIBRI NOVI hoc anno impressi.

Historia plantarum, species hactenus editas aliasque insuper multas noviter inventas & descriptas complectens; Auctore Joh. Raio. Tomus I. Londini, in fol.

Journal du Voyage du Chevalier Chardin en Perse & aux Indes Orientales, par le Mer noire & par la Colchide. Premiere partie, qui contient le Voyage de Paris a Ispahan. A Londeus in fol. Il se vend a Lipsic chez J. F. Gleditsch.

The

The Life of James Usher late Lord Arch-Bishop of Armagh: VVith a Collection of three hundred Letters betvveen the ſaid Lord and moſt of the eminenteſt perſons in his time. Published by Richard Parr. London in fol.

Aſtro-Meteorologica: or Aphoriſm's and Diſcourſes of the Bodies Cœleſtial, their natures and influences; collected from the Obſervation at leiſure times, of above thirty years; by J. Goad. London in fol.

Several Chirurgical Treatiſes: by Richard VViſeman, Sergeant-Chirurgeon. The ſecond edition. London in fol.

Hugonis Grotii Epiſtolæ. Amſtelod. in fol.

Theſaurus Linguæ ſanctæ, ſive Concordantiale Lexicon Hebræo-Latino-Biblicum, in quo Lexica Hebraica omnia huc usque edita ſuccincte exhibentur, una cum Concordantiis Hebraicis; auct. Gul. Robertſon. Londini in 4.

Diſquiſitio Theologica de Charitate ad obtinendam veniam peccatorum in Sacramento Pœnitentiæ per contritionem neceſſaria. Embricæ, in 8.

Angliæ Notitia, ſive præſens Status Angliæ ſuccincte enucleatus, auct. Thoma VVood. Oxonii & Amſtel., in 12.

Hiſtoire du Monde, par. Mr. Chevreau. a Paris in 4, voll. 2.

La Science & l' Art des Deviſes dreſſez ſur de nouvelles regles, par le P. Meneſtrier de la Comp. de Jeſus. a Paris in 8.

D. Petri Stockmans Opera, quotquot hactenus edita fuere, omnia. Bruxellis.

Ad Guilielmi Cave Chartophylacium Eccleſiaſticum Paralipomena, autore Paulo Colomeſio Bibliothecæ Lambethanæ Curatore. Londini in 8.

Reflexions ſur les differens de la Religion avec les preuves de la Tradition Eccleſiaſtique. a Paris in 12.

Hiſtoire des Avanturiers & des Boucaniers, par Alexandre Olivier Oexmelin. a Paris 2. voll. in 12.

La Morale du Monde, ou Converſations, par M. de S. D. R. ou Scuderi. a Paris 2. voll. in 12.

La Morale de l' Evangile, ou l' on traite de la Nature de la Vertu Chrétienne &c. traduit de l' Anglois de Mr. Lucas. a Amſterdam in 12.

Inſtructions Crétiennes ſur les Sacremens & ſur les ceremonies avec leſquelles l' Egliſe les adminiſtre. a Bruxelles in 12.

Avertiſſement charitable a ceux, qui compoſoient autrefois les Egliſes de Poitou &c. a Cologne in 12.

Orophile en deſordre, ou L' Art convaincu d' impoſture dans l' uſage de la Seignée. a Cologne in 12.

(o)

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Novembris, Anno M DC LXXXVI.

DON ISAACI ABARBENELIS COMMENTARIUS in Prophetas priores, h. e. Joſuam, Judices, librum utrumque Samuelis & Regum.

Acceſſerunt indices Latini locupletiſſimi.

Lipſiæ, apud M. G. Weidmannum, 1686, in fol.

EX quo literæ inter Judæos Occidentales, Chriſtianorum æmulos, exſplendeſcere cœperunt, duo præcipua in iſta caligine effulſere lumina, *Maimonides* atque *Abarbenel*, Hiſpani. Neutri rara defuit doctrina, excellens ingenium, gravis prudentia, nobiliſſima literarum præſidia. Nec minus ſummis uterque rebus præfuit in aulis Regum atque Principum. Ut ſuo hi nominis ſplendore & vaſtis literarum monumentis, ſuſpenſam teneant hactenus longam doctæ æque ac imperitæ gentis Judaicæ catervam, quam inani ſpe alius, quam per Jeſum Chriſtum factæ, liberationis vel ſoli lactant. Et tam late quidem gemina hæc lux radios ſuos ſparſit, ut & Chriſtianorum oculos perſtrinxerit, eorundemque vultum in ſe converterit. Ea quippe gens, cui Hebræa lingua fuerat vernacula, & quam antiquitatis Judaicæ eſſe peritiſſimam eſt conſentaneum, magnam fontibus ſacris lucem non ſine cauſa hactenus promiſit: dum & ritus ſacri, & Hebræa phraſis, propter obſcuram ſuam antiquitatem illuſtrari magnopere deſiderant. Sicuti vel recentiſſimæ de Hebræorum legibus controverſiæ maximam partem illis duobus Doctoribus debentur. Accedit, quod Chriſtia-

norum interfit, arma & machinas noſſe, quibus ſe Judæi jam olim in hunc usque diem adverſus Eccleſiam muniverunt; quæ vel extorquenda, vel in eorum met ſalutem ipſis opponenda, ſi qua ad Evangelicæ veritatis confeſſionem perducantur, ac per Jeſum Chriſtum tandem nobiſcum ſalventnr. Sic paſſi ſunt Doctores Chriſtiani, ſua caſtra ab illis luminibus eminus irradiari.

Etſi vero hi Rabbinorum principes de palma, apud Judæos non minus ac Chriſtianos obtinenda, inter ſe decertent, & autoritate ac gloria ſibi vix cedant : parum tamen abeſt, quin ætate poſterior *Abarbenel* Maimonidi eam præripiat, vel ob ſolos in Scripturam Commentarios luculentiſſimos. Maxime vero ſi attendatur, *Abarbenelem* diu a Maimonidis obitu, multis ac duriſſimis perſecutionibus exhauſtæ penitus genti, ac deſperationi proximæ ultimum reddidiſſe ſpiritum, quem hodienum trahit. Id quod præter hiſtoriam, & librorum ab eo conſcriptorum nervum, pertinax quoque gentis jactantia, & vel noviſſima Uri Veibes Hebræorum fontium verſio Germanica, ſatis abundeque docent. Perſuaſiſſimi namque ſunt, hunc Doctorem cuncta Chriſtianorum argumenta ſolidiſſime ſolviſſe, ut nulla elabendi rima ſuperſit, omnemque eorum doctrinam funditus evertiſſe. Nec niſi magna de hocce ſuo heroe venditat gens palabunda, non vulgaria in eo quærens fictæ ſpei glorioſi redemptoris præſidia.

Illuſtrem illius ex Davide Rege proſapiam jactat populus in exilio ſuo arrogantiſſimus : nec diſſimulat ipſe *Abarbenel*, ſuæ gentisque exulantis gloriæ quam tenaciſſimus. Siquidem in *Commentario in Zachariam cap. XI. fol. 293. col. 4. fin.* a R. Aben Eſra & R. Benjamin relatum quidem meminit, in celebri *Orientis* urbe *Bagdad* Davidis ſupereſſe poſteros, cum antiquis libris genealogicis : fide vero R. Iſaac Ben Geath nobiliorem progeniem Davidicam, familiæ ſuæ charactere inſignem, in *Occidente* celebrat : dum ſub primi templi παvολεθρίαν duæ in *Hiſpaniam* ex ſtirpe Davidica ſint delapſæ familiæ, quarum una בני דאוד *Lucenæ*, altera בני אברבנאל *Seviliæ* ſedem acceperit, poſteritatemque propagaverit : cujus migrationis hiſtoriam contexuit Autor in *Comment. in 2. Reg. 25. f. 305. col. 2.* Quanquam *R. Salomo ben Virga* in *Schevveth Jehuda* fol. 11. ſeqq. non diffiteatur, Alphonſum Luſitaniæ Regem, Thomæ, migrationem iſtam fuſe diducenti,

centi, ac regiam Rabbini originem adſtruenti, adduci non potuiſſe ut crederet, qui genealogias dubiis ἀπερφήτοις implicitas urſit. Ut caute agant poſteri, qui libros Abarbenelis Genealogicos, in exiliorum, quæ ſubiit tantus vir, tumultu deperditos affirmant. Ceterum e majoribus Noſter *Caſtellam* Hiſpaniæ, ex parentibus *Olyſſiponem* Luſitaniæ agnovit patriam, lucemque hanc vidit anno mundi 5197, ſive a nato Chriſto anno 1437, patre uſus Jehuda, avo Samuele. Ibidem educatus, inſtitutus, atque ad ſummas in aula dignitates ab Alphonſo Rege evectus, honorum culmen tenuit usque ad annum ætatis ſuæ quadrageſimum quintum, quo Rex Alphonſus vivere deſiit, ac eundem vitæ ſuæ & Abarbenelis fortunæ terminum poſuit. Johannes enim regni hæres, imperium capeſſens, parentis defuncti ſummos miniſtros, interque eos Abarbenelem, non honoribus ſolum exuit, ſed &, ſi fides *Autori* habenda in *præfat. in Joſuam*, eorum necem paravit, hoc prætextu, quod inſidias, quas ſibi ſuoque regno, quod Hispanis eſſent tradituri, ſtruerent, inſidiis eludere teneretur. Harum rerum inſcius initio Abarbenel, nil minus quam cædem metuens, ad Regem adventum maturare juſſus, in itinere vero in diverſorio de machinis atque inſidiis certior factus, fuga ſalutem in nocte intempeſta quæſivit, & circa mediam alterius diei nocte regni Caſtellæ fines attigit. Rex videns, milites ad prehendendum vivum vel cæſum advehendum fugientem miſſos, fruſtra laboraſſe, ac Abarbenelem evaſiſſe, omnes ejus opes atque facultates invaſit. Inchoaverat Olyſſiponæ *Commentarium in Deuteronomion* : ſed in fuga occupato e muſeo ſurreptum una cum reliquis libris, conqueritur in *Præfat. in Deuteron.* Sed non prætereundum, eſſe Chriſtianos, qui ingentis hujus infortunii & exilii duriſſimi cauſam in ipſummet Abarbenelem devolvant, eumque ſuæ fortunæ fabrum dicant. Quippe quod Johannes, Luſitanorum Rex, agnita Judæi malitia, hunc a ſe repulerit, gravius etiam in eum animadverſurus, niſi ab innata humanitate fuiſſet prohibitus. Abarbenelem igitur criminum conſcium, & a propria conſcientia accuſatum, ſolum vertere Luſitanicum conſtituiſſe, proindeque noctu aufugiſſe, ſeque in Caſtellæ regnum citius quam credi poſſit, contuliſſe. Quicquid ſit, exul, ſede in Caſtilienſi regno quæſita, docendo ac ſcribendo vitæ aliquod tempus illic transegit A. C. 1484. Et eo quidem anno exaravit *Commentarium in tres priorum Prophetarum*

libros, Josuæ, Judicum, Samuelis. Posthæc a Ferdinando Catholico, Hispaniæ Rege, in aulam adscitus, & inter ministros cooptatus. Quo in honore versatus est octennio, usque ad A. C. 1492. Quinquagesimum jam & quintum agens annum, acerbiora fata est expertus. Siquidem eo tempore, quo Granatæ regnum Mauris eripuerat Rex, ferale decretum fuit cusum, devotionis & erga Deum observantiæ ac gratitudinis testandæ causa, Judæos intra trium mensium spatium vel baptismatis lavacro tingendos, vel regno ejiciendos esse. Abarbenel suæ universæque gentis salutis studiosissimus, supplex apud Regem intercedere non intermisit, operam vero omnem perdidit, Regina inprimis Elisabetha precibus ejus adversante. Quanquam neque hic desint ex Christianis, qui majoris hujus quoque mali autorem faciant ipsum Abarbenelem, qui pecuniariam mercaturam in regno Castellæ faciens, hac via aulam sit ingressus, artibusq; Judaicis callidissime exercitis, divitias multas aurique ingentem summam cumulaverit, potestatem tyrannicam in pauperes exercuerit, usuris omnia corroserit, magnificos & illustriores titulos, solis nobilibus & ingenuis Hispaniarum familiis debitos, superbe ambierit: indeque, cum religionis Christianæ iniquissimus esset hostis, ipse potissimum inter reliquos Judæos effecerit, ut excidium sibi familiæque suæ, & toti Judæorum populo pararetur. Dum itaque in exilium pulsa CCCmillia Judæorum, Noster cum sua familia altera vice profugus, navi in *Italiam* vectus est, appulitque *Neapolim* A. C. 1493; ubi eodem anno *Commentarium in libros Regum* confecit. Et hic in aulam Ferdinandi, & post hunc Alphonsi Regis penetrat, consuetis, ut iterum aliqui opinantur, artibus, cum veteranum aulicum, rerumque Lusitanorum & Castellæ Regum apprime peritum se jactaret. Quiete paulisper potitus, mox tertium fit exul. Carolus enim VIII. Galliæ Rex, ab obitu Ferdinandi, Neapolitanorum Regis, bello regnum Neapolitanum suo subjiciens imperio, Alphonsum regno ejecit, ac *Messenem* in *Siciliam* concedere adegit, cumque eo Nostrum, individuum illius comitem. Sic direpta iterum supellectile & libris perditis, Alphonso quoque morbo paulo post extincto, incertis sedibus est jactatus; usque dum navi denuo se credens in maris Jonii insulam *Corcyram* deferretur. Istic hospes *Commentarium in Esaiam* inchoavit A. C. 1495, sed propter alios scribendi labores filum abrupit. Magni interea fuit gaudii materia, cum in eum, quem olim Olyssiponæ inceperat in Deuteronomion Commentarium, sibique ereptum doluerat, hic fato quodam incideret. In *Italiam* redux, *Monopolim* in *Apulia* elegit, ubi, tanquam in asylo, tuto delitesceret, & Gallorum injurias effugeret. Diu hic latitans *Commentarium in Deuteron.* absolvit, A. C. 1496. Conscripsit etiam libros *Sevach Pesach*, & *Nachalath Avoth.* Sequenti anno 1497, edidit *Majene Hajeschua.* A. C. 1498 perfecit *Commentarium in Esaiam*, & concinnavit *Maschmia Ieschua.* Hinc, comite altero filio Josepho, *Venetias* concessit, lites inter Venetos & Lusitaniæ Regem ob aromatum mercimoniam motas, compositurus. Ad consilia igitur arcana admotus, sua prudentia maximam apud primates iniit gratiam. Composuit hic *Commentarium in Ieremiam A. C. 1504*, &, ex quorundam sententia, in *Ezekielem & duodecim Prophetas minores*; similiter in *Exodum* A. C. 1506. Senio tandem confectus, ibidem diem obiit supremum A. C. 1508, cum ipsum luce hac frui contigisset annis septuaginta & uno: relictis filiis, *Iehuda*, Medico & insigni Poeta, qui variis poematibus parentis merita & scripta illustravit, *Iosepho*, ac *Samuele*, quem Christianam fidem Ferrariæ suscepisse, & de nomine Ducis illius urbis Alphonsum cognominatum ferunt: nominis quoque celebritate partam monumentis literariis præter superiora non paucis, nec minoris momenti, quorum alia lucem nondum viderunt, pleraque tamen manibus versantur. Quibus annus & locus assignari nequit, ut reliquis, hæc innotuerunt: *Commentarii in Genesin*, *Leviticum*, *Numeros.* *Rosch Amana.* *Sepher Jeschuoth Meschicho*, de Majorum traditionibus, Messiam concernentibus. *Zedek olamim*, de hujus & futuræ vitæ pœnis ac præmiis. *Sepher Jemoth Olam*, historiam ab Adamo ad illa tempora complectens. *Maamar Machase Schaddai*, de Prophetia adversus Maimonidem. Item adversus eumdem *de Visione Ezekielis.* *Sepher Atereth Sekenim.* *Miphaloth Elohim.* *Sepher Schamaim Chadaschim.* *Lahakath Nebhiim.* Exequiæ a Venetorum magnatibus & Judæorum primoribus non sine pompa celebratæ. Corpus vero *Patavium* vectum, inque cœmeterio antiquo, extra urbem sito humo fuit mandatum; cujus latus mox claussit R. Jehuda Menz,

Academiæ Rector, proximis illis diebus defunctus. Monumenta tamen mœnibus vicina mox A. C. 1509 ex obsidione urbis Patavii diruta sunt & distracta, ut sepulcreta nec hodienum internosci ac distingui queant. Ita extinctum Venetiis hoc lumen, inter Judæos enatum, quando majus atque splendidius in Ecclesia Christi in Saxonia oriebatur, quod Evangelii radios in totum orbem subito sparsit. Inciderat ergo in eam ætatem, qua cum nobili arte typographica, elegantiores literæ in Italia & Germania e barbarie inter Christianos resurgebant, & in omnibus artibus præclara ingenia promicabant: fecitque adeo inter suos quoque Abarbanel, in tanto negotiorum publicorum strepitu, exiliorum continuorum tumultu, traditionis præcipue Judaicæ densissimis tenebris, quod Judæus potuit. Dum rem Christianam attigit in suis scriptis, nullus crassior & blasphemiæ spiritu turbulentior: dum antiquitatem & phrasin enarravit, nullus subtilior atque sincerior. Planus ubique & perspicuus. Magistrorum verbis non, nisi ubi placent, addictus. Nec in Christianorum scriptis hospes. Libertate judicii usus, nunc laudat, mox damnat, AbenEsram, Maimonidem, Kimchium, Nachmanidem, Albo, aliosque, Judæos æque ac Christianos, prout suis rebus inservire viderit. Plagio literario infensissimus: ut Kimchium sæpe aliosque ejus vitii arguere non vereatur. Exiliorum vero calamitate pressus, ac Judaicæ Synagogæ afflictissimæ amore, inque Christianos furore ad calamum compulsus, omnes suos prope libros atque Commentarios doloris ac indignationis sensu tinxit, & ad præsentem iniquissimæ fortunæ conditionem omnia traxit; hoc fine, ut expiranti Synagogæ vitam redderet, ac desperationi communi remoram injiceret.

Ceterum clarissimi hujus Judæorum luminis, a quo Christiani Doctores antiquitatis lucem non omnino nullam haud inviti sæpe mutuantur, memoriam, recens diu desiderata *in Priores Prophetas Commentarii* luculenti & curiosi editio, quam erudito orbi dedit *Lipsia*, refricavit. Persuasum itaq; erat, perelegantem illam, & Christianorum usibus apprime nunc accommodatam Commentariorum horundem editionem, haud dedecere *Abarbenelis* imaginem operi præfixam. Eam vero non arte sculptoria, sed historico stylo exaratam atque expressam hic dare, non ingratum

tum lectoribus fore credidimus. Omnis autem hujus operis ornatus, eximiaq; in Lipsiensi hac editione supellex, lectorum usibus perquam apte inserviens, debetur, cum viro Maxime Reverendo *D. Pfeiffero*, Academiæ nostræ Prof. Publ. & Ecclesiastæ celeberrimo, qui & præstantiam Commentarii, & elegantiam operis, dignis elogiis in præfatione exornavit: tum literarum harum parastatæ *Friderico Alberto Christiani*, proselyto nostro, meritis in hæc studia satis claro, qui vigilem splendidi apparatus curam in se suscepit. Non charta solum mundissima, sed & typi nitidissimi elegantissimique oculos lectoris oblectant. Sed & textus a mendis, quibus prior editio scatet, solicita opera est purgatus: ut lectorem non amplius remorentur horridæ asperitates, sed recta ubiq; expressio mentem lectoris velut per planum campum sine hæsitatione suaviter abripiat. Præterea, ut omni modo lectorum commodis serviretur, ipsi Commentario nitida fuit induta forma, qua Christianorum Commentarii ob variam distinguendi curam superbiunt. Nec enim Judæi in suis Enarrationibus versus, quos exponunt, signo aliquo a reliquis discernunt, ut annotationum in singulos versus initia cito reperiri queant: neque contextum ullo modo distinguunt: neque Scripturæ loca, quibus utuntur, notant: neque Rabbinorum, quorum testimonia vel sententias allegant, libros, capita, folia, distincte commemorant: ut tanquam rude chaos plerumque alias appareat commentatio Rabbinica, si cum Christianorum arte & industria componatur. Vestis ergo elegantior, Christianis Scriptoribus, doctrinæ politioris studiosissimis usurpata, Abarbeneli circumjecta deprehenditur. Adjuvat igitur lectoris promptitudinem in hac editione versuum Biblicorum in margine notatio, non ad textum solum Hebraicum seorsim positum, sed in Rabbinico obvium: ut occupatus lector mox reperire possit locum enarrationis in quemvis versum, quem desiderat. Majorem adhuc lucem perspicuitati affundit accurata contextum distinguendi ratio, Latinorum formæ æmula, per commata, puncta, interrogandi, exclamandi, & parentheseos signa. Posthæc cum Scriptores Christiani stylum curate forment, ut nec redundet facile quippiam, nec deficiat, quod intellectioni & facilitati

litati obsit: Judæi ex adverso literis minus imbuti, haud raro orationi inserant superflua, & necessaria omittant, ut lectorem stylus ille nonnunquam teneat & offendat: & huic morbo medela fuit prudenter adhibita; non textui Rabbinico vim inferendo, sed signis hisce ( ) [ ] quæ redundare vel deesse videbantur, includendo. Id quod equidem in aliis jam tentaverant Judæi exteri. Præclarius superest editionis hujus ornamentum, dum libri, capita, & versus eorum locorum, quæ aliunde ex Scriptura sunt citata, in margine notantur. Nec minus libri, capita, folia & columnæ designantur, unde frequentes veterum Rabbinorum sententiæ repetuntur, & vage plerumque, sine mentione libri & capitis, memorantur. Immensus igitur, quem lector continuo alias subire cogitur, evolvendo tam vasta volumina, ut sententiæ sedes inveniatur, hic exhaustus est labor. Scriptionis compendia in hac citatione adhibita, in præfatione a laudato *Christiani* explicantur. Neque vero hoc prætereundum: cum Abarbenel, vel quod suæ memoriæ aut aliorum allegationibus fideret nimis, vel quod sufficienti supellectile libraria non esset in exilio ubique instructus, plus simplici vice lapsus fuerit, hunc pro alio substituendo librum; & hæc impedimenta studiose sunt remota, exhibitis ubique genuinis libris & locis. Quæ restitutio a reliquo textu est separata, ac signis parentheticis quadratis inclusa. Ne quid porro vel decori vel usui deesset, potiora argumenta ad oram chartæ sunt signata, exemplo iterum Doctorum Christianorum. Postremo duplex index operi subjectus, Scripturæ locorum extra ordinem positorum, & rerum ac verborum maxime notabilium. Indefessa proinde diligentia, in exornando hoc opere adhibita, exemplum existit manus Christianæ, edendis Rabbinorum libris cum fructu admovendæ, nec minus studii Christiani, in hoc etiam literarum genere Judæis exercitatissimis nihil quicquam cedentis, sed vel eos superantis.

R. ISA-

R. ISAACI ABRABANELIS COMMENTARIUS in Hoseam, cui & præmissum Proœmium in duodecim Prophetas minores, Latinitate donatum, una cum notis suis ab Francisco ab Husen.

Lugduni Bat. apud Joh. de Vivie 1686, in 4.

CElebrati modo R. Abarbenelis fama non solummodo Christianos in sui amorem pellexit, ut scripta ejus Doctorum manibus frequentissime terantur: sed & ansam dedit aliis, integros ejus libros, vel nobiliores eorũ particulas in Latinam transfundendi linguam. Quin ad examen etiam suarum hypothesium viros doctos invitavit. Hos inter novissime locum sibi vindicavit Cl. Autor. Id enim egit, ut longiusculum Abarbenelis in duodecim Prophetas minores proœmium, ut & integrum in Hoseam Commentarium Latio donaret, non verba, sed sensum expressurus, quo liceret Latinis auribus aliquid indulgere. Versioni subjunxit notas, in quibus non omnium quidem, ne opusculum nimis excresceret, & esset, quo suum ipse judicium lector exerceret, sed præcipuarum atque obviarum sententiarum, quibus Abarbenel delectatus est, examen vel explicationem instituit: non tam rationibus, quam proprio inprimis vel gentis suæ gladio Abarbenelem, ubi opus, confodere annisus. Brevitatis gratæ, quantum res permisit, ubique studiosus. Novam præterea Hebræi textus versionem, non quam veritas postulabat, cum aliena tractaret, neque ex suo cerebro effictam, sed ad mentem Abarbenelis compositam, adornavit, eamq; per partes suis locis Commentationibus Autoris præmisit.

HISTORIA NATURALIS MOLARUM UTERI, auctore Joh. Bapt. de Lamzvverde, Med. D. Colonienſi & in Ubiorum Universitate P. P.

Lugduni Batavorum, apud Petrum vander Aa, 1686, in 8.

QUid Clar. auctorem ad hanc commentationem impulerit, ipse in Dedicatione aperit. Voluit nempe diu vexatas quæstiones de molis virginum, & sagarum a Diabolo prægnatione ad imum resecare, & utriusque falsitatem ostendere. Et erudite quidem præstitit, dispescens librum in 29 capita, quorum hic summam damus. Cap. I. agit de varia variorum definitione molæ, simulque recenset, qui asserant, quique negent virgineæ molæ conceptum, quorum litem componi posse judicat adhibita distinctione inter molam generationis & nutritionis. Illam esse substantiam carneam in uteri capacitate productam: hanc vero quemvis illius tumorem citra conceptionem. Cap. II. distinctionem hanc probaturus, quod ad molam nutritionis, ait a nemine dubitatum esse, an tumores carnei ex ipsa uteri virginei substantia oriri, ejusque parietibus qua internis, qua externis adnasci possint. Suis enim se oculis usurpasse ejusmodi molas, in virgine alteram moniali, quæ dissecta loco uteri tumorem scirrhosum ferro vix cedentem pondo 18 librarum exhibuerit; alteram in puella 11 annorum, testiculo per pedunculum annexam 15 librarum pondus æquantem, cujus figura in Blasii observationibus Anatomicis jam prostet. De mola generationis monet, quod sit imperfectus conceptus, semperque carnosa, nunquam flatuosa, vel aquosa. Hinc impugnat communem Practicorum divisionem in molas sanguineas, aquosas, carnosas, ventosas, scirrhosas &c: quia semen utriusque sexus ad conceptionem requiratur, ita ut molæ productio sit species conceptionis, cujus actus nec flatu, nec aqua absolvatur. Hanc autem generationis molam in mobilem sive vivam, & immobilem sive vitæ expertem dividit, intelligendo tamen non veram vitam, utpote quæ citra cor, tanquam vitæ radicem & principium non detur; sed tantum varias vibrationes & contractiones in quibusdam partibus, vel sanguinis spirituumque quendam peristalticum motum, qui vitam aliquatenus adumbrare videatur. Hinc vanitatem, ait, traditionum & fabularum a fœminis allatarum, ac si molæ quædam glirium aut felium instar parietes aut fenestras ascendant, facile apparere. His positis inquirit causas hujuscemodi conceptus imperfecti, & cap. III. digreditur in contemplationem seminis generalem, ubi ex antecedentibus concludit: semen esse congeriem

riem minimarum particularum rudimentum omnium partium corporis, in quo colligitur, continentium, cum determinatione motus proprii fluidi intus concluſi, quo singula partium stamina debita proportione ex convenienti alimento sensim in requisitam molem extendantur. Hinc vero cap. IV. pressius rimatur ipsam substantiam seminis Physicam, atque veritatem axiomatis, quod iisdem nutriamur, ex quibus constamus, ita agnoscit, ut per conversionem quoque valeat, nos iisdem constare, ex quibus nutrimur. Eandem adeo esse generationis & nutritionis materiam asserit, ut scilicet minimæ particulæ e massa sanguinea secretæ, quibus singulæ nutriuntur partes, eadem figura, magnitudine, situ debeant esse circumscriptæ, quibus fuerint adaptatæ, cum partes ex iis generarentur. Sic generationem saltem consistere in illa actione, qua prima partium in semine efformata stamina in colliquamento justo ordine debitoque situ collocantur: verum cum dicta stamina increscunt, & in majorem molem extenduntur, ipsissimam nutritionem esse. Itaque deducit hinc Physicam seminis substantiam esse ipsissimas proximi alimenti ad vitam suscipiendam ultimatim (sic enim loquitur) elaborati particulas, quæ in certis capsulis vel vasis generationi dicatis, ad statū fixionis redactæ ibidem pro speciei propagatione in tempus opportunum reserventur. Specialius vero cap. V. dicta applicat semini humano, ubi rejecta seminis in testibus coctione, & asserta fusius particularum ejus in singulis partibus figuratione, plura de ideis, item de primo & secundo elemento microcosmi, vel globulis sive spiritibus vitalibus, & ex eorum ramentis enatis spiritibus animalibus, item de tertio elemento, quod ad crassiores seminis particulas figuris ad motum minus aptis præditas interpretatur, subtiliter differit. Et sunt certe tam in hoc, quam insequentibus cap. 6. 7. 8. & 9. ubi de utriusque sexus semine agit, permulta lectione digna, in compendio hic non memoranda. Inveniet Lector plura de duplici semine masculino, germinoso & alimentoso; de usu & differentia seminis masculini & fœminini; de nascentium sexuum in moribus variantium ratione; de testibus muliebribus, qui ovarii nomen nequeant sustinere; de substantia seminali, quæ ovum non possit commodevocari; de principio, quod in genitura motum producit; de

distinctione sexus in genituram introducenda a matris imaginatione; de circulari seminis in sanguinem regressu &c. His ita omnibus suppositis in orbitam redit, ac cap. X. de molarum causa materiali disquirit, quam semen utriusque sexus certis particulis destitutum in uteri aream effusum statuit, ita ut sanguis menstruus affluens materiam nutritionis suppeditet. Efficientem vero causam molæ cap. XI. non aliam agnoscit, quam virtutem seminalem utriusque sexus unitam, in ipso spumoso spermatis fœcundi corpore residentem, quæ consistat in certo motu corporeo semini a parentibus impresso, ita tamen ut efficiens primaria sit virtus seminis masculini, secundaria fœminini. Hinc cap. XII. procatarcticam molarum causam vocat omne illud, quod in genitura defectum particularum ad cordis fabricam necessariarum procurare, vel earum convenientem situm, illarumve in motu ad partes debite extendendas progressum impedire potest. Unde causas quatuor proximas molarum enumerat: (1) defectum in genitura particularum ad cordis machinam necessariarum. (2) earum amissum vigorem, vel quod virtute seminali destitutæ sint. (3) pravam earundem situationem, ac (4) externam sive violentam compressionem. Atque has singulas seorsim diversas habere posse causas remotas. Locum vero, in quo generentur molæ, cap. XIII. determinat solum uterum, variasque auctorum fabulas, de fœtibus aliunde exclusis refutat, ac tubas Fallopianas, in quibus quandoque conceptio facta, ad uteri partes refert. Cap. XIV. de tempore gestationis discurrens, rationem reddit diuturnæ molarum in utero moræ, ac concludit deinde, quod illæ per plures annos sine putredine jus incolatus in eo queant possidere, imo ad exitum vitæ persistere. Cap. XV. multiformes dari molarum figuras novem historiis evincit; signa vero, quibus an molam vel fœtum gestet mulier, cognosci queat, cap. XVI. recenset. His deinde subjungit cap. XVII. curationem, cautelam suggerendo Practicis, ne nimis diu hæreant in medicamentorum per os assumptione, atque si purgantia in usum vocent, illa potissimum eligant quæ simul emetica sunt; hinc ad pessaria, clysteres uterinos, suffimigia, vaporaria deveniant, cum his topicis magis fidendum arbitretur, quam pharmacis per os ingestis. Imo in manuali operatione Chirurgica ab Harvæo in suis observationibus de partu tradita

dita, efficaciorem & certiorem molas curandi consistere methodum omnino existimat. Cap. XVIII. prolixe disputat, an virgo absque maris copula possit generare molam? Negat; & cap. XIX. pariter demonstrat, nec viduas posse concipere molam virtute mariti defuncti relicta in utero, sine novi maris auxilio, sicut cap. XX. ostendit, quod nec virgines & viduæ, nec conjugatæ mulieres viribus imaginationis molam gignere possint. Imo cap. XXI. Averrhois & Amati Lusitani aliorumque errores & detegit & refutat, qui virgines viduasque per attractum in balneo semen a viro effusum, item per accubitū mulieris brevi antea cmu marito congressæ concepisse, aliisq; modis sperma masculinū a matrice allectum conceptioni inserviisse falso tradiderunt. Operose autem non minus, quam erudite cap. XXII. ostendit, Diabolum vel dæmonem incubum non posse virtute sibi congenita ex semine præciso in virgine vel vidua succuba suscitare prolem vel molam, cum in actu generationis longe plura requirantur, quæ diabolus nec procurare, nec imitari possit. Imo piaculum esse ait statuere, dæmonem tale quid præstare posse, cum ipsa Deiparæ conceptio possit h. m. impugnari, ac asseri, Angelum Gabrielem, cum annunciaret conceptionem, simul Mariæ uterum impleviisse semine præciso. Ad hæc si dæmon incubus præstare queat officium viri, nullam apparere rationem, cur non ipse valeat puerperæ munus subire, cum non plura requirantur impossibilia ad nutritionem fœtus in dæmone succuba, quam ad generationem per incubum. Cap. XXIII. & XXIV. quæstionem ventilat; an animalia bruta molis æque sint obnoxia ac mulieres? & affirmativam amplectens docet id quidem rarius contingere. Pergit autem cap. XXV. disquirere, num ex semine humano alia animalia & insecta in utero muliebri generari possint? atque prolixa demonstratione evincit, nullos leones, canes, feles aliaq; animalia, quæ intra uterum gestantur, ex genitura humana ulla putrefactionis aut corruptionis specie, aut ullis imaginantium matrum viribus in utero muliebri generari posse: illa vero animalcula & insecta, quorum virtus seminalis in ovis diu incorrupta delitescere potest, si illa indigesta ventriculi actionem sustinuerint, & vasorum lacteorum oscula cordisque thalamos transierint, ac cum sanguine circulante per hiantia vasorum uterinorum orificia

cia viribus integris in matricis sinum deponantur, vel quod muscæ aliave insecta in fœminarum sub dio dormientiũ uterum exterius ingressa ejus interiores parietes ovis suis aspersérint, ibidem excludi posse. Obiter quoque annotamus h. l. elegantem observationem pag. 312 recensitam, qua auctor memorat, se in gravidæ immediate ante partum exspirantis cadavere vidisse naturalem fœtus aquæ innatantis involucrisque concluſi situm tanta transparentia, ut omnes considerandas hujus operis circumstantias perspicue intueri potuerit. Cap. XXVI. fusius deducit, quod ex semine humano in uterum fœmellæ brutæ injecto, generatio non solum ex causis concurrentibus, sed ex intrinseca seminum natura juxta ordinarium naturæ cursum impossibilis sit. Nam cum in generatione accurate & exacte singulæ seminis utriusque sexus particulæ, earumque lamellæ in figura, situ & ordine correspondere debeant, antequam calor naturalis, ut generationis auctor, producatur; in congressu hominis cum bruto, v. gr. vacca, substantiæ seminis utriusque dissimilitudinem impedire, quo minus genitalis effervescentiæ motus sive calor excitetur, multo minus conservetur. Cum itaque ostenderit, virtutem seminis humani masculinam non posse semen bruti v. g. vaccæ, in actum deducere, ut nascatur ejus aspersione vacca; proinde cap. XXVII. demonstrat, multo minus vim seminis belluini masculinam valere semen muliebre humanum excitare ad generationem fœtus humani. Tandem cap. XXVIII. probat mulierem, quæ molam generationis utero gerit concluſam, iisdem legum indulgentiis ac vere gravidam gaudere. Judicium vero obstetricum & chirurgorum non sufficere ad absolvendas fœminas utero molas gestantes ab obligatione legis divinæ vel humanæ cap. ultimo tradit, quod ab illis, utpote minus intelligentibus sive doctis, facile citius mulieres venalia testimonia impetrare queant, quam a cordatis Medicis. De cætero cum Clar. Auctor cap. I. pag. 3. promittat, se cum tempore consecraturum esse publico methodum multo certius curandi morbos illos Herculeos, paralysin, epilepsiam, cancrum, surditatem, cæcitatem &c. petendum ab ipso erit, ut cogitata sua erudito orbi invidere ne diu velit.

LE

LE ORIGINI DELLA LINGUA ITALIANA, compilate dal Sr Egidio Menagio, Gentiluomo Franceſe,

sive

Origines Linguæ Italicæ, compilatæ a Dn. Ægidio Menagio, Nobili Gallo.

Genevæ, apud Joh. Ant. Chouet, 1685, in fol.

QUod suo jam tempore Quintilianus agnovit, *Grammatices elementa non modo acuere ingenia puerilia, sed exercere altissimam quoque eruditionem ac scientiam posse*; id suopte exemplo nostro etiam ævo comprobat literati orbis delicium, Menagius; omnigenæ nempe, qua pollet, eruditionis thesauros non alio lubentius, quam hoc, etymologico imprimis, scribendi genere recludere gestiens. Non contentus itaque linguæ suæ vernaculæ fontes jam antehac spisso satis volumine eruisse, cum sequenti tempore ob raram in Italico quoque idiomate scientiam ac dexteritatem in numerum Academicorum *della Crusca* receptus esset: quo dignum se illustris hujus societatis, quæque summum velut in hac lingua expolienda tribunal exercet, membrum probaret, mox ad conscribendum Vocum etiam Italicarum Lexicon Etymologicum semet applicuit. Quod tametsi jam anno 1669 in gratiam modo dictorum Academicorum Florentinorum, qui ejus videndi desiderio flagrabant, typis imprimi curarit Autor; vix tamen hoc pacto publici juris factum dici potuit, cum ista quidem vice non nisi centum exemplaria sic exscripta fuerint, quibus inter amicos fere autoris dispensatis, reliquis librum hunc expetentibus expectandum fuit, donec præsenti ejus editione ipsorum desiderium expleretur, qua nempe demum omnium oculis manibusque patere cœpit. Non vero est, cur de libri hujus præstantia multa hic verba faciamus; certe enim haud vano augurio ipsemet Autor in præmissa epistola dedicatoria confisus est, plurimas res doctas, eruditas ac reconditas in eo repertũ iri, memoratque simul permulta sibi

hanc

hanc in rem communicata esse a *Carolo Dati, Francisco Redi* & *Valerio Chimentelli*, Academiæ *della Crusca* sociis, ut & a *P. Bertet* Soc. J. magno, ut eum vocat, originum fabro. Quamvis autem opus hoc inscribatur Dictionarium etymologicum; nequaquam tamen putandum est, ac si per steriles solum Grammaticæ salebras aut horrida literularum syllabarumve tesqua lectori hic sit incedendum: quin potius ex inspectione ejus quilibet mox deprehendet, id locupletem omnis eruditionis penum complecti, suavibusque passim flosculis conspersum esse: quorum nonnullos in gratiam lectoris speciminis loco hic colligere haud pigebit. Sic v. g. ad vocem *Calamita*, quæ Italis Magnetem significat, eleganter ex antiquis scriptoribus edocet, quisnam primo in re nautica magnetis usus fuerit, antequam acus, qualibus nunc utuntur, parare didicerint hujus artis magistri: ostendit nempe, eos tum ipsum saltim lapidem duabus festucis aut arundinibus in vase aqua pleno imponere solitos fuisse, quo sic ejus ad polum directionem observarent. Ad nomen *Occhiali del Galilei* discurrit de primo telescopiorum inventore, quem quidem non agnoscit Galilæum Galilæi, quamvis fateatur eum, cum de adminiculo tali optico a Jacobo Metio, Alcmarienſi, confecto audivisset, mox ex proprio ingenio simile quid reperisse: sed hanc laudem deberi vult cuidam Zachariæ Jouannidi, Middelburgensi-Zelando, qui antea non nisi perspicilia senibus cœcutientibus familiaria fabricare fuisset solitus. Horum vero perspiciliorum usum longe antiquiorem esse, & jam in finem seculi 13 incidere, probat ex concionibus Fratris cujusdam Jordani, ex ordine Prædicatorum, habitis sub initium seculi 14; in quarum una ille testatur, nondum viginti annos elapsos esse, ex quo hæc ars adinventa fuerit. Occasione vocis *caduco* de epilepsia disserit, monstratque, quam mali ominis jam olim hic morbus fuerit, adeo ut eum vix nominare, aut ad ejus appellationem certe exspuere ex superstitione quadam consueverint: in cujus rei testimonium versum ex Plauto allegat;

Isti, qui putatur, morbus interdum venit.

Pyra quæ Italis *Buoncristiano* vocantur, non aliunde nomen hoc nacta evincit, quam ex corrupta voce Crustumianum: pyra enim Crustumia seu Crustumiana ob saporis suavitatem jam ab antiquis in pretio

pretio habita esse, ex Virgilii Pliniique scriptis demonstrat. E diverso alteram illam pyrorum speciem, quæ *Bergamotta* dicitur, non a civitate Bergamo, ut vulgo fit, derivat, sed Turcicam vult esse vocem, compositam ex *Beg* quod Dominum, & *armol* quod pyrum significet, quasi pyrum dominorum mensis dignum diceres. Ad verbum *Chintana* annotat, quamdiu jam hoc ludi genus, quod hodienum Quintana vocatur, in usu fuerit, utpote cujus & antiquitatem & etymologiam ex *leg. 1. Cod. de Aleator.* ostendit. Vocabulum *bagatella* vulgo notissimum non aliud esse vult, quam deminutivum ex Latino *bacca*, quod pro margarita usurpatum sæpe reperiatur: non alio ergo sensu voce hac res nauci & nugas indigitari, quam Latini *nugas* vocare soliti fuerint res omnes muliebris mundi, ac *nugivendos*, qui eas venderent. Infamem illam Italorum vocem *Bugerone* ex Latino *Bulgarus* derivat; adducitque hac occasione ex Froissardo, qua ratione Betisachus quidam, Joannis Bituricensis ducis quæstor, vulgo creditus fuerit Sodomiticæ libidinis reus, cum tamen aliud nil confessus ibi perhibeatur, quam se Bulgarorum sectæ addictum esse: vocem vero hanc in lemmate capitis illius historiæ ob soni similitudinem ita siniſtre expositam fuisse. Cui geminum exemplum ex Suetonio allegatur, quem vulgus autumat Neroni imputasse, quod cum matre sua concubuerit, eo quod inscriptio istius capitis ita concepta sit: *Matris nefarius concubitus*: cum tamen ipse contextus doceat, historicum tale quid neutiquam de Nerone scripsisse, sed potius, quod invitus quasi ab matris amplexibus abstinuerit, tametsi clam ejus amore flagraret. Ad vocem *Fata* notat, Parcas etiam apud Latinos aliquando *Fatas* vocatas fuisse; eamque in rem adducit nummum quendam aureum Diocletiani, cujus postica pars tres fœminas repræsentet cum inscriptione: *Fatis Victricibus*. Occasione verbi *intabaccare* narrat tabaci herbam, quæ vulgo Nicotiana audit a Joh. Nicotio, qui anno 1558 eam primus e Portugallia in Franciam invexisse dicitur, apud Italos vocari *Tornabuona*, pariter a quodam, cui nomen Tornabuoni, qui primo ipsam in Toscanam terram transportaverit: sicut alio loco edocet, corticem Peruvianum seu Chinam Chinæ apud Italos appellari *polvere del Cardinal Lugo*, eo quod hic Cardinalis & Jesuita istius medicinæ notitiam Italiæ primus

mus communicarit. Ad vocem *Palmiere* annotat, tametsi peregrinantes religionis ergo communi appellatione *Pellegrini* vocentur, eorum tamen tres distinctas classes esse, distinctis etiam nominibus insignes: alios enim dici *Palmarios*, qui nempe Hierosolymam visitaverint, a palmarum ramis, quos signi loco inde reportare consueverint; alios *Pellegrinos* in specie ita dictos, qui fanum D. Jacobi in Gallicia adierint; alios denique *Romeos*, qui Romam profecti fuerint. Ad vocabulum *Porcellana* multa habet de fictilibus ejus nominis vasis, quæ cum murrhinis antiquorum nil commune habere ex Bellonio probat: sed & explodituna vulgata illa fabula, qua vascula illa feruntur fingi ex massa 100 annis sub humum defossa, doceturque quomodo ex terra quadam e montibus prope *Hovicheu*, metropolin Nanquini, in Japonia eruta formentur, ac mensis unius spatio excoquantur, & qua ratione non nisi in pago *Sinctesimo*, ob singularem ejus aquæ proprietatem, fieri possint. Nomen *Polizziano* (nam & nomina propria, familiarum imprimis, subinde explicat) non gentilitium famosi illius Scriptoris fuisse docet, utpote quem *Agnolo Basso*, aut ut alii volunt, *Cino*, dictum fuisse probat, sed a patria solum id nominis ipsi impositum, quam fuisse *Montepulciano* perhibet. Passim quoque voces apud Scriptores mediorum seculorum pro Latinis usurpatas, barbaras licet, explicat occasione data: sic e. g. quod in Concilio Basileensi præcipitur, ut grates Deo persolvantur horis debitis non cursim aut festinanter, sed *asiatim* ac tractim, id ex Italica voce *adagio* commode deducit: pariter aliis locis probat pro chely seu testudine *Laudem*, pro anser e *Aucam* fuisse dictum, ut alia hujus generis adducere omittamus. Ordinem in opere hoc Autor, uti in lexicis solet, alphabeticum elegit, secundum quem voces potiores recensét, ac sic earum etymologias cum ex aliorum mente exponit, tum ex suo utplurimum ingenio. Ac fatendum certe est, eum mirum hac in arte Dædalum semet probasse, dum quidvis ex quovis exsculpere se posse, passim demonstravit. Quis enim quæso unquam credidisset, vocem *hanneton* ab asilus, *boccia* a valvus, *ciotto* a saxum, *fioco* a raucus, *francolino* a lagopus, *ghezzo* a niger, *giarda* a clavus, *gozzo* a faux, *laquais* a vernula, *lesina* ab acus, *macchia* a dumus, *maccare* a minutus, *miccio* ab asinus deri-

derivari posse, nisi hic ad oculum pene demonstrasset Autor, quomodo sensim per literularum cognatarum commutationem lapsu temporis ab una voce ad alteram deveniri potuerit. Ne vero hæc gratis scripsisse videatur, præmisit operi syllabum literarum, quæ naturalem quandam relationem invicem habere videntur, adeoque facilioriinter se permutationi locum dare potuerunt, adductis ubique exemplis ex lingua Græca, Latina, Italica, Gallica atque Hispanica. Subnectitur libro explicatio variorum proverbiorum apud Italos usitatorum, quorum alioqui verba obscuriora exteris imprimis multum negotii facessere solent: ut & index quadruplex etymologiarum, ex lingua nempe Græca, Latina, Hispanica, ac Gallica, quæ occasione vocum Italicarum in transitu ab Autore indigitatæ fuerunt. Denique subjicitur etiam additamentum variorum locorum, quæ ab autore, cum jam liber sub prelo esset, annotata fuere, quæque ad majorem operis perfectionem supplementi vice locis congruis inserta voluisset.

D. PAPINI, E SOCIETATE REGIA ANGLICANA, inventa nova Hydragogica.

Ex Transact. Philos. Anglic. Mens. Decemb. 1685, p. 1254. & 1274, seqq.

COmmunicaverat ingeniosissimus *Papinus*, jam mense Julio anni elapsi, machinam a se noviter repertam Societati, cujus est membrum, eleganti spectaculo exhibentem aquæ per circulationem occultam circumactæ & continuo salientis lusum. Quo vero curiosorum ingenia exerceret, ac ad simile quid tentandum instigaret, placuit ipsi inventum suum primo per modum saltem ænigmatis solvendum proponere, celato artificio & intestina machinæ structura, ac exhibita tantum ejus figura extrinsecus in oculos incurrente; quæ talis fuit, qualem *Fig. 1.* depingit. TAB. XIV.

A A. est vitrum majusculum forma cylindrica, repositum super tabula camini *B B*. Fig. 1.

CC. est machina, parvæ rupis figuram habens, quæ continuo aquas ejaculatur per duo foramina *DD.* Hæc vero rupes adhuc spatio quodam suspensa distat a fundo vitri *AA*, quo planius videre sit, nullas eam aquas beneficio tuborum forte subterraneorum recipere.

EE. Ramus coralii factitii, pertingens a centro rupis *CC.* ad centrum coronamenti *FF.*

FF. est corona imposita aperturæ vitri *AA.* tenensque rupem *CC.* suspensam ad distantiam notabilem a fundo vitri.

GG. vitrum utrinque apertum, applicatum rupi *CC.* quo aquam super ea detineat, nec deorsum labi sinat.

HH. duæ conchæ ad recipiendam aquam e siphonibus prosilientem.

Spectandam etiam tum ipsam machinam ejusque effectus dedit Inventor testibus aliquot oculatis, a Societate Regia ad hoc domum ipsius ablegatis: qui cum lusus ejus per aliquot horarum spatium vidissent, non nisi mediante quadam circulatione machinam operari sic posse unanimiter judicarunt, ex ingenti aquarum copia, vitri capacitatem plusquam centies excedente, quam tempore suæ præsentiæ profluentem spectaverant.

Exercuit ita propositum problema tempore aliquo curiosorum ingenia, quorum etiam nonnulli suas super hac re speculationes atque conjecturas Societati Regiæ communicare haud omiserunt; quos inter quidam *VV. Tenon* aliam machinæ speciem commentus est, re-
TAB. XIV. præsentatam *Fig.* 3. quam si non eundem, affinem tamen quadante-
Fig. 3. nus cum Papini invento effectum habituram confidit.

ABDC. significat vas cylindraceum undiquaque clausum, ac in duas quasi contignationes seu intercapedines divisum, mediante area *EF.*

GLMH. est aliud vasculum cylindriforme intra superiorem intercapedinem, subtus verso sui orificio adferruminatum isti areæ, & aqua plenum usque ad superficiem *IK*, aere supremam ejus regionem *GIKH.* replente.

QO,

QO, *RP* duo tubuli, supra & infra patentes, transmissi per superiorem intercapedinem intra illud vasculum, ac pertingentes fere usque ad aream *EF.*

UVV Tubus utrinque apertus, & penetrans intra superius illud interstitium. Tubulos hos, qua pertranseunt areas *CD.* & *GH*, oportet esse apprime adaptatos ac circumcirca probe clausos.

XY. Vesiculæ duæ hemisphæricæ, oleo aut oleosa quadam materia, ut butyro aut terebinthina munitæ adversus aquam, orificiis valide sursum adglutinatis ad inferiorem superficiem areæ *EF.*

α, β, duæ valvæ ex superiori interstitio hiantes intra vesicas.

γ, δ, aliud par valvarum viam aperiens e vesicis in vasculum interius, quod supra est.

NZ est pendulum quoddam super centro *N.* sese movens ac munitum duobus brachiis, palas quasdam repræsentantibus, *a*, *b.* ad comprimendas alternative vesicas, quæ ipsis incumbunt.

Impleto sic superiori intervallo aqua per canalem *UVV* infusa, ac pendulo isto automati cujusdam ope semet vibrante, inventor autumat, vesicas aquam perpetuo intra vasculum interius propulsuras, aerem vero compressum *GIKH* in vasculi summitate, rursus premendo superficiem aquæ *IK*, eam hinc compellere intra tubulos *OQ*, *PR*, quæ deinde ex his æquabili fluxu perpetim erumpens in cochloaria *ST* tandem relabatur per canalem *VV U* intra superiorem cavitatem seu intercapedinem. Hanc vero ad summitatem usque canalis *VV U* implere jubet, sic enim expeditiores fore penduli vibrationes. Cæterum loco vesicarum alia quoque adminicula adhiberi posse ait, uti speciem quandam antliarum, aut follium organicorum, duobus foliis quasi circa axem in medio situm alternative ludentium.

Verum enim vero cum appareret, ex hisce omnibus neminem ex asse propositum ænigma solvisse; noluit *Papinus* curiosorum animos longiori expectatione suspensos tenere; quin potius ultimo anni elapsi mense rem totam Societati aperuit, ac pleniori sua, quæ jam verbotenus translata sequitur, explicatione non tenebras solum

problematis penitus discussit, sed & quæ ejus utilitas esse possit, una demonstravit:

TAB. XIV. Fig. 4. *In Fig. 4. AA.* est vitrum illud cylindraceum majusculum, quod in fundo oportet habere exiguum foramen, ut *I.*

ILL. Tenuis Tubulus occultatus ope tabulæ camini *BB*, quo mediante, vitro *AA* communicatio patet cum antlia seu folle *MM.*

MM. species quædam antliæ aut follis probe clausi, nec aliam habentis aperturam, nisi per canaliculum *ILL.* Atque hæc quidem antlia in loco aliquo secreto collocanda, ubi quis eam exercere queat clam spectatoribus.

NN. exilis tubus, communicationem faciens inter vitrum *AA* & coronam *FF*: pertingit tubus hic prope ad operculum usque coronæ, ne scilicet aqua in ea contenta per hanc aperturam defluat.

EE. indicat coralium factitium, intus excavatum, in fundo clausum, at in summitate patulum.

DDDD. duo canaliculi recurvi adferruminati ad latera coralii *EE*, sic ut aqua per hujus cavitatem delabens prosilire queat per foramina *DD.*

OO. Tubulus occultatus intra corallium *EE* ac per ejus fundum transiens, ubi probe ferruminatum esse oportet, ac pertingens prope fundum usque rupis *CC.*

PP. Canalis ad deducendum aquam e vitro *GG.* intra rupem *CC*, cum cujus operculo seu superficie per ferruminationem probe combinandus est.

Q. Valvula in fundo canalis *PP*, pinna resiliente munita, prohibens, ne aqua, quæ hac via intravit, queat retrocedere.

R. alia valvula in vertice canalis *OO* ad impediendum, ne aqua eadem, qua istuc ascendit via, refluere possit.

Jam planum est, rupe *CC* aqua partim, partim aere repleta, si attollatur antlia *MM*, aerem e corona *FF*, fluere oportere per canalem *NN*, intra vitrum *AA*, ac inde per tubulum *ILL* ad *MM*, pro replendo vacuo ibi facto. Aer sic intra coronam *FF* rarefactus, libertatem concedit aeri in rupe *CC* concluso semet pariter rarefaciendi, expellendo aquam per tubum *OO*: quæ aqua sic delata in Coronam

nam *FF*, delabitur per corallium *EE* & per recurvos tubulos *DDD*, e quorum supernis ostiolis emicat, ac deinde e conchis *HH* cadit super rupem *CC.* Rursus si deprimatur antlia, seu claudatur follis *MM*, aerem, qui hujus vacuum occupaverat, retrocedere oportet in vitrum *AA*, atque sic urgere seu premere aquam in superficie rupis *CC.* Dum autem aer intra hanc rupem antea rarefactus fuit, ejus elater haud sufficiens est ad resistendum huic pressioni, atque sic aqua intra rupem compellitur per canalem *PP.* Per talem ergo attractionem depressionemque antliæ *MM* alternative factam necesse est, ut aqua per vias modo dictas constantem ac perpetuam faciat circulationem.

Usum quod attinet, quem hic modus aquas sustollendi præstare posset, talem fore concipio. Vitra, ut quæ mere celando secreto inserviunt, omittenda penitus: cæterum fieri poterunt diversa receptacula, unum super alterum, ad recipiendam aquam in altum evectam, prout hic faciebat corona *FF.* ac tot fieri oporteret folles, quot receptacula, ita ut singuli cum singulis communicarent: hi folles moveri deberent ope axis cujusdam, sic ut aperto primo secundus clauderetur, tertius rursus aperiretur, quarto clauso, &c. donec aqua ad postulatam altitudinem foret sublata. Receptaculata alia commode duodecim aut quindecim pedibus ab invicem sursum distare possent, sic ut eorum non ita multa aquam ad notabilem satis altitudinem elevare valerent, æque bene ac antliæ ordinariæ faciunt. Præ his ipsis tamen id præcipuum habet hoc nostrum inventum, quod in antliis quidem vulgatis vis sive potentia huic rei applicanda fere non multum dissita est ab aquis sursum tollendis: at mediante hoc invento vis fluminis adhiberi potest aquis educendis e fodina, utut multum distante. Eadem ratione *Tamesis* profluens perpetuos aquæductus in castello *VVindsoriensi* præstare valeret, tantum non æque facile, ac in humilimis agris: *Sequana* flumen idem efficere valeret in *Fano S. Germani*, ac forte etiam *Versaliis*, haud obstante distantia longinqua. Observandum enim est, quod canales pro communicatione inter folles & machinam, dum aeri saltem, qui celerrime movetur, devehendo inserviunt, satis tenues fieri queant, nec nisi exiguam aeris rarefaciendi quantitatem complecti debeant. Præterea

terea iidem non facile rimas agere aut rumpi poterunt, dum presſio omnis, quam ſuſtinent, extrinſecus ſaltem canales afficit, id quod ad eos potius roborandos aut conſervandos, quam deſtruendos ac rumpendos facit. Unde etiam ſequitur, dictos canales non oportere adeo validos aut ſolidos eſſe, ſed perquam levi ſumtu fore parabiles. Notandum inſuper eſt, quod hi folles, qui aperti ſunt, aerem in ſe habent admodum rarefactum, ut adeo aer externus gravi mole ipſis incumbat ad eos claudendos ac deprimendos; qua ratione motus machinæ non poteſt non adjuvari in attollendis follibus oppoſitis, qui tum aperiendi ſunt: quæ ipſa obſervatio removere valet maximam difficultatem, quæ alias contra inventum hoc moveri poſſet. Ut adeo non dubitem, quin modus hic aquam ſuſtollendi, variis occaſionibus multum præſtare queat emolumenti.

Pro ulteriori inventionis talismodi explicatione videri poterit Tab. XIV. *Fig. 2.*

Fig. 2. *A B. AB.* Sunt diverſa receptacula ſibimet invicem ſuperimpoſita, quæ probe claudi ac undiquaque ferruminari debent.

CDD. CDD. ſunt duo tubuli exiles, quorum ope primum ac tertium receptaculum communicant cum antlia *HH.*

EFF. EFF. aliud par canaliculorum, per quos ſecundum & quartum receptaculum communicant cum antlia *II.*

H H. II. Duæ antliæ, quarum emboli ſic moventur ab axe *LL*, ut uno deſcendente alter aſcendat.

MM. Rota ſic affixa axi *LL*, ut circumvolvi queat a præterlabente flumine.

NO. P Q. NO. P Q. Sunt craſſiores canales pro aſcenſione aquæ e receptaculo inferiori ad ſuperius.

O. Q. O. Q Sunt valvæ adaptatæ vertici dictorum canalium, ne aqua per eosdem deorſum relabatur.

Jam evidens eſt, quod cum embolus in antlia *HH* attollitur, aer intret per tubulos *CDD*, ac ſic rarefiat in primo ac tertio receptaculo *AA:* & hoc pacto aqua propelli poteſt in dicta receptacula per canales *NO*, eo quod illo ipſo tempore embolus antliæ *II* depreſſus facit, ut aer redeat ad preſſionem ſuam ordinariam in ſecundo & quarto

quarto receptaculo, aptusque adeo ſit ad aquam per dictos canales *NO* propellendam: canalis vero omnium infimus trahit aquam aeri aperto expoſitam. Eadem ratione cum embolus in antlia *II* adſcendit, aerem oportet intrare per tubulos *EFF*; atque ſic rarefit in ſecundo & quarto receptaculo *B B*, & conſequenter aqua ſurſum cogi poteſt intra hæc receptacula per canales *P Q. P Q*: dum nempe inſimul embolus antliæ *HH* deſcendens aeri primi ac tertii receptaculi reſtituit conſuetam premendi vim, ita ut aquæ per dictos tubos *P Q* altius propellendæ ſufficere queat.

AD GUILIELMI CAVE CANONICI VVINDEſorienſis Chartophylacem Eccleſiaſticum Paralipomena, auctore Paulo Colomeſio, Bibliothecæ Lambethanæ Curatore.

Londini, impenſis Richardi Chiſvvell, 1686, in 8.

IN his paralipomenis obſervat Autor, ex utraque CLEMENTIS ad Corinthios epiſtola fragmenta quædam a *Leontio Cyprio* in Locis communibus hactenus ineditis adduci, & forte ex iisdem Leontii locis depromptum eſſe locum, quem e ſecunda Clementis epiſtola *Damaſcenus* in Parallelis Manuſcriptis Collegii Claromontani allegavit, & inde in notis ſuis ad Clementis epiſtolas *Cotelerius* exſcripſit; quod Oxonienſem Epiſcopum in ſua editione non attendiſſe monet, adjecto voto, ut ſuam Ceſtrienſis Epiſcopus *Johannes Pearſon* bono publico diutius non invideat. Miratur editores epiſtolarum IGNATII nullam plane mentionem facere antiquæ verſionis Latinæ, quam ex bibliotheca Vaticana in defenſione Canonum Apoſtolicorum *Fr. Turrianus* laudaverit. Animadvertit epiſtolam POLYCARPI, quam auctiorem habuerit *Turrianus*, ex Barnabæ epiſtola, & ipſam BARNABÆ epiſtolam ex chronico *Methodii* inter *Grynæi* orthodoxographa edito interpolatam eſſe. Ad quæſtionem, an amatoria Gallice verſa & ſub ATHENAGORÆ nomine edita, ad Athenagoram tractatu de reſurrectione & apologia pro Chriſtianis non in-

celebrem pertineant, adducta negativa *Huetii* ſententia ampliandum cenſet. METHODIUM in codicibus quibusdam manuſcriptis Sidenſem appellari notat a patria, quam agnoverit etiam *Troilus* Sophiſta, cujus prolegomena manuſcripta in Hermogenem *Gerardus Langbainius* in ſuis ad Longinum notis non ſemel uſurpaverit. Doctis diſpiciendum relinquit, an JULIUS, ex quo in catena Patrum ad Jobum & Johannem nonnulla excerpta deprehendimus, idem ſit cum Africano. VALENTINI & BASILIDIS pſalmos *Origeni* & *Tertulliano* non ignotos eſſe memorat. Cur librorum Joſephi de bello Judaico liberior interpretatio, quæ *Ambroſium* autorem agnoſcit, EGESIPPO vulgo tribuatur, hanc eſſe cauſam ſuſpicatur, quod librarii nomen Joſephi ſeu Joſippi in Igiſippum mutaverint. Quatuor evangelicæ demonſtrationis libros, qui tacito EUSEBII nomine in Cæſarea bibliotheca extant, excerpta tantum Euſebii eſſe, cum *Lambecio* judicat. Ab Euſebio Cæſarienſi progreditur ad EUSEBIUM ALEXANDRINUM a Cl. Cave prætermiſſum, cujus homilias 18 *Turrianus* in Bibliotheca Cryptæ Ferratæ ſe reperiſſe ſcribit, quarum fragmenta non contemnenda non ſolum a Turriano, ſed etiam a *Johanne Damaſceno* in parallelis adduci Autor noſter tradit, dolens *Holſtenium* immatura morte præpeditum fuiſſe, quo minus, ut pollicitus fuerat, aliquot Euſebii iſtius homilias in lucem ederet. Notas in SYNESII epiſtolas græce ſcripſiſſe *Matthæum Camariotam* Gennadii Scholarii præceptorem, ex *Cruſii* Turcogræcia obſervat, & ad hunc autorem referenda putat Scholia a *Petavio* notis ad Syneſium inſerta. ISIDORUM PELUSIOTAM decem millia epiſtolarum ſcripſiſſe, & in his ter mille Scripturam Sacram expoſuiſſe, e Suidæ Codic. MSC. poſt Sirmondum notat. Hypomnema ad CYPRIANI ſcripta ejusdem ad Jubajanum epiſtolam concernit, cujus finis apud *Hincmarum Remenſem* paulo prolixior occurrit. De CHRYSOSTOMI epiſtola ad Cæſarium refert, quod *Laurentius Panciatichi* Cardinalis Medicæi bibliothecarius ejus copiam *Chriſtophoro Sandio*, ut ipſe in appendice ad Arianorum hiſtoriam teſtatur, communicare noluerit, & interrogatus, quid epiſtola illa contineat, reſponderit, ſe non audere id propalare. Addit quoque nonnulla de Chryſoſtomi in totum Pſalterium homiliis a *Martino Duncano* latine reddi-

redditis, ſed nondum editis. Vitam Antonii autore ATHANASIO edita longe meliorem inter Codices manuſcriptos Caroli de Montchal, Archiepiſcopi Toloſani, fuiſſe, eaque uſum *Holſtenium*, ſed typographos in editione operum Athanaſii collectanea ejus omiſiſſe monet. LEONTII CYPRII locos theologicos *Turriani* verbis deſcribit. GELASIUM Papam Scholaſticum illum eſſe cenſet a *Gregorio* M. ep. 64. laudatum, qui *Dallæo* & aliis eruditis crucem fixerit. HIERONYMIANÆ bibliorum tralationi, ut inter Latinos *Auguſtinum* & *Ruffinum*, ſic inter Græcos *Theodorum Mopsveſtenum* & *Olympiodorum* Diaconum minus faviſſe, & genuinos ejus in Pſalterium commentarios in multis bibliothecis manuſcriptis extare animadvertit. EPHREMI Syri πολυγραφίαν *Syrorum*, *Sozomeni* & *Maſſii* teſtimoniis confirmat. Circa ISIDORUM HISPALENSEM *Boxhornii* verba profert, qui inſigne Iſidori fragmentum de inſtitutione jejunii quadrageſimalis editurum ſe promiſit, quamvis illud fortaſſe a cap. 36. lib. 1. de offic. eccleſ. niſi Colomeſium ſuſpicio ſua fallit, non diverſum fuerit. PACIANI editionem optimam Romanam eſſe judicat a *Paulo Manutio* curatam, & *Joh. Friderico Gronovio* non viſam, qui tot Paciani loca fruſtra in notatis ad Scriptores eccleſiaſticos tentaverit. LUCIFER CALARITANUS, cujus novam editionem jampridem *Cotelerius* promiſit, Autori noſtro utiliſſimus videtur ad genuinam LXX interpretum tralationis & Novi Inſtrumenti lectionem eruendam. EPIPHANIO, ſi denuo edatur, inſeri cupit epiſtolam ad Diodorum Tarſenſem, & addi *Thomæ Gatakeri* emendationes. EUTHYMIUM in Pſalmos & Evangelia græce hactenus, ineditum in variis bibliothecis extare teſtatur. JOHANNIS METROPOLITÆ EUCHAITARUM cognomento mabropodis ſeu nigripedis verſus in principales dies feſtos Etonæ a *Matthæo Buſto* A. C. 1610. cum doctiſſimis notis editos, nec ubivis obvios majori eruditorum notitia dignos exiſtimat. Fragmenta quædam PETRI Ravennatis, cognomento CHRYSOLOGI, in Lumine animæ *Matthiæ Farinatoris*, qui circa annum 1320 claruit, Autor noſter legiſſe ſe meminit. Cætera Colomeſii paralipomena tangunt HULDRICUM Auguſtanum, cujus epiſtola ad Nicolaum I. in nonnullis codicibus *Voluſiano* tribuitur; FLORUM LUGDUNENSIS eccleſiæ Diaconum

auctorem actorum synodi Carisiacensis & commentarii in Psalmos, qui in monasterio quodam Flandriæ manuscriptus asservatur; RATRAMNUM, cujus librum de Corpore & Sanguine Domini a *Sixto Senensi* perperam *Johanni* Hausscheinio seu *Oecolampadio* tribui asserit, ridendum simul propinans *Latinum Latinium*, qui se ob lectionem ejus libri a Pœnitentiario absolvendum curavit; PETRUM BOERIUM, qui jussu Caroli V Francorum Regis *Damasi* Pontificale notis illustravit; BURGUNDIONEM, qui sermones nonnullos *Chrysostomi*, nec non *Nemesii* libros de natura hominis, & *Damascenum* de fide orthodoxa latine vertit; NICOLAUM de CLEMENGIS, cujus epistolas aliquot ineditas e bibliotheca Lambethana descripsit, & editioni paratas habet *Johannes Battelius*, ut epistolam de studio Theologiæ instituendo a *Dacherio* jam editam, & in Lydiana operum Clemengis editione omissam taceamus; MAGNETEM incertæ ætatis scriptorem, qui adversus *Theosthenem* evangelia calumniantem græco sermone scripsit; SEVERUM, cujus nomen in catenis græcis sæpius occurrit, Aquilinum Gajum Veltium JUVENCUM, qui historiam evangelicam hexametris versibus reddidit, a *Juvenco Cælio* Calano Dalmata Attilæ Hunnorum Regis historiæ Scriptore distinguendum; BERENGARIUM cujo epistolas nonnullas in notis ad Lanfrancum, nec non in Spicilegio suo *Dacherius* vulgavit; JOHANNEM SMERAM, cujus epistolam ad Ulodimirum Russorum Regem Sandius in appendice historiæ Arianorum exhibet, BEDAM, quem ab Anglis in tanta codicum manuscript. copia non meliorem edi miratur; COSMAM Indopleusten, expositionis in Psalmos, cujus fragmentum ad Psal. 16. v. 14. *Corderius* adducit, & Christianæ topographiæ autorem; JULIUM TOLETANUM, cui librum *ἀντικειμένων*, seu quæstionum veteris & novi testamenti de lolas suo tempore perditas Hadrianus Junius queritur; SEVERUM SULPITIUM, cujus epistolas quinque *Dacherius* tom. 5. Spicileg. & duas *Balluzius* tom. 1. Miscell. inseruit; VERECUNDUM autorem libelli de resurrectione, & alterius de pœnitentia, quem Gothicis literis exaratum *Loaisa* vidit; AZELINUM REMENSEM, qui libellum, titulo Cœnæ insignitum versibus reddidit, & RICHERIUM Senonien sem, cujus Chronicon in spicilegio suo *Dacherius* vulgavit.

Ad hæc paralipomena peculiaris de PHOTII scriptis dissertatio accedit, in qua Colomesius observat, bibliothecam Photii a Latino interprete *Andrea Schotto* neque diligenter neque fideliter redditam; *Metii* autem & *Fonteji* versiones nondum in lucem prodiisse; inter epistolas Photii a *Montacutio* editas non legi epistolam ad Theophanem, *Francisci Scorsi* ad Theophanis Ceramei homilias prolegomenis insertam, item epistolam ad Archiepiscopum Aquilejensem, quam in novissimo Bibliothecæ Patrum auctario *Fr. Combefisius* publici juris fecit, & alias; Lexicon Photii vidisse se apud *Is. Vossium*, eumque codicem nunc esse apud *Marquardum Gudium*; ex odis Photii, quas bibliotheca collegii Claromontani manuscriptas asservat, manifestum esse, quod carminis pangendi laude floruerit: ut cæteras observationes de Photii scriptis editis pariter & ineditis silentio involvamus. Postero loco legitur PASSIO S. VICTORIS MASSILIENSIS, qualem Colomesius noster recensuit & emendavit.

LUMEN RATIONALE MEDICUM.

h. e.

Praxis Medica reformata Henrici Regii.

Medioburgi, apud Joh. de Reede, anno 1686, in 8.

Quamvis prima fronte caput occulat sub anonymi senticeto, quicunque tandem editor est libri, ex relatione tamen Domini B. *aux Nouvelles de la Republique des lettres*, mens. Febr. hujus anni pag. 229. & 230. constat, quod nobilissimi Viri Theodori Craan opera & studium in ipso contineantur. Nam post excessum celeberrimi Sylvii, hic successor Medicinam Practicam Lugduni Batavorum professus, auditoribus suis quædam scholia ad Henrici Regii Praxin in calamum dictavit, ac, postquam ille a Potentiss. Electore Brandenburgico ad munus Consiliarii & Archiatri largo stipendio

nunc evocatus est, cœperunt illa annotata typis exscripta circumferri, utut vel inscio plane, vel invito nobilissimo auctore edita, quod forsan ultimam ipsis limam adhibere non licuerit. Quod ad librum ipsum attinet, non licet vitandæ prolixitatis ergo singula jam capita recensendo percurrere. In genere saltem sufficiat nosse, quod in plerisque affectibus cum mixturæ legitimæ sanguinis restituendæ, tum motui ipsius vel nimio compescendo, vel tardiori promovendo; hinc pororum ac tubulorum partium vel obstructioni, vel aperturæ nimiæ tollendæ palmariam operam navet. Ut quoque vel unicum duntaxat adducamus medicamentum eo directum, pag. 12. 132. 147. ac passim alibi, pulverem maxime refrigerantem commendat, qui in omni motu sanguinis vehementi, item in æstu ipsius compescendo, citra obstructionis novæ metum utilissimus sit. Componitur autem ex lap. prunell. gr. XV. caphur. gr. iij. iv. vel v. Laud. op. gr. sem. vel gr. j. Atque ab hoc & simili pulvere miras aliquando se vidisse ait operationes in phrenitide & mania, ita ut ægri ipsi admirarentur mutationem. Cæterum interspersæ hinc inde subtiles symptomatum rationes satis ostendunt, quod Cartesiana dogmata tanquam summe utilia applicet. Adjectæ etiam sunt singulis fere capitibus explicationes quorundam aphorismorum Hippocratis eo pertinentium, ita ut 105. illorum hoc modo allegati reperiantur. Tandem annectitur examen institutum in Danielis Sennerti Librum quintum Institutionum de auxiliorum materia, ubi omnium medicamentorum naturam per particulas explicat, considerando earum magnitudinem, figuram, poros, ramositatem, flexilitatem, rigiditatem & cohæsionem, ac nonnulla de æthere sanguinis naturali & peregrino, indeque resultantibus effectibus breviter addit, subjuncta loco indicis tabella, quam & index rerum toto hoc libro explicatarum excipit.

EXCERPTA ACTIS NOVÆ ACADEMIÆ Brixiensis Philo-Exoticorum Naturæ & Artis.

Quod Illustrissimæ in Angliâ Societatis Regiæ, ejusque exemplo institutorum non ita pridem Oxonii & Dublini Collegiorum, idem, Lector

Lector Benevole, novæ hujus in Italia Academiæ propositum est, scientiam nempe Physicam, Medicam, Mathematicam novis observatis, inventis ac experimentis excolere, & magis magisque perficere. Sedem illi Brixia *præbet, non Tirolensis illa Episcopo suo, quem Germanici Imperii Statibus accenseri constat, subjecta; sed quæ in Insubria sita Serenissimæ Reipublicæ Venetæ imperio subest,* Brescia *Italis appellata: urbs ampla, & præclarissimorum ingeniorum, ut vel ex* Leonardi Cozzandi *Bibliotheca Brixiensi (quem librum mense proximo Augusto in Actis nostris pag. 385. memoravimus) patet, feracissima. Constituerunt etiam novi hi Academici Acta sua publici juris facere, & per mensium intervalla edere; jamque ejus rei initium mense Martio præsentis anni fecerunt, publicis omnium, qui his studiis ducuntur, commodis eo rectius consulturi. Cum vero Acta illa ipsa ad longius ab Italia dissitas gentes, & harum tamen rerum maxime curiosas, Anglos, Batavos, Danos Suecosque, non possint non serius paulo pertingere: veniam, opinor, dabit nobis illustris Academia, si subinde ex iis excerpamus quædam, Actisque nostris, quæ maturius ad illos perferuntur, inseramus, ac veluti prægustum quendam novarum harum ex Italia dapum Cis Alpinis præbeamus Habes itaque nunc quidem, Lector Benevole, ex Martii, Aprilis, Maji atque Junii Actis Excerpta, quæ sequuntur.*

NUM. X.

Observationes mutationis declinationum magneticarum in eodem loco, simul cum inventione, qua ipsæ declinationes exactius inposterum observari possunt, nobis communicatæ a P. Francisco Lana Societatis Jesu.

QUandoquidem successiva mutatio declinationum magneticarum in uno eodemque loco, res est, quæ præsenti ætate multorum torquet ingenia, præcipue cum desit sufficiens numerus experimentorum, quo possit certa aliqua hypothesis inniti: ac unicum sit omnium votum, ut in diversis regionibus a philosophiæ magneticæ studiosis fiant novæ ac frequentes observationes: P. Franciscus Tertius de Lana communi desiderio cupiens obsecundare, ope-

operam, ac ſtudium non leviter in illis collocavit, quarum etiam aliquas nobis communicavit, ut propterea rem gratam Philoſophis nos facturos ſperemus, ſi illas his noſtris actis inſeramus.

Dum igitur ille in Lyceo Ferrarienſi Mathematicam doceret ante annos fere novem, obſervavit acus magneticam cuſpidem a vera meridiana declinare duobus circiter gradibus verſus occaſum; cum P. Cabeus ante annos multo plures obſervaverit, in eadem civitate acum declinare gradibus quinque, minutis quinquaginta a ſeptentrione in ortum, ut conſtat ex tabulis Kircheri, & Riccioli.

Aliam obſervationem inſtituit hic Brixiæ; ubi cum decem circiter abhinc annis notaverit acum declinare a ſeptentrione in occaſum quatuor gradibus, & aliquot minutis, hoc anno facto ſæpius experimento deprehendit, declinationem eſſe auctam usque ad gradus quinque, & minuta ſaltem triginta; quam obſervationem mutationis, utpote factam ſatis accurate, & mediante eadem pyxide, eademque acu, nulla nova illius applicatione ad magnetem, nulli errori aut fallaciæ obnoxiam eſſe poſſe arbitratur.

Jam vero iſtas ſuas obſervationes conferens cum aliis, quas habuerunt inſignes Mathematici, ſcilicet prope Londinum Barrovius, Gunterus, Gellibrandus; Pariſiis Merſennus, Petitus aliique; Aquis ſextiis Gaſſendus; Romæ Kircherus, Giattinus, Auzutus; in campis non longe Londino Sturmius; Gedani Hevelius; Regiomonti Lenemannus: annotavit in omnibus hanc certam regulam ſervari, ut non modo ſpatio annorum ſex, aut ſeptem fiat mutatio unius gradus; verum etiam, (quod magis conſideratione dignum, & a nemine, quod ſciamus, obſervatum fuit) acuum cuſpides in omnibus memoratis locis ſingulis annis magis ac magis tendere unanimiter ab Oriente in Occidentem; cum & declinationes, quæ olim erant orientales, minuantur, vel etiam evadant occidentales; ipſæ vero occidentales ſucceſſive incrementum acquirant.

Licet autem ex iſta obſervatione acus ſucceſſive declinatione ſua tendant ab Oriente in occaſum; diligenter tamen obſervare oporteret, an in omnibus aliis locis, ubi hujusmodi effectus nondum fuit obſervatus, res eodem ritu procedat, ac in urbibus ſupra memoratis; cum hoc ſit maximi momenti, ad ſtabiliendam aliquam hypo-

hypotheſin, quæ cum omnibus obſervationibus congruat. Præterea operæ pretium eſſet indagare, num etiam ultra æquatorem, in hæmiſphærio videlicet Auſtrali, contingant hujusmodi mutationes, & an paribus intervallis temporum & graduum incrementis procedant. Præcipue vero expediret inquirere, an declinatio vergat ad occaſum, ſicut in noſtro hemiſphærio, an (quod probabilius eſt) ad ortum. Si enim ibi omnes declinationes ad orientem ſucceſſive contendant, dum citra æquatorem vergunt ad occaſum; indicium eſſe poteſt alicujus obliquitatis terreni axis vel abſolute, vel reſpective ad punctum aliquod cœli, a quo terra vim magneticam combibit.

Monuit etiam nos Auctor citatus, in obſervationibus declinationum magneticarum inpoſterum inſtituendis, oportere ſingulis annis, quando in eodem loco declinationem obſervare voluerimus, lineam meridianam prius invenire; neque enim antiquæ meridianæ in aliquo loco notatæ omnino fidendum eſſe; cum & ipſa poſſit per obliquationem, ſeu inclinationem axis terreni non minus mutari, quam ipſa declinatio acus; qua de re jam aliquibus cœpit non ſine aliqua ratione dubitari.

Præterea ipſam meridianam lineam inveniendam eſſe, non tam ex ſolis altitudine meridiana, ſeu ex aliis altitudinibus ſupra horizontem, quam potius ex puncto polari firmamenti, quem fixum eſſe conſtat. Syſtema enim mundi tale eſſe poſſet, ut ſolaris meridianus non cohæreat cum meridiano per polos cœli fixarum tranſeunte. Præſtare autem utroque modo lineam meridianam in plano horizontali ſtabili delineare, ut inpoſterum animadvertere poſſimus, an etiam in his aliqua mutatio contingat.

Inſuper cum nonnulli etiam dubitare cœperint de conſtanti elevatione poli, ſeu latitudine cujuslibet regionis, aut civitatis (hæc enim mutatio neceſſario conſequeretur, ad obliquationem, ſeu inclinationem axis terreni, vel mundani;) ipſam etiam loci latitudinem obſervandam monet, & diligenter adnotandam eodem tempore, quo inſtituitur operatio circa magneticam declinationem: demum hortatur omnes, ut hujusmodi obſervationes habeant, præcipue vero ſolſtitiorum aut etiam æquinoctiorum temporibus, ad hoc ut, collatis invicem plurium annorum & locorum obſervationibus, aliquid luminis affulgeat pro vero mundi ſyſtemate conſtituendo.

NUM. XI.

Novæ methodus construendæ pyxidis magneticæ, & observandi cum exacta præcisione gradus & minuta declinationum.

AD hoc ut quilibet præcedentes observationes facile & exacte instituere possit, supra citatus Auctor novum instrumentum magneticum nobis ostendit, quo ipse utitur in declinatione quotannis notanda. Cum enim experimento didicerit, consuetas acus & pyxides multis incommodis esse obnoxias, vel quia rubiginem contrahant, vel quia æquilibrium amittant, vel quia styli apex, cui acus innititur, obtundatur, vel quia ipsius acus pileolus motu attritus depravetur; propterea hæc aliaque similia incommoda evitare studens, magnetis frustum eligit satis robustum & oblongum, ita ut axis secundum ejus longitudinem extendatur. Inferiori autem istius magnetis parti in planam superficiem efformatæ connectit acum in situ ad axem parallelo, & tantæ longitudinis, ut hinc inde protendatur ad duodecim, vel etiam plures digitos; tum magnetem simul cum acu ei annexa filo tenui, & minime contorto suspendit; & ne a vento possit agitari, superponit vas crystallinum in modum campanæ efformatum, cujus inferius orificium tantæ sit latitudinis, ut ejus diameter nonnihil acus longitudinem superet. Campana vitrea, ex cujus summitate magnes cum acu filo suspensus in medio pendet, complanatæ tabulæ, vel laminæ horizontali insistit, in qua descriptus est circulus divisus in gradus & minuta, ita ut centrum circuli, magnetis & acus centro correspondeat, nec tamen ab ipsis tangatur, ad hoc ut acus libere suspensa circumagi queat, & cuspide acuta gradus ipsos & minuta in circuli circumferentia notare.

Instrumentum hoc modo dispositum ita collocatur, ut diameter circuli exacte congruat cum linea meridiana, in subjecto plano horizontali prius delineata. Quia vero non est facile ita acum magneti connectere, ut illius longitudo cum istius axe perfectissime congruat; Auctor consultius existimat acum sensim deflectere hinc inde, donec se libere convertendo, cernamus eam quiescere ad amussim supra lineam meridianam, nulla habita ratione declinationis

nis ipsius magnetis, ad hoc ut instrumentum aptum sit indicare lineam meridianam veram sine ulla declinatione.

Non est autem necesse chalybeam acum adhibere, sed ærea, vel argentea, vel ex qualibet alia etiam leviori materia usui esse poterit; imo nisi ipsi magneti sit ita connexa, ut congruat cum axe, sed in loco, ubi cæteræ acus & magnes declinant, ipsa congruat cum meridiana, & consequenter axem magnetis intersecet, præstabit hujusmodi acum æream esse, non ferream; vim enim aliquam faceret ipsi magneti, dum & ipsa a magnete animata deflectere tentaret a meridiana. In locis ubi magnetica nullam habent declinationem facile erit ita acum magneti annectere, ut exactissime congruat cum illius axe; inventa enim semel linea meridiana, si acus ad amussim quiescat supra illam, signum erit cohærere cum axe magnetis, si minus, eam flectere oportebit, donec meridianæ perfecte insistat. Quod si aliunde sit nota declinatio, facile erit acum ita magneti aptare, ut cum ejus axe cohæreat; immo hoc artificio possumus cujuslibet dati magnetis polos reperire. In hoc autem casu, quod acus congruat cum axe magnetis, utilius erit acum chalybeam usurpare; siquidem vis directiva ei robustior a magnete communicabitur.

Utilitas hujus inventionis in hoc præcipue sita est, quod cum magnes filo suspensus vim directivam possideat longe validiorem, quam simplex acus magneti affricta (præcipue si magnes fuerit optimæ notæ, & oblongus, nec exiguæ molis) dirigere poterit longissimam acum, quæ quo longior, eo magis distincte gradus & minuta notabit in circulo circa illam descripto; adde vacare omni periculo contrahendi vitia illa, quæ paulo ante indicabamus, & quibus communia versoria frequentissime sunt obnoxia.

Fatetur quidem, acum in mari hoc modo suspensam magis obnoxiam fore titubationi, quam si acus consueto modo stylo pyxidis innixa, posse tamen fortasse magnetem ipsum perforatum, & pileolo instructum stylo imponi, & ita æquilibrari, ut facile circumagatur, quo casu posset adnecti acus quantumvis longa, quæ extrema cuspide gradus & minuta declinationum indicaret; sed cum id experiri nondum licuerit, non audet de fortunato eventu quidquam certi affirmare.

Demum optimum consilium putat, si cuspidi acus superponatur microscopium duplici lente crystallina instructum, & in ipso instrumento firmatum, illic loci, ubi cuspis ipsa a puncto septentrionali meridianæ lineæ declinat; tum in foco lentis ocularis transversim aptetur subtilissimum filum, ita ut directe jaceat supra ipsam cuspidem, eamque oculo occultet; sic enim fiet, ut quilibet cuspidis motus, & declinatio, quamvis minima facillime dignoscatur.

NUM. XVII.

Experimentum singulare, quo bini liquores omnino limpidi, dum simul permiscentur, in corpus consistens & omnino siccum coalescunt.

ANno 1684 Octob. die 28 prodierat in lucem epistola Perillustris & Eximii Doctoris Med. *D. Hieronymi Alegri* Veronensis; in qua prædictum experimentum ab ipso auctore casu potius, quam studio peractum accuratissime describitur. Verum cum ille modum parandi liquores certas ob causas occultare decrevisset, nil aliud ex illius epistolæ lectione nobis innotescere potuit de hujusmodi natura liquorum, nisi quod eorum alter esset lixivialis, vel ex aliquo salino & calcinato, seu alkalizato corpore paratus. Cum autem huic experimento ingeniosissimus Auctor, & in chymica scientia optime versatus, multa alia superstruat, rei novitas, & desiderium plenius intelligendi doctrinam in epistola propositam, aliquos ex nostra Academia stimulavit, ut impenso studio, & si opus esset, pluribus etiam adhibitis experimentis, in hujusmodi liquores inquirerent; donec tandem vel illi ipsi, vel alii, qui eundem effectum exhiberent, adinvenirentur. Cum ecce admodum Rev. P. Franciscus Tertius de Lanis Soc. Jesu, binos liquores seorsim singulis vitris inclusos, eosque omnino fluidos, & externo aspectu aquæ limpidissimæ omnino similes nobis contemplandos exhibuit; tum altero ex his in alterius liquoris vitrum effuso, spatio unius tantummodo minuti horarii, utriuspue simul permixti agitatione factum est, ut sensim primo coagularentur, ac tandem in corpus albissimum omnino siccum, & butyro simile, imo etiam majori consistentia præditum transmutarentur.

Nove-

Noverat ille ex Helmontio, tum deinde etiam ex Roberto Boyle, purissimum vini spiritum, permixtum rectificatissimo urinæ spiritui in similem substantiam concrescere & coagulari, & cum in his aliisq; similibus experimentis plurimum versatus esset, statim animadvertit, hanc virtutem coagulativam præcipue inesse spiritui urinoso; ac proinde aquam quandam ex sale Armoniaco artificio chymico præparatam, cujus vires illi alias innotuerant, ad id opus aptissimam esse posse existimavit; quod & experimento ipso comperit; atque hanc esse unum ex duobus liquoribus, quem D. *Hieronymus Alegri* occultare voluit, manifestissime deprehendit: alter enim ex ipsius narratione in epistola facta, facile innotescebat, nimirum liquor ex tartaro calcinato & humido aeri exposito prolectus, quem chymici vocant oleum tartari per deliquium; vel quivis alius liquor ex sale alkalizato, vel etiam ex nitro simili modo præparatus. Aquæ vero salis Armoniaci conficiendæ modum hunc adhibuerat. Sumuntur salis prædicti, & calcis lapidum recentis æquales partes, & invicem permixtæ supra marmor conteruntur assidue; exhalat interim odor fœtidissimus, ac efficacissimus, innoxius tamen, imo qui etiam amissum odoratum quibusdam restituere potuerit; tum simul brevi temporis spatio mixtura illa, dum conteritur, humectatur, & ad modum pultis efficitur, quæ deinde aeri humido exposita magna ex parte in liquorem resolvitur urinosum, sed omnino limpidum. Non audebat tamen P *Lana* arcanum istud a se detectum nobis manifestare, invito ipsius primo inventore Domino *Alegri*, donec tandem, impetrata ab ipso facultate, rem totam nobis aperuit.

NUM. XVIII.

De Transplantatione Morbi.

Ex Epistola Doct. Medici Chirurgi ad N. N.

JUvenis Nobilis Brixianus parotide sub maxillis laborabat; plura emollientia, lenientia, data Chirurgiæ methodo, affectæ parti applicata, at increscens tumor venenosis spiritibus gravidus ultimum diem indixit Juveni, qui tota gula intumescente, nec atomos cibi, nec guttam potus admittebat. Venit altera die Chirurges, fascias ex parotide removet, denuoque dulcium amygdalarum oleo infuso

stringit. Servus adstans fascias illas e fenestra dimittit, quas lambens sus casu præteriens, subito terribilem edens grunnitum, se in luto tortuose volvit, & facile fuit comprehendere, ingentibus correptum doloribus; nam intumescere cœpit, donec immissis in os purgantibus tertia die convaluit. Vix fascias projecerat servus, cum laborans juvenis, cui usque adhuc artis adminicula nullum obtulerant subsidium, aliquod sensit lenimentum, & tale, ut nova luce novæ fuerit sanitati restitutus. Scio quod Christus Dominus, cum adhuc in vivis esset, ab hominibus ejecit dæmones, imperans, ut porcorum gregem intrarent. Hoc divinæ potentiæ miraculum; modo hoc aliud naturæ portentum considera. Venenosi spiritus, qui in fasciis sedebant, longam aliorum similium spirituum catenam attrahentes univocum pabulum in porci corpore invenerunt, & ita a primo animali vel virtute sympathetica, vel magnetica omnimode separati pestem in aliud induxerunt, & talis transmutatio proprie a Medica synodo transplantatio vocatur.

NUM. XXV.

Quartana Febris in canem transplantatæ novum experimentum.

CUm transplantationem Parotidis numero XVIII supra memoratam casu potius, quam ex arte contigisse videatur; novum magneticæ curationis exemplum, solertissimi medici & chirurgi industria nuperrime peractæ, nostræ Academiæ sociis, ut exteris communicetur, dignissimum visum est. Nobilis Juvenis Almi Brixiensis Collegii Societatis Jesu convictor, fervidissimo febris quarto quoq; die recurrentis calore post algores rigidissimos æstuabat. Nulla virtus pharmacis; nullumque ad extinguendum ardorem præstabant juvamen, quæcunque ex arte medica suppeditabantur. Quare cum inter tantas absumeretur flammas ægrotus, adest supra laudatus medicinæ Doctor; narrat simile morbi genus se transplantationis ope felici successu sæpius profligasse, ac modum perquirenti exponit. Dictum, factum. Valetudinarii præfectus sufficientem farinæ triticeæ quantitatem, ut monuerat medicus, lotio febricitantis in summo paroxismi ardore mincto permisceri jubet & placentam inde efformari,

in

in sartagine coquendam. Hanc deinde cani comedendam porrigit; nulloque alio adhibito remedio, juvenis convalescit, omni prorsus morbi fomite eradicato.

NUM. XXIX.

Hydrocephalon in substantia medullari cerebri.

EXcellentissimus Doctor noster Bernardinus Tombinus, Hydrocephalicum puerum post duos vitæ annos extinctum, in præsentia nonnullorum Medicinæ Doctorum dissecabat, cumque nullum læsionis signum appareret, neque extra, neque intra cranium, quin imo neque in ipsa cuticali cerebri portione; obstupuerunt omnes; donec tandem cerebri cortice aperto, tota medullaris substantia (ut idem Tombinus prædixerat) corrupta, & in aquam conversa apparuit.

Insolitum hoc naturæ portentum, cum forsan a nemine unquam fuerit observatum, nostris actis inferere non incongruum duximus, ad hoc ut ii, qui hæc nostra legerint, causas diligenter inquirant, quarum cognitio novum fortasse lumen aliquod Anatomiæ, vel Medicinæ conferre poterit.

COMETA ANTELUCANUS

Mense Sept. anni 1686, Lipsiæ alibique observatus.

DIe 7 Septembris ex literis hominis cujusdam agrestis, & ruri in vicino pago Sommerfeld dediti, rerum tamen astronomicarum non imperiti, ad spectatum hujus urbis civem scriptis, primum rumor circumlatus est, de Cometa paulo ante lucis exortum comparente. Et conciliavit narrationi fidem Pagani hujus solertia, in detegendo simili phænomeno, Cometa nimirum anni 1683, non infelix.

Visum itaq; est *Kirchio* nostro sequenti mane cœlum ipsum consulere: quo inspecto Hora 4, diluculo jam ingruente, Cometam primum deprehendit sub signo Leonis, ad dextram hujus stellæ, ejusdē circiter cum hac magnitudinis & coloris, cauda tenui curtaque sursum erecta. Supra Cometam, in eodem verticali, & Leonis (sed nudo oculo tum non aspectabilis) 56 partibus micrometri, hoc est

ex-

1° exacte, remota existebat: ducta vero a θ ad Cometam recta, dupla erat circiter perpendicularis, ab eadem θ ad rectam, δ Leonis & Cometam connectentem, productæ; distantia vero Cometæ a regulo, radio capta, 17° erat.

Die 9 Sept. Cometa denuo comparuit, sed jam profundius auroræ immersus, obscurior erat & difficulter observabilis; ita ut nec per pinnacidia conspici, altitudinesque ejus mensurari potuerint: quæ vero tum peracta, sequens Tabella exhibet.

Hor.		o. ′ ″
3. 58	Cometæ a θ distantia, 134 partium micometri	2. 23. 34
4. 1½	Altitudo reguli.	13. 30. 0
4. 8	Altitudo δ Leonis.	11. 10. 0
4. 15	Cometæ a regulo distantia, radio capta.	18. 0. 0
4. 40	Cometæ a θ distantia 136 partium micrometri.	2. 25. 43

Recta per Cometam & θ versus b Leonis producta, hanc parumper ad dextram relinquebat. Diebus insequentibus Horizonte nubilo nihil porro observari potuit.

Quod ad observationem supra memorati rustici attinet, facta ea est die 6. Septembris, & continuata diebus insecutis. Cumque dictus homo supra sortem suam sidereæ addictus sit scientiæ, nec ingenii alias absurdi: non ingratam B. Lectori futuram arbitramur eorum communicationem, quæ ab Observatore hoc notata sunt.

Die 6 Sept. mane Hora 4½ cum ad Lunam senescentem adverterem; prope illam, versus septentrionem Cometam primum animadverti in lumbis Leonis, cum cauda trium circiter graduum; quantum conjicere nudis oculis licebat, extrema caudæ Ursæ majoris, lucida in dorso Leonis (δ *Bayeri*) & Cometa rectam lineam constituebant; & hic a dicta lucida tantum distabat, quantum binæ supra Cor Leonis (γ & η) a se invicem. Æquabat stellam primæ magnitudinis, & coloris erat albicantis.

Die 7 Hora 3¾ supra Horizontem emergens in Zodiaco directo motu

motu sesquigradum confecerat; aberatque a lucidiori in lumbis Leonis (θ *Bayeri*,) quantum tubo meo unius gradus capaci collegi, 24: corpore & cauda jam obscurior, quod diluculo magis magisque appropinquaret.

Die 8 Sept. ipsa luce exoriente, paulo ante Hor. 4, & Cometa ascendit; jam uno pene gradu ante se relicta stella prædicta (θ) quam dubio procul cauda sua obtexit. Videbatur aliquantum eclipticæ vicinior fieri, motu diurno adhuc 1½. Cæterum corpore caudaque satis conspicuum se dabat, non multum tamen super Horizontem evectus, sub radiis solaribus se abscondidit.

Die 9 Sept. rursum aliquanto serius exorsus, pristinam adhuc servabat magnitudinem; observatu tamen erat difficilior, aurora urgente: recta tum per Cometam & lucidam dorsi Leonis ducta incidebat exacte supremæ in Jordane stellulæ. Comparebat hodie per semihoram.

Die 10 & 11 cœlo nubilo nihil observatum.

Die 12 Sept. inter dehiscentes nubes raptim ipsum & vix per duo minuta horaria conspexi. Quantum conjiciebam, motum suum in longum eodem tenore hactenus conservaverat: de latitudine incertus sum, cum nubium compages aliarum fixarum aspectum pertinaciter interceperit. Sequentibus 14 diebus continuis vapores Horizontem ambientes Cometam oculis subduxere.

Hæc ex relatione Rustici. Cæterum & Ulmæ Suevorum a Clarissimo Mathematum Professore *Honoldo*, die 9 Sept. Cometam observatum, at die 15to, cœlo defœcatissimo denuo frustra quæsitum; eundem vero & ad Saravum seu Saram fluvium jam die 1 Septembris conspectum, ex literis amicorum fide dignis accepimus.

CASPARIS ZIEGLERI DE EPISCOPIS, EOrumque juribus, privilegiis & vivendi ratione Liber Commentarius.

Norimbergæ, apud Joh. Hofmannum, 1686, in 4.

QUod diu votis expetitum, & a multis etiam doctrina & usu peritis flagitatum de *Episcopis* opus est, hoc anno prodiit tandem, atque in formam systematis perapte redactum, quatuor libris continetur: quorum priores duos nunc paucis enarrabimus, reliquis ob rerum in iis obviarum ubertatem in aliud tempus sepositis.

Primo itaque libro edisserit illustris Auctor vocabuli hujus origines, & ab ultima antiquitate deducit, variaque nomina cum apud profanos, tum apud Ecclesiasticos scriptores recepta subjungit, inprimis Pontificis & Papæ titulos ex instituto veteris Ecclesiæ explicat, atque ex occasione controversiam tangit, an Imperatores Christiani olim appellati fuerint Pontifices maximi; quod quin ab aliis factum sit, non negat, sed ipsos sibi hunc asciviisse titulum, atque ita se appellasse, non temere vult affirmare, Zosimique fidem non sine causa reddit suspectam, de qua jam ante multi ac graves viri in ejusdem historia, quatenus ad Constantinum M. pertinet, non immerito dubitarunt. Neque vero non opportune eruit, quando Pontificis Maximi nomen migraverit ad Antistites, atque ab his transierit delatumque fuerit ad solos Antistites Romanos. Simul quomodo Papæ titulus antehac Episcopis simplicibus tribui solitus, proprius deinde ac peculiaris factus sit Metropolitanis, atque ab his tandem ad solos Antistites Romanos, sive usurpatione quadam, sive aliorum patientia & concessione pervenerit, copiose solideque docet. Hinc de Episcoporum officio, & sacræ potestatis origine exponit, quam soli Deo acceptam fert, sive aliquis a Deo nullo alio interveniente, sive ab Ecclesia vocetur. Tum Apostolorum primariorum, & primariis suffectorum duplicem constituit potestatem, alteram ordinariam, alteram extraordinariam, eamque ad Episcopos accommodat, & quatenus Apostolis successerint, ostendit. Quia vero omnium Apostolorum par & æqua potestas fuerit, neque alius in alium quodam præcipuo argumento imperium jurisdictionemque habuerit, manifesto colligit, Pontifices Romanos non concessu divino, neque decreto publico, sed solo sedis Romanæ placito, & privata doctorum opinione, summam in omnes Episcopos potestatem recentiori Ecclesiæ ætate sibi vindicasse. Posthæc discrimen inter Episcopos & Presbyteros in tantum concedit, in quantum a jure humano in ecclesia constituto arcessitur, ac argumentis Divini codicis & ultimæ antiquitatis paria facere, demonstrat, & quomodo deinceps a simplicitate ac moderatione primæ ac nascentis Ecclesiæ recessum fuerit, & paulatim corruptelæ cum ambitione simul invaluerint, atque ordinandi prærogativam Antistites sibi sumserint, tituloque non satis bono ad summum dignitatis hujus gradum pervenerint, ex Chrysostomo inprimis evincit. Dehinc aperit occasiones & causas, quibus cœperit ratio distinguendi Episcopos, quam consuetudinē introductam, sensimque auctam, & vel præcipue ob ecclesias matrices, quæ sive ab Apostolis, sive ab eorum discipulis institutæ sunt, magis magisque amplificatam confirmat, nec minus originem gubernationis Ecclesiasticæ, atque differentiam diœceseōn ac provinciarum ad exemplum & similitudinem regiminis civilis proponit, & his cognata atque consequentia, de Archiepiscopis, Patriarchis, horumque dignitatibus, primum consuetudine & tacito populi consensu receptis evolvit, sic tamen, ut hæc salvo jure imperantium, quatenus ad sacra pertinet, intelligantur. Inde agit de Patriarchis generatim, maxime de iis, qui perpetuo & singulari jure tales censentur, & quemadmodum ex causa celebritatis sedium præcipuum aliquid consecuti fuerint, recte collatis antiquitatum monumentis explanat, simulque admonet, permagnum hic quoque esse momentum consuetudinis, destinationis item atque animi imperantium, præterea decretorum in Conciliis promulgatorum. Quibus traditis pergit ad Episcopi Romani, qui vulgo celebratur, principatum, cujus natales atque initia, progressionem & incrementa justo accuratoque ordine percenset, improbato donationis Constantini M. instrumento, quod ipsimet cordatiores Romanæ Ecclesiæ doctores, veritate victi, dudum quoque improbandum putarunt. Nec meliori loco habet confictas, ac Isidori Mercatoris nomine pervulgatas epistolas decretales, quippe quæ multis falsi indiciis passim se prodant. Eodem modo perquirit artes, quæ obtentu auctoritatis fallendi nesciæ, & supra concilia evectæ, nec non titulo immunitatis atque exemptionis a civili potestate, jactantius quam verius circumferuntur. Ab hac disquisitione transit ad Patriarchas sigillatim, Constantinopolitanum, Alexandrinum, Antiochenum, ac denique Hierosolymitanum, atque hinc progreditur ad Episcopos in inferiore gradu positos, Chor-

episcopos, eorumque dignitatem & munus percenset, simulque Archipresbyteros & Archidiaconos conjungit, ac paulo post de vicariis & *officialibus* tradit, eosq; veteri & integræ ecclesiæ ignotos fuisse docet postremo *Coadjutores*, quos nominant, complectitur, hosque antiquius etiam viventibus Episcopis additos confirmat, primumque adeo librum concludit.

Librum secundum ab electione Episcoporum, quam clerus olim cum populo communem habuit, auspicatur. Postquam vero deinde Imperatores ac Reges Christiani rerum potiti sunt, pro summa auctoritate, qua in republica fungebantur, judicium atq; consensum electionibus Episcoporum eos interposuisse, rationibus & exemplis abunde roborat, Regibusque vindicat hanc eligendi potestatem: ab illis autem dissentit, qui Ludovicum Pium isti juri renuntiasse scriptitant. Causas quoque dissidii ob electiones & *investituras* Episcoporum in occidente excitati reddit, quod non prius sublatum extinctumque fuerit, quam Henricus V Saliquus metu & calamitate coactus annulum ac baculum, quibus episcopi in dignitates suas inducebantur, Lamberto Calixti II. Pontif. Rom. Legato Wormatiæ renunciaret ac resignaret. Non multo post commemorat, quomodo hoc incendium ad vicina regna trajectum fuerit, atque adeo rempublicam invaserit, in qua tamen salva imperii potestate, hoc jus ab imperantibus auferri non possit. Jus *Patronatus* cathedralibus ac collegiatis ecclesiis recentiori more ademptum, eodem modo, quo in parochialibus, locum habere posse, evidenti veritatis argumento existimat, idque in regiũ ac vulgare distinguit, quorũ alterum cœperit cũ imperio Constantini M. alterũ eatenus ad regnantes pertineat, quatenꝰ vel ædificarunt ecclesiã, vel *dotarunt*: sed jus *præsentandi* clericos non simul cũ jure *patronatus* introductũ comprobat, propterea quod ultimis temporibꝰ patroni (vulgares) nihil præterquã processionis aditum in ecclesiis a se extructis & institutis habuerint; quod quale fuerit, ibidem perapte commentatur. Neque eo secius circumspicit dotes ac mores eligendi Episcopi, ut non is, qui per se doctior aut sanctior, sed qui habilior aptiorque sit, ad gerendum Episcopi munus provehatur, dummodo alioquin sanctitate vitæ se probet, & doctrinam

ctrinam habeat sufficientem. Illud scite una expedit, utrum exteri indigenis præferendi sint, quod multis rationibus negat fieri oportere, si originarii & indigenæ præsto sint, qui ex gremio ecclesiæ eligantur. Honestos natales, statum, habitum, constitutionemque corporis, ac virtutes perinde alias, inprimis castitatem, sed voti religione non adstrictam, animum integrum, nulla *simoniæ* labe contaminatum, id est, nulla pecunia prensantem, ac nullo dato pretio sacrum munus capessentem requirit. Eo spectabat olim cura & consilium Gennadii Archiepiscopi Constantin. & Gregorii M. quorũ alter in oriente Leonem Imperatorem, alter in occidente Reges Francorum, Childebertum, Theodebertum ac Theodericum ad emendationẽ hujus corruptelæ induxit, ille etiam insignem Imperatori constitutionem suggessit, quam ibi persequitur, ac varios sacræ pravitatis, quæ simonia dicitur, modos enarrat, & *simoniacos* olim infamia notatos ostendit; qui rigor postea temperatus sit, ut acta pœnitentia, in pristinum statum restituerentur. Quando autem & quomodo ea designatio, quæ dicitur *postulatio*, ab electione distingui cœperit, servato argumenti ordine edisserit, ac verosimiliter conficit, eo tempore, quo populus primum suffragio ac electione privatus est, nec tamen semper impediri potuit, quo minus animi sensa aperiret, *postulationis* vocabulum introductum & usu receptum fuisse. Non ideo tamen, quod idoneus non esset, quem sine nota populus postulasset, sed quia iste nec Regis auctoritatem defugere poterat, & cleri simul consensu indigebat. *Provisiones*, quæ dicuntur, *Papales* adulta Pontificum potestate exortas observat, ex quo excreverit ærarium Pontificis, ac deminuta sit metropolitanorum auctoritas, & ecclesia quoque ceperit insigne damnum, litibusq; distracta sit, cum sic interdũ exteri & peregrini ad dignitatum fastigia eveherentur. Confirmatio quidem veteri instituto ad metropolitanos pertinuit, cum ut de electionis actu, tum ut de electi conditione constaret, quorum alterum sanctionibus canonum congruere debebat, alterum ad doctrinam vitamque electi spectabat, ut ne impedimento canonum prohiberetur. Quod jus machinationibus pontificum postea metropolitanis ereptum esse submonet, quippe quod magnum sane momentum ad sacram monarchiam attulerit, ut hodie confirmationes non nisi Roma petantur. Consecratio, quæ adhibita ab Apostolis, certisque

ceremoniis comprehensa est, retinenda docetur, sed ita, ut ad hunc ritum divina gratia haudquaquam alligata esse censeatur. Qui consecrandi manusque imponendi ritus sequiori tempore presbyteris præceptus, præcipuum dignitatis metropoliticæ momentum est, adeo ut nullus Episcopus, nisi præsente aut consentiente ac petente metropolitano, in civitate vel in provincia vacantis sedis, consecrari ac ordinari possit. Neque hic se non immiscuit Pontifex, & auctoritatis amplificandæ studio desiderioque tractus, professionem fidei ac jurisjurandi formulam ab episcopis exegit. Pallium vero, quod Roma mittitur, non postremum Papalis auctoritatis instrumentum est, quippe quo suscepto demum Archiepiscopi more curiæ Romanæ appellantur, ac Pontificalia munera exequuntur. Id vero ita sibi Pontifices Romanos vindicasse Auctor ait, ut negent ejus conferendi potestatem esse penes Patriarchas Orientis, sed præter jus, ac inaudita altera parte, & contra sanctiones ac decreta hoc fieri, luculenter probat, & Archiepiscopos speciose circumventos, atque ad Papæ obsequium traductos refert, vetusque pallium concessione Cæsarum dari solitum cum recentiori comparat, & alterum ab altero multis modis differre confirmat. Crucis signum, quod Patriarchis, Primatibus ac Archiepiscopis præfertur, primum pietatis excitandæ causa institutum, deinde in pompam abiit, imo æmulatione magistratuum civilium, qui adventantes crucis insigni excipiebantur, cœpisse, ac antiquum adeo officium prorsus amisisse videtur. Translationes Episcoporum non facile olim admissas commonstrat, quod eadem Episcoporum erga sedes, quæ maritorum erga conjuges obligatio existimaretur. Sed ut hæc sententia aliquanto post tēperata, & cum cautione ac exceptione intellecta fuerit, recenset, neq; immerito frequentes atque ambitiosas Antistitum mutationes reprehendit. Nec vero Episcopis protinus esse potestatem abdicandi muneris, ac deserendi gregis, nisi vel crimina in vulgus nota sufficientem abdicandi causam præbeant, vel debilitas corporis atque infirmitas, vel senectus etiam muneri gerendo inidoneum reddat, quo tamen casu eveniente, expectandam ab Episcopo renunciationem docet, scandalum quoque in causis ponit, atque ex more & disciplina veteris ecclesiæ nemini, sua ac propria auctoritate, renunciare licuisse tradit,

CAJE-

CAJETANI VICICH CONGREGATIONIS Clericorum Regularium Liburni Fluminensis Sacer Helicon, continens Poesin Epicam, Lyricam & Epigrammaticam.

Patavii ex Typographia Seminarii, anno 1686, in 8.

Hic Cajetanus uti Thomam de Vio Cajetanum, ordinis sui institutorem summo nunquam non affectu fuit prosecutus, ita eundem devotionis suæ argumentum elegit, vitamque illius omnem ad numeros heroicos non infeliciter revocavit. Huic operi in sex libros distributo Thieneidos nomen tribuit, autores Æneidos, Thebaidos, Achilleidos, Franciscíados &c. imitatus; & quandoquidem Poetarum epicorum est, multa fingere, & episodia identidem quædam veluti infibulare, neque hasce epopœæ leges neglexisse videri Cajetanus voluit. Sicuti v. g. in limine statim libri primi Lutherum, quem pro more contribulium suorum, sed more pessimo, pessimum facit hæreticum, ex Megæra natum fingit, atque ex orco in Germaniã protrusũ; & libro III, ut dæmonis suggestiones exprimeret, fingit Plutonẽ, quia a novo Cajetani instituto offensus esset, Tisiphonẽ emisisse, cumque hæc penes Cajetanum nihil effecisset, Ambitionem submisisse. Nec pauca hinc inde inseruit episodia, seu digressiones Poeticas, qualis illa est lib. IV. ubi occasione a precibus Cajetani, quas Venetiis ad Deum post captam a Turcis Rhodon pro Republica fuderat, accepta, in descriptionem Imperii Ottomannici excurrit. His libris Thieneidos sex subjunguntur libri, duo Epigrammatum, quorum primus epigrammata centum de eodem Cajetano Thieneo, Clericorum Regularium fundatore complectitur; quibus & anagrammata quinque de Cajeatno, & quidem ex hoc programmate: *Beatus Cajetanus Tieneus, Clericorum Regularium fundator*, sunt annexa: secundus epigrammata, ex sacro Salomonis epithalamio maximam partem desumpta. Epigrammata excipit liber Lyricorum unus, ut & Montes Mariani, sive montes duo S. mariæ sacri, Mons videlicet Laurentinus in Piceno, & Exquilinus Romæ, versibus dimetris Jambicis & Anacreonticis, iisque homœoteleutis sive rythmicis descripti, quibus & index rerum in hoc opere contentarum subjicitur. Fuit alias Caje-

ta-

jetanns, ut ne nihil de eo afferamus, Vicentiæ natus, ſed Thieneus dictus, quia ortum debebat Comitibus Thieneis a vetuſta Athenienſium urbe Thiene ſic dictis; & quanquam Patavii juri utrique dediſſet operam, ubi & juris utriusque laurea fuit inſignitus, Theologiæ tamen poſtmodum ſe totum conſecravit. Romam profectus a Julio II Pontifice Protonotarius Apoſtolicus fuit conſtitutus, ſed aulicos mores pertæſus ſacerdotio initiari ſe fecit, ac Roma diſceſſit. Sed Romam, cum aliquandiu in patria & Venetiis ſubſtitiſſet, rediit, & Congregationem Clericorum Regularium, conſenſu Pontificis, inſtituit, primumque ſui ordinis domicilium in campo Martio fixit; ſed ex quo a militibus Caroli V Romam tum diripientibus in carcerem fuit conjectus. Liberatus inde migravit Venetias, & quia Reſpublica illa a Turcis valde eo tempore infeſtabatur, preces quadraginta horarum primus inſtituit. Venetiis diſceſſit Neapolin Pontificis ipſius juſſu, ubi & tandem diem ſuum obiit.

LIBRI NOVI.

Iſtoria univerſale di tutti Concilii, generali e particolari, di Santa Chieſa; di Marco Battaglini. In Venezia 1686. in fol.

Rifleſſioni Geographiche circa le terre incognite diſteſe in oſſequio perpetuo della Nobiltà Veneziana: dal P. D. Vitale Terra Roſſa, in Paduoa 1686, in 4.

De Miſeria Poëtarum Liber primus, qui eſt de Miſeria Poëtarum Græcorum. Collectore D. Joſepho Barberio a S. Elia. Neapoli 1680, in 8.

Lettere Eccleſiaſtiche di Pompeo Sarnelli Protonotario Apoſtolico &c. In Napoli 1686, in 4.

Samuelis König Regnum Minerale. Baſileæ 1686, in 4.

L' Eſprit de l' Ecriture Sainte avec des Reflexions. a Paris & Bruxelles. 1686. in 12.

Les Sentimens illuſtres de quelques grands Hommes d' Etat & tres-prudens Miniſtres. a Paris 1686.

Relation de l' Ambaſſade de Mr. le Chevalier de Chaumon a la Cour du Roy de Siam. A Amſterdam, 1686, in 12.

Errata quædam.

Pag. 95 lin. 12. & 13 pro *reoſcentes*, lege *repoſcentes*. ibid. l. 23 pro *ſoluti* lege *ſolidi*. pag. 274 l. 14 pro *his* lege *huic*. pag. 275. l. 1 lege *infinities*. pag. 511 l. 20. poſt *Nimeccenſi* adde *vulgo* Niuptſchen. pag. 512 l. 24. lege *Lutheri fuit*. ibid. l. 25 lege *ſcribitur: ille etiam*.

ACTA ERUDITORUM

publicata Lipſiæ

Calendis Decembris, Anno M DC LXXXVI.

ΩΡΙΓΕΝΟΥΣ ΠΕΡΙ ΕΥΧΗΣ σύνταγμα μέχει τῦδε ἔτι χρόνῳ ἀνέκδοτον.

Origenis libellus de oratione hucusque ineditus Oxonii e Theatro Sheldoniano a. 1686, in 12.

CUm Origenis de oratione libellus a *Pamphilo* in apologia pro Origene memoriæ proditus, nec in operibus Origenis a *Merlino*, *Eraſmo*, & *Genebrardo* collectis compareat, neque ſeorſim a quoquam hactenus vulgatus fuerit, plane interciſſe videri poterat, niſi *Huetius*, dum in Suecia ageret, manuſcripto codice in Holmienſi bibliotheca Chriſtinæ Reginæ auſpiciis invento, ejusdem editionem orbi literato jampridem pollicitus fuiſſet. Verum cum jam octodecim anni elapſi fuerint, ex quo Vir celeberrimus primum Græci ſui Origenis tomum τὰ ἐξηγητικὰ complexum in lucem publicam emiſit, & poſt tantum temporis intervallū ſecundi tomi, cui libellum de oratione & alia Origenis ſyntagmata deſtinavit, & tertii, in quem dubia & ſuppoſita Origenis opera rejecit, vix ulla ſpes appareat, non defuit in Anglia, qui hoc Origenis monumentum e manuſcripto codice, qui olim Huetio uſurpatus, nunc Cantabrigiæ in Collegio S. Trinitatis aſſervatur, Latina verſione & nonnullis annotatiunculis illuſtratum publici juris faceret.

Dedicavit Origenes hunc libellum *Ambroſio*, cujus hortatu & ſumtu Origenem infinita volumina dictaſſe *Hieronymus* & alii

Scriptores referunt, & *Tatianæ*, quam editionis hujus autor Ambrosii sororem fuisse suspicatur, cum ejusdem uxor in Origenis ad *Julium Africanum* epistola *Marcella* appelletur.

Agit autem Origenes in hoc tractatu primum de oratione in genere, docens quantæ difficultatis opus sit oratio; quid nomina εὐχῆς & προσευχῆς importent; ad quem oratio dirigi debeat; quando & quomodo orandum sit, cæteraque, quæ ad hanc doctrinam pertinent, & refellens eos, qui vel una cum precibus omnem Dei providentiam & cultum aspernantur, vel ex ipsa providentia & prædestinatione preces supervacuas arguunt. Postea ad orationem Dominicam pergit, & singulas ejusdem petitiones fuse explicat.

Cæterum Origenes ut in cæteris suis operibus, ita hic quoque nonnulla intermiscet minus orthodoxa, qualia sunt, quod orationem ad Christum dirigendam negat, ejusque essentiam a Patre diversam asserit, aliaque hujusmodi, quæ vel censorem, vel benevolum saltem interpretem deposcunt.

Postremo loco monemus, Origeniano huic syntagmati breviorem illam orationis Dominicæ paraphrasin subjungi, quam anno 1601. *Morellius* edidit, & Autor noster diu quæsitam tandem in libraria *Isaaci Vossii* supellectile invenit.

A COMMENTARY OF THE PROPHECY OF Hosea.

i. e.

Commentarius in Prophetiam Hoseæ; auctore EDUARDO POCOCKIO SS. Theol. D. Canonico Ecclesiæ Christi & Professore Linguæ Hebraicæ in Academia Oxoniensi.

Oxonii in Theatro Scheldoniano, 1685, in fol.

Sistimus hic compendium Commentarii, qui omnium in *Hoseam* commentariorum compendium, an supplementum videri queat;

at: non illorum modo, quorum Excerpta in Synopsi dedit *Matthæus Polus*; sed & aliorum, quos huic legere haudquaquam contigit.

Namque præter Orientalium Versiones, quarum copiam *Londinensium Polyglotta* faciunt, & Rabbinos, qui ad *Basileensium* Bibliorum margines habentur, *Raschium* puta, *Aben Esram*, *Kimchiumque*, *Abarbanelem* item, *R. Sal. Aben Melech*, alioque id genus, qui typis dudum exscripti, omnium manibus teruntur, sæpissime a Nostro allegata videas opera Judæorum, Arabice, sed Ebræo charactere scripta, hactenusq; ἀνέκδοτα. Ea inter eminet Grammatici celeberrimi *Abuvalid* liber *Mostalhac* & liber *Radicum*, seu Lexicon. Porro *nota* in universa Biblia, Lexiconque *Morsched*, authore R. *Tanchum* Hierosolymitano. Præterea Versio Bibliorum *Arabica*, non uti illa in Polyglottis vulgata est, ad Septuagintaviralem versionem, sed Hebraicam veritatem concinnata, quam R. *Saadiæ Gaon* (Authori versionis Pentateuchi in iisdem Polyglottis contentæ) deberi ex stylo conjicit Pocockius, ad *Hos.* IIX. 9. Sæpe in partes vocantur alii Lexicographi, paucis extra Angliam Europæis visi: *Gieuhari* & *Kamus* Arabes, *Bar Bahlul* & *Bar Ali* Syri, sed Arabice loquentes. Tacemus autorem Lexici Geographici Arabici *Saphoaddin*, librum נשק אלאזהאר R. *Josephi* Commentarium Arabicum in Canticum Canticorum, Notas *Alkaraphi* in Lexicon Kamus, quorum rarius Noster meminit.

Nec temnendi sunt Codices Manuscripti *Raschii* & R. *Davidis Kimchii*, quorum ope non tantum par illud Rabbinorum, sed &, quod potissimum est, Paraphrastes *Chaldæus* ab illis creberrime allegatus, pristinæ integritati restituuntur. E. g. *Hos.* IX, 16. in Chaldæo habetur: אילנא די קלא שרשוהי *Arbor cujus* EXUSTA EST *radix*. At Kimchii Codex: די לקא *percussa est*, plane ut in Hebr. הכה. Pariter illud Targumistæ בחבריה *in socium suum*, *Hos.* III. 1. ejusdem manuscripti autoritate mutare licebit in בחמריה *in vino suo*, (i. e. Ebrietate,) Sic *Raschii* commentarius in *Hos.* II. 5. XI. 5. &c lacunis fœdatur, quæ ex illius Codice manuscripto a Pocockio f. 43. & 599. feliciter supplentur.

Neque minor est usus cæterorum, quos laudavimus, Autorum ἀνεκδότων. Novas enim sæpeq; non ineptas de sensu loci, phraseos, aut vocis Biblicæ submministrant conjecturas, quæ alios, quos evolvimus, interpretes fugisse videntur. Speciminis loco nonnullas adducamus: Hoseæ X. 5. legitur: *Propter vitulos Beth Aven formidabunt Habitatores Samariæ; nam lugebit super eo populus ejus & Camarim (seu Atrati) illius super ipsum* יגילו EXSULTABUNT, *quia honor ejus migravit ab illo.* Cum vero absurdum videatur, Atratos Sacrificulos in Dei sui captivitate exultasse; hinc *Junius*, aliique post *Camarim illius* comma fingunt, cum repetitione vocis אבל *lugebit* (quisque,) & ellipsi pronom. אשר *qui*, itemque enallage futuri יגילו pro præterito, ut sensus emergat: *Quum lugebit de eo populus ejus, etiam atrati ejus, qui de eo exultant.* Contra *Abuwalid* & R. *Tanchum* dicunt, גיל significare in genere *commoveri, affici*, sive gaudio sive tristitia, plane ut Arab. طرب. Illo sensu usurpari *Prov.* XXIII. 24. Hoc vero sensu *Job.* III. 20. השמחים אלי גיל *qui lætantur propter LUCTUM*, sive tempus, quo lugendi sunt. *Abuwalid* addit *Ps.* II. 11. גילו ברעדה COMMOVEMINI *tremore*, quem locum etiam R. *Saadias Gaon* vertit: ארהבוה ברעדה *timete eum cum tremore*; & in nota adjecta, ceu parallelos, adducit *Jobi* & *Hoseæ* locos citatos.

Locum *Hos. XI. 9. Abuwalid* ex quodam R. *Isaaco* hac Paraphrasi illustrat: *Sum Sanctissimus in medio tui,* ואן כנת לא יחוט בי מקאן *quamvis nullus locus me complectatur vel circumscribat.* Et R. Tanchum: *Habitatio mea in te non est localis, sed sanctificans & glorificans te. Nam sane essentia mea magis glorioſa est, quam ut sub limites temporis aut loci venire possit.* Conferri jubet Pocockius *Joh.* IV. 21. Sic Hos. VII. 12. exponit R. Tanchum: *Castigabo illos* כשמע *cum congregavero illos in congregationem suam*; ad normam 1. Sam. XV. 4. וישמע *Et congregavit Saulus populum.* Ejusdem capitis versum *quintum* idem vertit: *Die*, quo *Regem nostrum ægrum fecere* החלו שרים חמת מין *principes veneno* (magis)

gis *quam vino.* חמת enim Ps. LV. 4. *venenum* notat. Dubii significatus vox est עקובה in dicto Hos. IV. 12. *Gilead est urbs maleficorum*, עקבה מרם i. e. (si R. Tanchum & Abuwalid audiendi,) *difficilis aditu* abrupto, hiulco, anfractuoso, (juxta illud *Es.* XL 4. והיה העקב למישור *Et convertetur* curvum *in planum*,) *ob sanguinem*, sive homicidia. Gilead erat urbs refugii; illuc ergo potius via erat complananda & communienda, ne magis ab latronibus, quā vindice sanguinis timendum esset fugitivis *Deut.* X. 3. At contrarium fieri, indignabundus Propheta animadvertit. Nec dissident, quæ occasione loci Hos. XII. 15. R. *Tanchum* & *Abuwalid* de loco *Jobi* XIII. 26. monent, nempe מרורות illic notare *rebelliones*, quo pacto Hemistichium posterius ἐξηγητικὸν prioris esset, quæque isthic memorantur, *iniquitates pueritiæ* responderent *rebellionibus* in Hemistichio priori: quod ut facilius admittatur, contendunt cum illo loco dictum *Hoseæ* citatum, in quo תמרורים *rebelliones* vertunt, divinumque oraculum *Ex.* XXIII. 21. אל תמר בו *Ne rebelles adversus eum.*

Alter illorum usus est, quod testimoniis ipsorum κατ' ἄνθρωπον in contribules pugnare queamus. Unico exemplo rem declarasse sufficiat. Quæritur de bonis *Hoseæ* c. XIII. & XIV. promissis. Monet Hieronymus, *ea* intelligenda esse *non carnaliter, ut Judæi putant, sed spiritualiter.* Conferantur nunc, quæ Pocockius ad Hos. XIV. 8. ex R. Tanchum affert: ולמא כאנת הדה אלמעאני עקליה מחקקה ינכגי תצורה פי חק תע וכתיר מא נכפי ען אלנאס אתבע דלך בקול מי חכם וגו׳ *Hæc cum sint veræ spirituales notiones, ita concipiendæ sunt, prout convenit veritati Dei. Attamen sæpe absconditæ sunt ab hominibus; Hinc subjungit sequentia:* מי חכם וגו׳ Quis est sapiens, *&c.*

Orientalibus Occidentales junxit Pocockius; e patribus cumprimis *Hieronymum*, *Cyrillum*, *Theodoretum.* Ex recentioribus *Ariam Montanum*, (quem ubique *Abarbanelis*, licet nullibi allegati,

vitula araſſe obſervat,) *Petrum a Figueiro*, *Hallum*, *Stokium*, *Rivetum*, *Tarnovium*, alios, quorum numerum inire, catalogumve contexere, nobis nec licet, nec lubet.

SCOPUS totius Operis eſt inveſtigatio Senſus Literalis; (qua etiam de cauſa Talmudiſtarum raro, Kabbaliſtarum vix unquam, aliorum Patrum Homiletarumque nunquam injicitur mentio, eo quod illorum expoſitiones nimis longe a litera Textus divagari animadvertantur.) Ad illum autem inveniendum tria ad ſingulos verſus inquirenda putavit celeberrimus Autor. Primo, *quam conſtructionem & connexionem voces inter ſe invicem habeant*. Porro, *quotuplicem ſignificationem hæc illave dictio ſuſtinere poſſit*; quo fine variorum ſententiæ perſpicue cum fundamentis ſuis adducuntur. Denique, *quem præciſe ſenſum in præſenti loco obtinere debeat*, ubi ſæpiſſime quidem, quando plura Clarorum Interpretum ſuffragia extant, quorum neutri Analogia Chriſtianæ fidei Linguæque Sanctæ connexione textus contrariatur, judicium de illis prudentis Lectoris arbitrio relinquit: quandoque tamen expreſſe fatetur, quæ ſententia e variis illis ſibi magis arrideat; quemadmodum e. g. *Ludovico de Dieu*, adſtipulatur, illa Hoſ. IX. 4. ולא יערבו לו vertenda eſſe: *Et non commiſcebunt ei* libamina, utpote quæ Eſ. LXV. 11. ממסך *mixtura* dicantur. Nonnunquam ex proprio ingenio textum explicat. Res exemplis patebit. Hoſ. VIII. 10. varie ſupplent Interpretes. At, cenſente Pocockio, præter neceſſitatem, ſi וַיָּחֵלּוּ ſignificet *& incipient*, & מְעַט ſit Infinitivus radicis מָעַט *diminui*, ad formam מְלֹךְ *regnare* Gen. XXXVI. 31. Ejusdem capitis verſu 13. זבחי יזבחו הַזֹּבְחִים Targumiſta reddit: *Sacrificant* דמגבן מן אונס *quod exigunt*, PER VIOLENTIAM, vel rapinam. Hinc conjicit Noſter, retroſpici ad crimen Hoſ. IV. 18. ipſis exprobratum: אהבו חבו *Amant τὸ DATE*, q. d. ſacrificia parta per exactionem, illudve avarorum πολυθρύλλητον חב חב DA, DA, Prov. XXX. 15. Sic Syrus: דבחא בגבי לאר מרבחין quod Polyglotta vertunt: *Victimas ſelectas ſacrificant*. At Pocockius: *Sacrificia per exactiones ſacrificant*. Nam *Gebhjotho* 1. Cor. XVI. 2. *Collectiones* notat, affinisque eſt voci

ci גבא *Gabhojo*, Exactor, Publicanus. Hocq; modo nec præfixum *Beth* non converſum remanet, nec Chaldæus a Syro diſſedebit.

Magis adhuc placent emphaſes vocum, quas ex cognatis Linguis eruit. Vide quæ ad *Hoſ.* XII. 13. f. 706. de פַּדָּן contra Bochartum ex Arabum Lexicis diſſerit, cenſetq;, primario quidem illo notari *jugum*, *μετονυμικῶς* autem *jugerum*, ſeu tantum agri, quantum juncti boves uno die exarare poſſunt. Unde dubium illi videtur, utrum *Paddan Aram* ſit tota pars fertilis Meſopotamiæ, (quod Bochartus lib. II. Phaleg, c. 6. aſſerit,) præſertim cum *Bar Bahluli* ſit אסם קריה *nomen oppidi*; ac *Saphoaddin* dicat: פראן *Phadana eſt oppidum Regionis Harran Meſopotamiæ*. Item: תל פראן Tel Phaddan *eſt etiam in Harran, quaſi haberet nomen ab oppido illo*. Digreſſio *de Teraphim* notis in Hoſ. III. 4. inſeritur; ubi multis contra *Chriſt. a Caſtro* & *J. Spencerum* evincitur, ea nihil commune habuiſſe cum *Urim & Tummim*. Quoad Etymologiam, propendet in ſententiam *Zohar*, quod a תּוֹרֶף, תּוֹרְפָא *turpitudo* origines nominis *Teraphim* repetiit; aut potius radicem ejus ex Arabiſmo petendam cenſet, ubi, *Kamuſo* teſte, תרף *Tarepha*, *errare* & *errare facere* notat; adeo ut *Teraphim* & *Errores* vel *cauſæ Errorum* ἰσοδυναμοῦσα ſint. Neque enim (quod objicitur vulgo,) Idololatræ id nominis Deaſtris impoſuerunt, utpote quibus hi *Elohim* ſalutabantur potius, Gen. XXXI. 30. ſed Spiritus Sanctus, ſed orthodoxi, quibus etiam אלילים *Res nihili* Lev. XIX. 4. בשת *pudenda*, Jer. III. 24. Hoſ. IX. 10. שקוצים *Abominationes*, Deut. XXIX. 19. גלולים *Stercorei*, Lev. XXVI. 30. per contemptū vocantur. Danitæ quidē *Jud.* XIIX. 14. eodē hoc nomine idolum appellant, quod cultu divino proſequi, jamjam apud animū ſuum conſtituerant. Sed ex veteri tantum conſuetudine. Hactenus enim ab idololatria ſibi temperaverant. At vero, ubi Michæ ſculptile erexerunt, v. 31. non dubium eſt, quin illud nomine *Elohim* compellare addidicerint. Non improbatur tamen Pocockio R. *Tanchumi* opinio, quam

quam notis ad I. Sam. XV. 23. & Jud. XVII. prodidit, nempe תרפים per *μεθάθεσιν* derivandum ex פתר *interpretari, declarare* (sententiam Numinis, instar Oraculi) quemadmodum פשר non minus ac פרש *interpretari*, קהלת & לקחת *congregationem*, כשב & כבש *agnum* notant.

Facile vero inter observationes Pocockianas familiam ducent illæ, quibus veterum interpretum *Mentem* aut *Lectionem* Codicis Ebræi declaravit. Καρπὸς χειλέων Hos. XIV. 2. in LXX. Interpret. (unde & Paulus id deprompsit Ebr. XIII. 15.) omnibus *fructum labiorum* notare videbatur. At persistit Pocockius h. l. in sua sententia, quam dudum in *Portæ Mosis Miscellaneis*, eruditorum disquisitioni subjecit, καρπὸν h. l. τοῖς ὁ idem notare quod, κάρπωσιν, ὁλοκάρπωσιν, κάρπωμα, ὁλοκάρπωμα, h. e. עולהואשה *Holocaustum*, quod ex פרים *juvencis* parari solebat. V. *Job.* XLII. 8. Unde consequitur, Ebr. פרים non esse in פרי *fructum* commutandum; cum *juvenci labiorum* & *holocausta labiorum* sibi invicem optime respondeant. Addimus *Hos.* XII. 12. ubi Ebr. כגלים *sicut tumuli* Græcis redditur ὡς χελῶναι. En Verba illorum: καὶ τὰ θυσιαστήρια αὐτῶν ὡς χελῶναι ὅπι χερσὸν ἄγρου. *Et altaria eorum quasi* testudines *super desertum agri.* Sic *Polyglotta*, Hieronymum & Theodoretum secuta, vertunt. At *Cyrillus*: Χελῶνας δὲ εἶναι φησὶν ἐχὶ τὰ ζῶα, μὴ τᾶτο νομίσαι, ἀλλὰ γὰρ τὰς τ χωμάτων ἐγέρσεις. Hinc ansam arripuit Pocockius pari modo Syrum exponendi, in cujo quidem interpret. Latina itidem *Testudines* habentur: nec *Gregorius* Syrus aliter accepit: חרבין איך גלא דמיתין מן כלי מיא i. e. *Destruentur, ut testudines, quæ moriuntur ex defectu aquarum.* Consentit *Bar Bahlul.* Contra Pocockius optime Syro cum Ebræo convenire autumat. *In Ferrarii enim Nomenclatore,* (inquit,) *modo ejus authoritas extra exceptionem est*, גלי דכיפא congeries lapidum *est.* Quid ergo vetat *Syr.* גלא per *Ebr.* גלים *cumuli, tumuli, congeries*, vertere, quum illud huic procul dubio origines suas debeat?

Dein

Dein cum Capellus, Tremellius, aliique ubivis pene in LXX. Interpretum Codice aliam Lectionem extitisse censeant, quam qualis in modernis Judæorum Codicibus deprehenditur, hinc Pocockius licentiam illam Varias lectiones fingendi coercendam esse arbitratus est. Sic Hos. V. 7. Hebræa quidem: עתה יאכלם חדש *Nunc deverabit eos LUNA* vel NEOMENIA. Ast LXX. Νῦν καταφάγεται αὐτὰς ἡ Ἐρυσίβη. *Nunc devorabit eos sideratio* vel *arugo. Grotio, Riveto*, &c. legisse videntur חסיל, quod ab iisdem ἐρυσίβη vertitur *Joel* I. 4. 1. *Reg.* VIII. 37. *Ps.* LXXVIII. 46. Pocockius vero miratur, quod חסיל (Locustæ genus) Ἐρυσίβην verterint; non item, quod חרש eadem voce reddant. Ærugine enim vel *Siderationem* ipsorum opinione fuisse influxum malignum *Siderum* & speciatim *Lunæ* (conf. *Ps.* CXXI. 6.) ideoque illos caussam (*Lunam*) nomine effectus expressisse. Sic *Hos.* XI. 5. negatur Israelis reditus in Ægyptum, לא ישוב *Non revertetur.* Sed LXX. κατώκησεν Ἐφραὶμ ἐν Αἰγύπτῳ. Hinc Capellus cum Tremellio conjicit, legisse illos: לו יָשַׁב *sibi habitavit* Ephraim in Ægypto. Pocockio autem judice, Græcorum affirmativa in Præterito, æquipollet Ebrææ negationi in futuro, uti *Matth.* VI. 2. *Acceperunt mercedem*, i. e. nullam mercedem accipient, *Luc.* XVI. 25. *Accepisti bona tua*, i. e. nulla imposterum accipies. Sic h. l. *Habitavit in Ægypto* i. e. non iterum illuc revertetur, ut illuc habitet; Assur enim illos in via intercipiet, atque vel invitos in regione sua retinebit. Pari modo vers. seq. iidem conjiciunt, Græcos legisse בידיו *in manibus suis*, pro בריו, eo quod vertant: κατέπαυσεν ἐν ταῖς σ ἐν αὐτῷ. Sed præter necessitatem, (inquit Noster) cum & ברים non *ramos* tantum, sed & *membra, artus*, notent, לפי שהם לאדם כברים לאילן *quia illa homini idem sunt, quod rami Arbori. Hos.* XIII. 15. יפריא LXX. reddunt διασελεῖ, Vulg. *dividit.* Hinc legisse dicuntur aut יפריר, aut יפליא. Negat id Pocockius, cum Arab. פרי notet *discindere, separare, dividere*

videre, æque ac Græc. πεῖσω; unde eandem significationem Ebrææ matri non defuisse, aut τοῖς ὁ ignoratam fuisse, censet. Ita quoque alibi minus suetam vocis significationem respexisse interpretes, idem pluribus probat. Sic enim Hos. IX. 7. Ebræa ידעו ישראל *Sciet Israel*, LXX. h. m. efferunt: καὶ κακωθήσεται Ἰσραὴλ, *Et affligetur Israel.* Ideoque ex *Hieronymi* conjectura, legerunt ירעו a רוע. Pocockio vero videntur in mente habuisse rariorem radicis ידע significationem, quæ tamen nec R. *Mordochai Nathanem*, *Schindlerum*, aliosque latuerit, qua e. g. זיורע *Et scire fecit* Jud. VIII. 16. æquipollet τῷ *Et punivit*, unde illic R. *Tanchum* exponat ואדב יעאקב ערב *punivit*, *torsit*, *castigavit*. Hos. X. 1. habetur vox בוקק *vacua*, aut *evacuans*. Conf. Nah. II. 2. Es. XXIV. 1. Jer. XIX. 7. At Græci: Ἄμπελος εὐκληματοῦσα, Vinea *bonas habens propagines*, seu fœcunda. Putarunt quippe sensum vocis consuetum inconcinnum esse, adeoque h. l. sensum plane contrarium arripiendum, qui tamen Harmoniæ linguarum cognatarum ceu fundamento innitatur. Arabica enim lingua Pocockio fidē facit, בקק olim Hebræis *plenum vel fertilem esse*, *abundare*, itidem significasse. Namque Arabicum *Bakaka* & *Bakka* id significat. Unde *Gieuhari*: בקת אלשמא Bakkat Assamao, i. e. *cœlum effudit multum pluviæ*; & בקת אלמראה Bakkati Ilmarato, i. e. *enixa fuit muliam sobolem* (mulier.) Sic *Bakka* largiter spargere & בקאק *vir verbis abundans*, sive *garrulus* est.

Quæ tamen omnia non eo animo dicta cupit, ac si Lectionem Græcorum Ebraicæ veritati semper conciliari posse putet. Ipsemet enim varias subinde affert conjecturas, quomodo illi in Codice suo legerint, aut legere se existimarint. Pertinet huc locus *Hos.* VIII. 1. אל—חקך שופר כנשר על בית יהוה h. e. ex vers. *Junii*: (Adhibita) *Palato tuo Buccina* (dicito: Involat) *similis aquilæ in domum Jehovæ*. Verum LXX. in Bibl. Polyglot. Londin. item ap. Cyrill. & Hieron. Εἰς κόλπον αὐτῶν ὡς γῆ, ὡς ἀετὸς ἐπ' οἶκον κυρίου. In Edit. autem Wecheliana: ὡς γῆ ἄβατος, ὡς ἀλώπηξ, ὡς

ὡς ἀετός. Hic *Drusius*, *Schindlerus*, *Capellus*, τὰς ὁ legisse autumant חיקך vel חיקם *sinum eorum*, loco חקך; itemque אפר *cinis* aut עפר *pulvis* cum præfixo *Caph*, loco שפר h. m. אל—חקם כעפר. Sed unde ἄβατος & ὡς ἀλώπηξ? Respondet *Pocockius*, fortasse hæc verba in Codice Interpretum temporis tinearumve injuria subesa aut erasa fuisse, nonnisi subobscuris literarum vestigiis relictis. Unde, cum putarent priores duas voces legi posse אל—חקם, verterint εἰς κόλπον. Alterius vocis שופר reliquias locum dedisse variis conjecturis, quas omnes margini ascripserint. Aut enim 1. legi potuit עפר vel כעפר ὡς γῆ, aut 2. עופל (quod ἄδυτον reddiderei. Par. XXXIII. 14.) γῆ ἄβατος, aut 3. שועל, ἀλώπηξ, *vulpes*. Quæ variæ de vera lectione conjecturæ successu temporis ex margine in textum simul irrepserint. *Ejusdem Cap. versu 9.* Hebraica Biblia habent: אפרים התנו אהבים *Ephraimitæ mercede conduxerunt amores.* At Græca: δῶρα ἠγάπησαν, *munera amarunt*. Pocockius itaque conjicit, ipsos ita textum punctis instruxisse: התנו אתבים τὸ *DATE amant*; plane uti supra *Hos.* IV. 8. אחבו חבו *Amant* τὸ *DATE* Pariter *versu seq.* pro ממשא legisse censet ממשח, eo quod reddiderint τὸ χρίειν: item Cap. IX. 2. ירעם pro יורעם; Vertunt quippe ἐκ ἔγνω αὐτός. Unicum adhuc e multis addimus. *Hos.* XIII. 2. fontes ita fluunt: עגלים ישקון *Vitulos osculabuntur.* At Septuagintaviralis: μόσχοι ἐκλελοίπασι, *Vituli defecerunt. Capellus* hic tacet. *Grotius* inquit: Legerunt ישקטון *quieverunt.* Verum probabilissime (si quid judicamus,) *Pocockius* יפסקון *defecerunt.*

Profanæ quoque literaturæ non uno in loco lux haud vulgaris affusa deprehenditur. V. G. Dissident Eruditi, quid Baccharum voces εὐοῖ σαβοῖ significent. *Edmundo Dickinsono* sunt Bacchi nomina, & eadem quidem cum ἰέυω σαβαὼθ, *Jehova Zebaoth. Bocharto*

ἐυοῖ est אַבּוֹי Prov. XXIII. 29. Ariæ Montano הָבוּ *Afferte*. Altera vox סַבָּא *Potum*, vel *vinum* notat. Hinc Pocockio interprete, ἐυοῖ σαβοῖ est: *Afferte vinum*.


Et hæc quidem ex Opere hoc eruditissimo in gratiam Sacræ Critices Cultorum, quibus Anglica legere non est datum, prolixius paulo excerpere lubuit. Cæterum quin illud non minus ac *Lightfooti* opera, versione Latina dignum sit, nobis extra controversiam ponitur. Servabit illud Autori suo, præconiis nostris majori, æternam Nominis famam, quam dudum meritus est pluribus divinii ingenii monumentis. Præter *dedicationem*, & triplicem indicem *Rerum*, *Dictorum* Scripturæ, *vocumque Hebræarum*, nihil commemorandum nobis restat, nisi mantissæ loco adjecta, epistola Anglica Clarissimi *Eduardi Bernardi*, Professoris Astronomiæ Oxonienſis ad *Eduardum Pocockium*, comitem habens *tergeminam tabulam* Latinam, in qua *Mensuras* Veterum *Concavas* quadraginta quinque, Eorundem *pondera* sexaginta octo, *mensuras* item *distantiarum* quadraginta unam recenset, confert eas inter se invicem & cum modernis ponderibus ac mensuris, illustrat calculis Authorum editorum pariter ac manuscriptorum, Arabum, Ebræorum, Græcorum, Latinorum cujuscunque ævi, & ex propria tandem experientia veram illorum quantitatem definit. Innumera enim numismata vidit & appendit Oxonii, in Archivis *Laudi* Archiepiscopi Cantuariensis, in scriniis *Freakianis*, in *Romana Collectione*, quæ in Collegio Ecclesiæ Christi visitur, in museo denique literatissimi *Walkeri*, Rectoris Collegii Universitatis. Ex exploratissimo igitur numorum pondere pariterque certa longitudine *Stadii Herculis*, Ædis *Minervæ* Athenienſis, Pavimenti *Panthei*, *Pedis Capitolini* Lucæ Pæti, *Theatrorum*, *Amphitheatrorum*, *Aquæductuum*, aliarumque Antiquitatis reliquiarum, itemque indubitata ovorum Rabbinicorum capacitate omnium aliorum ponderum mensurarumque quantitatem colligit. Nos nihil in votis magis habemus, quam ut amplissimi in Tabulas illas *commentarii*, ut & Archæologiæ *Fl. Josephi* emendatæ ac illustratæ properata editione, (cujus spem in Epistola fecit,) orbis literarii desideria quamprimum exple-

TAB. XIV *ad a. 1686. pag. 545.*

Fig. 1.



Fig. 3.






Fig. 4.





Fig. 2





expleat *Clarissimus Autor*, quem vel hæc æternorum operum biga mori vetabit.

CASPARIS KINSCHOTII POEMATA IN LIBROS IV. digesta.

Hagæ Comitis, apud Arnoldum Leers, An. 1685, in 8.

PEtri Francii & *Jani Brotkhusii*, duorum Poetarum apud Batavos hodieque florentium poemata, quæ non sine applausu literarii orbis prodierant, superioribus annis ad Acta nostra retulimus. His si non felicitate poëtandi, certe tempore & dignitate anterior est *Caspar Kinschotius*, ex prænobili Kinschotiorum in Belgio Fœderato familia oriundus. Obiit enim jam anno seculi hujus XLIX, sed in ipso juventutis flore, cum annum ætatis septimum & vigesimum vix fuisset supergressus: Poeta alias non felicissimæ tantum venæ; sed & linguarum literarumque humaniorum scientia non perfunctorie imbutus, imo titulo quoque Jurisprudentiæ Romanæ decoratus, qui &, cum in Comitatum VII. virorum ad Pacis negotia e Fœderato Belgio cum summa potestate fuisset adscitus, non pœnitendam publico operam in celeberrimo illo Monasterienſi conventu per triennium navavit; seque, uti omnium undique Legationum primoribus, ita *Fabio* imprimis *Chisio*, tum Nuncio, postea *Alexandro* VII, Pontifici Romano, singulari officiorum arte, ingeniique nobilitate charum amabilemque reddidit. Dum in vivis erat, amicissima corcula agnoscebat, *Nicolaum Heinsium*, *Rabodum Hermannum de Schele*, *Joh. Fredericum Gronovium* & *Janum Vlitium*; quemadmodum & in collimitio mortis jam constitutus Heinsio poetas omnes Latinos, & Vlitio libros omnes Italicos, Hispanicos Anglicosque tanquam pignus amoris sui non pœnitendum supremis tabulis relinquebat. De cætero, quamvis & Schelius & Gronovius consanguineos Kinschotianos instantissime sollicitarent, ut carmina Casparis sui politissime scripta expromerent, & publicæ exponi luci permitterent, nihil quicquam tamen illorum precibus toties repetitis extorquere ab iis potuerunt. Tam felici autem *Jacobo Gronovio* esse licuit, ut abs nobilissimo

Rulando Carpenterio, JCto, ad quem tanquam ad patruelem poemata Kinſchotii ἀνυόγραφα tranſierant, non difficulter eadem impetraverit. Hic igitur ne in tenebris amplius habitarent eximia Kinſchotii, paterni amici, carmina, ea ex chirographo autoris diligenter inſpecto examinatoque edidit, & in libros IV. digeſſit, quorum primus Sacra & Pia, ſecundus Elegias & Eclogas, tertius res geſtas, quartus Miſcellanea complectitur.

BIBLIOTHECA MAGNA RABBINICA, AUTORE D. Julio Bartoloccio de Celleno, Congregationis S. Bernhardi Reformat. Ord. Ciſtercienſis S. Sebaſtiani ad Catacumbas Abbate.

Pars III.

Romæ, ex Typographia Congregationis de propaganda fide, 1683. in fol.

QUemadmodum ſerior ætas diuturno rerum uſu artes univerſas tantopere acuit & lævigavit, ut præ acie & fulgore metuantur magis a multis, quam tractentur: ita & rerum præteritarum immenſo cumulo *memoria* non exercita magis quam obruta videtur. Neque vero novercam vidimus naturam, quæ cum nimio beneficiorum affluxu memoriam propemodum abſorpſerit, non de commodis proſpexerit adjumentis, quibus in vigore & flore conſervetur. Indulſit enim calamum, donavit typos, conceſſit chartam. Ut ne memoria conquereretur, ſe rerum tam multis ſeculis geſtarum haud capacem: ſed ut *ſervos*, ſervandis illis genitos, noſſet, *libros* puta & *Bibliothecas*, a quibus prompte exigere præterita omnia, & cum voluptate, poſſet. Sicuti ergo erudito hoc ſeculo de nobiliſſimo præſtantiſſimarum rerum theſauro, memoria, viri doctiſſimi optime mereri ſtuduerunt, certatim abdita quævis & vetuſtate ſepulta artium monumenta literis mandando: ita præclaræ quoque *hiſtoriæ literariæ*, quæ viros doctos eorumque ſcripta & acta a prima ætate refert, & dignis elogiis exornat, multi pertinaci incubuere labore, viri & ingenio, & judicio, & antiquitatis peritia, & ſtudio excellentes.

Hinc

Hinc illuſtria publicaque *Anglorum*, *Gallorum*, *Italorum*, *Batavorum*, Collegia orbi erudito ſunt aperta, recentiſſimis clarorum virorum monumentis ornandis ac ab interitu vindicandis conſecrata. Hinc intra paucos annos *privatæ* magnorum virorum operæ, librorum & Bibliothecarum, veterum ac recentium, hiſtoriam complexæ in lucem prodierunt, ea diligentia non elaboratæ ſed elucubratæ, ut earum Autores ædes *veterum* collapſas ſine metu perrupiſſe, & jam olim extinctos viros doctos ſuſcitaſſe, eosdemque de rerum abſe geſtarum ſerie ſollicitaſſe videantur. Nec minus tantam *novæ* quoque Reipublicæ literariæ cognitionem præ ſe ferunt, ut præſentium noſtræ ætatis inclyta virorum doctorum muſea perreptaſſe, chartas reconditas excuſſiſſe, imo mentis acie ſecreta cunctorum de literis conſilia inſpexiſſe putentur. Neque inexhauſtum laborem frangere aut enervare potuit *Judaicæ gentis* horridus cultus, ſordidus habitus, & a luce propemodum remota ſchola: dummodo Chriſtianis univerſi orbis ſtudia panderentur. Quippe & in his exoticis literis elaborarunt Chriſtiani ad invidiam usque Judæorum, quos ſuæ ſomnolentiæ vel inſcitiæ puduit, dum Chriſtiani *hiſtoriæ Judæorum literariæ* peritiores ſunt viſi. Quare ante quinquennium ex Judæis præcipuus prodiit *R. Schabtai ben Joſeph*, qui calcaria a noſtris, Buxtorfio, Hottingero, Plantavitio, ipſoque Bartoloccio, ut fatetur, ſibi addi paſſus, Bibliothecam ſcripſit Rabbinicam, *Sepher Siphte Jeſchenim*: quam in *Actis anni 82. p. 201. ſeqq.* recenſuimus. Chriſtiani autem, hiſtorica methodo diligentius exculta, rerum antiquarum ſcrutatores exiſtunt oculatiores, inque ſolis nominibus Autorum ac librorum commemorandis acquieſcere rem tenuem æſtimant, ſed omnem vitæ & ſtudiorum fortunæque ambitum ſua perveſtigatione comprehendere, glorioſius ducunt. Ingenii inſuper & morum Judaicorum formam explorant. Ne quid & in his literis maneat reconditum, ſed ut, quem Judæorum Doctores a doctrina aſſumſerint ornatum, vel quem literæ a Judaicis moribus induerint ſitum & ſqualorem, recluſum exhibeatur.

In diffuſo hocce ſtudio præ aliis ſedulo occupatus fuit hactenus vir laborioſiſſimus, Cl. *Bartoloccius*, Linguæ Hebrææ & Rabbinicæ in Collegio Neophytorum & Transmarinorum ab anno 1651. ad decrepitam,

pitam, quam nunc agit, ætatem Romæ Professor *(Tom. III. f. 756.)* opus mole & labore magnum molitus. Quicquid enim viginti quinque annorum studio in hoc literarum genere ex manuscriptis & impressis codicibus hauserat, quod ad *Rabbinicam historiam literariam* pertinere existimabat, in prægrandem cumulum, concinne tamen dispositum, congessit, ac קריות ספר ex Jud. 15. 15. & *Bibliothecæ Rabbinicæ magnæ* insigni decoravit. Ansam huic operi dederat R. Juda Iona, *s. Johannes Baptista Jona*, ex Iudæo Christianus, Autoris in Rabbinicis doctissimus Magister, & in Vaticana Bibliotheca ab anno 1650. usque ad d. 26. Maji, 1668, quo vivere desiit, socius, Hebraicæ linguæ in Romano Archigymnasio & in Collegio de propaganda fide Lector, librorum Hebraicorum in Bibliotheca Vaticana scriptor, Orientalium linguarum, Judæorum atque Æthiopum apud S. Sedem, quam vocant, Apostolicam Interpres, & Catechumenorum Instructor; cujus doctrinam, omnemque animi & vitæ conditionem prædicat Autor *Tom. III. f. 48. seqq.* Hic scribere inceperat Catalogum omnium Autorum Hebræorum, temporum serie servata: facto initio ab Abrahamo Patriarcha, usque ad præsens seculum. Sed morte præventus illum absolvere non potuit. Hujus Catalogi aliqua folia Autori communicaverat, quæ ipsum impulerunt, ut Bibliothecam hanc Rabbinicam scriberet; stylo tamen prorsus diverso: dum Jonas recensuit Autores secundum tempus, quo floruerant, unde, judice Bartoloccio, *l. c. f. 52.* dicendus potius fuerat iste liber Hebræorum Autorum Chronologia. De ipsis Autoribus, præter nudum nomen, cognomen, & patriam, nullam aliam notitiam attulerat, contentus, si solum nomen aut titulum libri indicasset, nihil de ipsius argumento. A qua Magistri methodo longius abiit Bartoloccius, Christianorum usibus magis inservire doctus: cujus institutum prosequemur paucis.

Ingentem rei literariæ Rabbinicæ molem in quatuor distinxit Tomos: quorum *duo priores* antehac, anno 1675. & 1678. *tertius* sub nostro actorum curriculo, anno 1683 lucem adspexit, *quartum* expectamus. Nec mirum, literarum Judaicarum pauperiem in tantam opulentiam excrevisse, & Rabbinicam obscuritatem tanto splendore coruscare. Liberalitati id debetur Autoris, Qui, ut gentis a luce

a luce longissime semotæ literas ex tenebris rectius evocaret, ac conspectui omnium clarius exponeret, Judæorum indigentiæ nonnihil indulsit, ac a luce aliena aliquid impertivit. Non enim Rabbinicam solum difficilem autoritatem commemoravit: sed & Prophetarum, ac virorum pietate & in veterem Ecclesiam meritis illustrium, gravi dignitate, austeritatem illam temperavit. Distinctus itaque Rabbinorum ordo, Davidis, Danielis, Habacuc, Haggæi, Zachariæ, Prophetæ, & Johannis Baptistæ patris, decoris luminibus. Quibus accesserunt, qui a fide Christiana, cui nomen dederant, luce quadam sunt illustrati: Antonius Margarita, Alphonsus Neophytus, Hieronymus a S. fide, Hieronymus de Bononia, Epiphanius, Egesippus, Victor a Carbe &c. Neque exclusæ a Doctorum subselliis matronæ, in Ecclesia antiqua virtute & prudentia claræ: Hanna, Debora, Chulda. Nec illæ feminæ prohibitæ, quæ famam scribendi exercitatione consecutæ Rabbinicam sapientiam spirabant: Beruria, Debora, uxor R. Josephi Ascariel. Admissi quoque sine invidia, Philosophorum, Medicorum, Doctorumque gentilium ac Christianorum principes, dummodo habitum alicubi induerint Rabbinicum: Avicenna, Hippocrates, Averroes, Euclides, Almansor, Alpharabius, Alphraganus, Aristeas, Archimedes, Aristoteles, Galenus, Boetius, Thomas Aquinas. Quibus se adjunxit Æsopus, Rabbinico pallio superbiens. Facilius locum invenerunt, qui Christiana religione abnegata, turbæ illi se sponte immiscuerunt: Johannes Rodericus, Medicus & Chirurgus, Zacutus, Medicus celebris, anno 1642. defunctus. Agmen clauserunt alii, qui Judaico sanguine creti, a dicterio quopiam vel arte aut qualicunque invento, nomen non omnino nullum inter suos erant consecuti. Nequaquam vero contentus Bartoloccius nuda nominum relatione, potissimum scripta eorum Hebraica, Arabica, Græca, Latina, Germanica, Italica, Lusitanica, recensuit, quæ vel manuscripta in Bibliothecis publicis in & extra urbem latere viderat, vel ex variis editis indicibus & catalogis didicerat, vel typis impressa cognoverat. Quare Buxtorfii, Plantavitii, Hottingeri, Spicelii, Kircheri, Genebrardi, aliorumque, ut & Chronologorum Judaicorum, Autorum præcipue Juchasin & Schalscheleth Hakkabbala, usus opera, eosdem simul, sicubi in enarrando lapsi, diligenter correxit ac e-

mendavit. Varias singulorum librorum editiones enumeravit: versiones, a viris doctis editas, notavit; & quousque vel sua lectione, vel aliorum auxilio penetrare potuit, breve argumentum exhibuit. Præterea, pro historiæ antiquæ, Judaicæ præsertim, imperfectione, præcipuorum Autorum patriam, familiam, ingenium, studia, eaque Philosophica, Medica, Historica, Grammatica, Cabbalistica, artem & usum typographiæ, honores, fortunam, res gestas, exilia, natalem & ultimum diem, cum cura indagavit. Ordinem vero commodiorem, quo Rabbinos eorumque comites locaret, non invenit, quam Alphabeticum, quem lectorum usibus apprime inservire credidit, dum in eo prænominum seriem sequeretur. Sicuti *in parte I.* ab א ad ג, *in II.* a ד ad ט est progressus, *in III.* unicam literam י absolvit.

Hoc labore defunctus, alterum suscepit. Constituit enim, in hac bibliotheca magna non libraria tantum Judæorum monumenta & doctrinæ vestigia exhibere: sed & morum formam, animique et studii imaginem sistere. Ut Judæorum exemplo pateret, quid possint literæ, & quid earum neglectus vel contemtus ferat, & numquid vere dixerit Poeta: didicisse fideliter artes emollit mores, nec sinit esse feros. Historiam itaque populi Mosaici a lectore operis colligi exactam voluit. Quo fine ipse de Hebræis scribens, iisdem, quibus olim de Romanis scripturus Livius, verbis lectorem admonet: *adilla mihi acriter intendat animum, quæ vita, qui mores fuerint, per quos viros, quibusque artibus, domi, militiæque & partum & auctum imperium sit. Labente deinde paulatim disciplina, velut desidentes primo mores, deinde ut magis magisque lapsi sint, tum ire cœperint præcipites, donec ad hæc tempora, quibus nec vitia nec remedia pati possunt, perventum est.* Neque id felicius se effecturum autumavit Autor, quam si ipsorummet Judæorum verbis, quid sentirent, edoceret. Maxime vero, quod præter humanitatis & officiorum supinam plerorumque ignorantiam, etiam a vita quæ in Deo est, Rabbinicus fastus prorsus sit abalienatus, ut polluta mens & conscientia non possit non calamum eorum polluere & chartam maculare. Hinc ortus longissimarum *Digressionum* decursus. Sæpe censuram addidit Cl. vir, in reliquis pio & subacto lectoris judicio confisus. Nonnullum etiam fructus ex Rabbinorum lectione hauri-

endi

endi gustum, aliis *Dissertationibus* lectori præbere libuit: ut intelligeret, aurum non ex stercore solum Ennii Latinis, sed & Rabbinorum, Christianis eruendum esse. Inter hæc alias *digressiones*, ad illustrandam rem Judaicam facientes, in quibus, quas Romanæ doctrinæ inservire opinabatur, amore saltem traditæ avitæ religionis impulsus, ubi visum fuit, non neglexit. In his iterum sæpiuscule ad singularia momenta, rem Hebraicam attinentia, excurrit. Quemadmodum *in Tom. III. f. 750. seqq.* lectorem oblectat honorifica mentione Clarissimorum virorum, qui *hodie* in literis Hebraicis ac Rabbinicis *Romæ* excellunt, ac non professione solum in variis Collegiis hæc studia auditoribus commendant, sed & frequentissimis concionibus Judaicam gentem informant. In his, ut aliquos memoremus, non sine elogiis effert *D. Johannem Pastritium, D. Laurentium Morosinum, Ludovicum* Maraccium, Michaelem Heckium, *Johannem Antonium Vannium, Gregorium de Scharinthiis, Franciscum* Mandarinum *de Trebia, Gregorium Compagni, Romanum Petrellium, Ignatium Savinum, Octavium de Jadera, Angelum a Sirolo, Josephum Sabbathinum, Angelum Formentinum, Ascanium* Morganam, *Thomam Cantoni, Calixtum Rodigerium, Calixtum* Morallum, *Antonium* Mariam Castellum, *Martinum Sebregandium, Paschalem Pagnanum, Justinum Camporam, Benedictum Giancasperum, Theodorum Landum, Johannem Baptistam Borgiam, Johannem* Mariam *Gabriellium, Petrum Plantamonium, Dionysium Echellensem, Augustinum Grimanum, Julium* Morosinum, utrumque ex Judæis conversum, qui veluti milites auxiliarii, quotiescunque sit opus, pro religione Christiana contra Judæorum perfidiam pugnaturi, in arenam descendant, *Carolum* Marianum, *Johannem Franciscum de Laurentiis, Odoaldum Altham, Franciscum Grisendum.* Quibus doctissimis viris doctissimam adjunxit *Tiburtinam virginem*, quæ urbanum Romæ domicilium habeat, nomine *Ceciliam Sebutiam*, annorum, cum ante triennium hæc scriberet, circiter 18, quam mirifice collaudat. Ceterum, sicut triplicem operibus subjecit *indicem*, librorum Rabbinicorum, Locorum Scripturæ, ut & rerum & vocum memorabilium: ita *Elenchum* præcipuarum Digressionum atque Dissertationum, quæ per multa folia interdum sunt fusæ, singulis par-

ibus præfixit. Nec pœnitebit, in Tomo III. occurrentem discursuum seriem repetere: *De balsamo Jerichuntino. De Caryotis. De antiquitate linguæ Hebraicæ contra Syros & Chaldæos. De Judæ proditore, ejus patria, opificio, morte. De Mischna orali & traditionali lege. Quo anno Mischnæ syntagma fuerit inceptum & absolutum. De Sedarim, ordinibus Mischnæ. De Massichtoth, codicibus sive libris Mischnicis. De Mischnæ codicum argumento & inter se connexione. Index Alphabeticus omnium codicum Mischnæ. Omnium capitulorum Mischnæ argumentum. Cur Christus prohibuerit discipulis, cum ad prædicandum eos mitteret, ne tollerent virgam, marsupium, calceamenta De oblationibus, decimis, donis & eleemosynis in lege præceptis. Frugum species quænam sint apud Judæos. Cur Christus adhuc puer ad diem festum Paschæ voluerit ascendere. Lunæ phasis quomodo ab Hebræis observata. De cornu arietino inflando in principio anni. Quod mulieribus in templo residere permissum: ubi de præsentatione B. virginis Mariæ in templo. Monasteriorum pro sacris virginibus ostenditur origo ex Rabbinis. De sacrificio filiæ Jephtæ. Stationum & Jejuniorum universalium institutio & origo. In quonam consistat essentia matrimonii apud Judæos. Differentia inter crucifixionem Christi & Stephani lapidationem quænam sit. An progentilibus in Mischna intelligendi sint Christiani. Rabbini, qui in Capitulis Patrum nominantur, quinam sint. De ætatibus hominis. Index Alphabeticus primæ vocis omnium capitum Mischnæ. De Tanaitis sive Mischnicis doctoribus & illorum Catalogo. De opinione probabili secundum Rabbinos. De Baraita, Tosiphta & Mechilta. De Gemara & Talmude. Catalogus codicum Mischnæ, qui cum Gemara vel sine Gemara reperiuntur in utroque Talmude, Hierosolymitano & Babylonico. Censuræ in pravam doctrinam Talmudis Babylonici. יהוה Dei nomen, quomodo legendum. De Sabbati sanctificatione. De Excommunicatione Judaica & ejus speciebus. De circumcisione. De resurrectione mortuorum, & quomodo futura secundum Talmudistas. De Amoraim, Amoraitis sive Gemariticis & Talmudicis doctoribus. De Scholis & Academiis Babylonicis. De Sevurae, Sevuraitis Doctoribus. De Geonim, Geonitis illustribus doctoribus. Catalogus Amoraitarum doctorum, quorum nomina referuntur in Censuris ad Talmudem Babylonicum. An a con-*

cione sive sermone, qui singulis Sabbatis Romæ habetur ad Hebræos, arcendi sint Christiani? Catalogus Rabbinorum, qui interfuerunt disputationi cum Hieronymo a S. Fide coram Antipapa Benedicto XIII. Morenu, tituli Judaicæ dignitatis origo & existimatio. Concordantiarum Hebraicarum S. Scripturæ apud Hebræos origo. Hornii fabula de sepulcro Mosis nuper invento detegitur, atque exploditur; & Patres Soc. Jes. ab Hornianis calumniis vindicantur.

Quanquam vero in densa Rabbinici otii caligine occupatissimi Autoris oculos facile quædam effugerint, quod haud invitus lartur *in Præf. Tom. I.*: nihilominus, si nonnulla etiam excidissent in diffusa rerum copia, cum in Judæorum hypothesibus enarrandis fere sepultus esset, quæ eliminata mallet alius, quid foret mirum? Ceterum, si meminerit lector, καθ' ἄνθρωπον si disputemus, vel alienam personam geramus, non quod ipsi sentimus, defendi ac confirmari: non pauca forte in Autore rectius intelliget. Ita nulli dubitamus, quin animus absit, dum Rabbinorum calculo disputationis suæ nervum concedens, Jesu Christi nativitatis annum 3760, mortis 3793, urbis destructæ 3828 cum Judæis definit, ac roborare contendit. *Tom. I. f. 81. 179. 171. seqq. Tom. II. f. 321. 322. 323. 325. 327. 338. Tom. III. f. 779. 780.* Id quod ex Dissertatione de Christo, plus vice simplici promissa, inque Tomo IV. exhibenda, sine dubio patebit. Persuasum enim nobis est, pervidisse Cl. Virum, quos Rabbini dolos sub illa hypothesi occulant. Quorum vel unum detexisse satis erit.

Cum universa Veteris Testamenti Scriptura, definiti quoque temporis defluxus, quem exoptatissimus in Jesu eventus probavit, millenarii quarti exitus & Messiæ adventus propinquitatem antiquos Judæos docuisset: recte equidem, cæteris paribus ac sano sensu, statuerunt, millenarii quarti decursum veri Messiæ præsentiam necessario afferre. Quam sententiam, nobis haud invitis, autoritate Majorum confirmarunt. Quanquam Δὰ φθόνου καὶ ἔριν. Illud enim Christianis largiuntur, tanto tutius, quod venantur, nobis erepturi. Quorsum adeo redit, ut alia prætereamus, decantata *Eliæ* cujusdam traditio de duobus millenariis, ab exitu quatuor priorum, Messiæ regno debitis. *Sanhedr. f. 97. c. 1. Avod. Sar. f. 9. c. 1. Baal Hattur.*

Gen, 1. 1. Quam relationem a pio aliquo Judæorum Doctore, Christi & Apostolorum discipulo, primitus quidem profectam credimus, qui ad Johannem forte Baptistam subobscure collimans, pro more Judæorum, sub aliena & antiqua autoritate, suam quandam de longa regni Jesu Christi duratione, piam meditationem & conjecturam, velut antiquius dogma, pie recensuit. Cum enim essent eo ævo multi Pharisæorum & Rabbinorum, qui, agnita Evangelii veritate, Judaismum tamen retinerent, & scholas suas claudere vererentur, suisque adeo discipulis multa sana inculcarent: quamplurimæ inde Evangelicam veritatem redolentes, in Judæorum scriptis reliquæ traditiones, sunt enatæ. Verum, cum conceptis verbis ab Auditoribus tanquam oracula exciperentur Magistrorum effata; sæpe ea vel plane non, vel non satis sunt intellecta, vel longiore temporis intervallo ab aliis in perversam sententiam deflexa, imo prorsus tandem obscurata, ut nullus commodus sensus elici posse recentioribus Judæis appareat: quemadmodum ingenue fatetur *R. Jehuda in Cosri Part. 3. §. 73.* & innumeris probari exemplis posset, si id locus ferret. Parem igitur fortunam illud Eliæ subiisse dogma, vero est simile. Etsi autem in eo explicando anxie hæreant, cum Christianis haud parum favere in multis disputationibus sit deprehensum: id quod ex *Scheveth Jehuda*, & *Nezach Israel* abunde patet: quin aliqui, ut *Abarbanel* conjicit, *Maj. Hajesch. f. 80. c. 3*, suspectum habuerint: plerique tamen acceptum repudiare verentur.

Prius illud argumentum per traditionem & alterum genuit, eundem adventus Messiæ terminum majori robore fulciens: Messiam sub millenarii quarti finem sub templo secundo jam tum esse natum. Cujus memoriam servavit *Aben Esra, Comm. Es. 53. & Cant. Cant. c. 7. 5. R. Jehuda Leo Nezach Israel c. 25. f. 38. c. 1. 2. cap. 50. f. 57. c. 3. R. Sal. b. Virga, Scheveth Jehuda f. 50. seqq. Jerusch. Berach. f. 5. c. 1. Echa Rabb. f. 68. c. 3.* Et hæc traditio, cum absque dubio Christianam quoque agnoscat originem, ad antiquam Rabbini conversi scholam deducenda, multis interpretationibus ansam dedit, ut *Nezach Israel*, *Schev. Jehuda*, *Tela Ignea Sat. VVagens.* prolixe demonstrant.

Legi-

Legitimum igitur hunc adventus Messiæ terminum cum non possent non agnoscere Judæi: Christianis nimiū videbantur largiri, & gladium quo confoderentur, manibus hostium tradere. Jesum enim justo illo tempore inter ipsos editum constabat. Et exacto quidem illo vaticiniorum in Jesu complemento convicta Judæorum turba, magno numero singulis seculis ad fidem & Evangelium fuit conversa. Veruntamen cum Rabbinorum principes plebis Judaicæ hæsitantiam, & vacillantem inque Christianos inclinantem animum (quo de *Abarbanel* in toto suo *Masch. Jesch.* & *Maj. Hajesch.* vehementer conqueritur) intelligerent: multas excogitarunt vias, non minus se quam vulgum erigendi & confirmandi, mentemque a Jesu Nazareno avertendi. Alia vero antiquorum, alia recentiorum fuit μεθοδεία τ̃ πλάνης. Veteres violentiores & stupidiores: recentiores mitiores & callidiores sunt reperti. Isti crassis mendaciis & fabulis populum munire: hi argumentis præcipue eundem fascinare studuerunt. Isti ergo Jesum verum esse Messiam negaturi, ac mentem dubiæ plebeculæ informaturi, ad *parachronismū* turpem confugerunt, ejus architecti felicissimi, quos sui commodi causa, data opera, veram temporum seriem pervertere, ac contra expressam Scripturæ quoque literam, prorsus confundere, nunquam puduit: ut vafrum hoc Rabbinorum ingenium longa oratione in *Josepho* suo *Gorionide* ipse depingit *Abarban. Majen. Hajesch. f. 65.* Ita audacter commenti sunt, *Jesum* non tempore definito, ac a Prophetis prædicto, sub millenarii quarti exitum, sed longe ante, in lucem fuisse editum, indeque Pseudo esse Messiam. Et illi quidem cum impudenter in historiam peccare semel instituissent, in duas iterum sunt scissi sectas.

Alii nude & crasse historiæ vinculum, inter ortum Jesu & urbis interitum intercedens, ruperunt, iique *Jesum* proxime ante urbis & gentis dissipationem sub Herode natum pernegarunt, idque merum Christianorum figmentum vocarunt, Judæis oppositum, ut urbem ob Jesu necem deletam confirmarent, uti sine rubore mentitur *Abarbanel*, *Maj. Hajesch. f. 67. c. 1.* At longe ante millenarii quarti finem, *circa annum* M. 3670. *Chasmonæorum ævo*, sub Jannæo Rege, Jesum vixisse clamarunt, ætate scil. Simeonis b. Schetach & Josuæ

ſuæ b. Perachjæ, cujus fuerit diſcipulus, & quocum in Ægyptum, præ metu Regis Jannæi, qui ingentem inter Judæos ſapientiſſimos ſtragem ediderat, Alexandriam fugerit. Ex quo, cum reverſus incantationibus & idololatria Iſraelem ſeduxiſſet, excommunicatum; & anno 3677. ſuſpenſum, nequiter & callide finxerunt: ut ſimplici plebi fucum facerent, & adverſus Jeſum & hiſtoriam Evangelicã majo odium ingenerarent. *Sanhedr. f. 107. c. 2. Sota f. 47. c. 1. Cosri Part. 3. §. 65. Aben Esr. Dan. XI, 14. Juchas. f. 16. Abarb. Maj. Haj. f. 67. 1. R. Nachm. Disp. cum fratre Paulo p. 31, 35. in Tel. Ign. Sat. VVagenſ. Tol. Jeſ. p. 3. ibid.*

Cui mendacio ſuccinit & altera ejusdem characteris fabula, *diſcipulos* etiam *Jeſu*, eorumque prædicationem concernens; ad ſimplicem plebem a vero hiſtoriæ tenore ulterius ſeducendam compoſita. Cum enim Judæorum principes & ſacerdotes non Ieſum ſolum morti tradidiſſent, verum etiam diſcipulos ac Apoſtolos crudeliter trucidaſſent, & innocentem Chriſtianorum ſanguinem fudiſſent, minis etiam ac fulminibus Evangelii curſum inhibuiſſent: ut ne crudelitas illa judaicam plebem terreret, & ad ſaniorem mentem tandem vocaret, rem omnem involucris caute involverunt, ac poſterorum memoriæ ſubtraxerunt. Commentum hoc eſt. Dicto *Chasmonæorum tempore*, Iudæorum Seniores ſevere interdicto publico caviſſe, *ne quis ſapientiam Græcorum* diſceret, cum id æque foret horrendum, ac porcum alere. Ea vero occaſione ad legem ferendam impulſos fuiſſe pontifices: quod ſenex aliquis Iudæus, ſapientiæ Græcorum peritus, Græcis urbem obſidentibus Græco ſermone inſuſurraverit: quamdiu Iudæos ſua ſacra peragere permitterent, deditionem eos non facturos. Porcum adeo corbi impoſitum, per mœnia urbi invehendum, ungulis muro infixis tantum excitaſſe ſtrepitum, ut terra Iſraelis prope univerſa velut terræ motu quaſſata fuerit & concuſſa. Quod factum ſolenne illud exceperit interdictum. Cujus quidem figmenti ſententia nulla alia eſt, quam quod Apoſtoli, σοφίας ac doctrinæ de Ieſu Chriſto, inter gentes diſſeminatæ, adeoque ex mente Iudæorum abominabilis, Græcis quippe ac idololatris propriæ, legi, ut putabant, adverſæ, literis Græcis deſcriptæ, Autores, ipſos quoque Iudæos hæreſi iſta inficere non deſi-

derint. Propter quam ſectam ac idololatriam, urbem cum tota gente deleri periculum fuerit præſentiſſimum. *Act. 21. 28.* Quare coacti ſint principes & ſeniores, non in ipſos minus Apoſtolos animadvertere, qui Iſraelem turbaſſent, & excidio anſam dediſſent: quam, ne venenum ſerperet latius, precibus avertere, *Cosri P. 3. §. 65.* decretis interdicere, *Act. IV, 17. 18. 21. V, 18. 40. VII, 54. VIII, 1. 3. IX, 1. 2. XII. 1. 2. 3. 4. &c.* ac fulminibus plebem a Jeſu doctrina & Apoſtolorum ſcriptis arcere. *Sanhedr. f. 90. c. 1. 100. c. 1. Rab. Aſch. f. 124. c. 4. Schabb. f. 116. c. 1. & f. 131. c. 4.* Cum æque σοφίαν illam, inter immundos Græcos de Ieſu prædicatam, ac immundam ſuem, fugiendam & deteſtandam cenſeant; dum Græci ſive gentiles aut Chriſtiani, & porci, pari ambulent paſſu. Sicuti hodienum Chriſtianos *Græcos* & *Macedones* appellitant, quod Itali & Europæi ex illis ſint oriundi, *Aben Esra Gen. 27. 40. R. Bechai in Leg. f. 190. Abarb. Maſchm. Jeſch. f. 18. 19.* Quæ cauſa eſt, cur ubi in Ven. Bomb. Bibliorum Maj. editione in Kimchio & Raſchio fuit poſitum רומי & אדום, manifeſtius & notius Chriſtianorum apud ipſos inſigne: ad invidiam declinandam poſtmodum a Judæis fuit ſubſtitutum *Javan*, idem ſed occultius nomen. Conf. Bomb. & Buxt. ed. Raſch. Eſ. 11, 11. 26, 5. 27, 2. 30, 25. 32, 14. Kimch. & Raſch. Eſ. 34, 5. 44, 4. Ita non Jeſu tantum, ſed & Apoſtolorum hiſtoriam fraudulenter corruperunt, ac in tempus longe antiquius rejecerunt, revera cum urbis excidio proxime connexam, ut a veritate convicti confeſſi fuerant Miſchnici, *Sot. f. 49. c. 1.* ad *Titi* ætatem eam transferendo: quam Gemariſtæ *f. 49. c. 2.* ad *Chasmonæos* retraxerunt, quo hiſtoriam Jeſu ablegarant.

Ceterum cum hic ſaltus, trium ſeculorum recurſum ſuperans, nimis appareret aliquibus Magiſtris incommodus, & Chriſtianorum cenſuram acrem ſæpius experiretur; extiterunt, qui fraudes diſſimularent, ac alium, qui ſub Jannæo vixiſſet, Jeſum, a noſtro diverſum, venditarent. *Abarb. Maj. Haj f. 67. c. 1. R. Jechiel diſp. cum Nicolao. p. 20. 21. Tel. Ign. Sat. VVagenſ.*

Illorum veſtigiis territi *alii*, cum nativitatem Jeſu, ejusdemque mortem & urbis panolethriam aliquot ſeculorum intervallo disjungi, ſine gravi populi offenſione non poſſe animadverterent, cum illa

proxime conjuncta ſemet attigiſſe pervulgatum eſſet : cautius aliquanto & callidius rem ſunt aggreſſi, & nativitatis Jeſu & urbis excidii nexum admiſerunt: tutius ſub *excidii urbis termino, a millenarii quarti fine ultra ducentos prope annos retracto*, ſe latituros rati. Sic paulo recentiorem ſuperiore, hiſtoriæ fixerunt terminum, ac Jeſum in lucem editum prodiderunt A. M. 3760, mortuum 3793, urbem deletam 3828 Quæ plerisque probata eſt hypotheſis, ad quam præcedentem calculum commodius aptare liceret, ne vulgus Judæorum fraudem ſubolfaceret. Unde pronam miſellæ plebeculæ ingeſſerunt argumentationem: Verum Meſſiam naſci oportuit ſub millenarii quarti exitum, elapſo legalis ævi ambitu. Sed Jeſus ille 240 annis legitimum illum & juſtum terminum præceſſit. Adeoque pro vero Meſſia habendus non eſt, quippe quod lex ultra ducentos annos, poſtquam Jeſus erat natus, adhuc illæſa duraverit, juxta Eliæ regulam. Ita ceſpitanti plebeculæ Judaicæ aſtute imponere tentarunt impii Magiſtri, & hoc pacto errantes oves, Diaboli fraude, longiſſime a via avocarunt. Hæret enim imperitum vulgus in ſpecioſis talismodi argumentis, & externis rerum circumſtantiis, qualis eſt adventus Jeſu terminus, facile capitur: ut adduci non poſſit, ut in Jeſum, quem habet ſuſpectum, amore feratur. Hic anguis in herba latet, quem Cl. Autori non incognitum putamus.

Quando ergo confirmandæ Judæorum hypotheſi argumenti alicujus vim adhibet: Deum in Redemtione, maximo *gratiæ ſuæ opere*, aliquot ferme ſeculis terminum a ſe prius definitum anticipaſſe: ex aliena hypotheſi, non ſua ſententia, id dictum accipimus. Ut errantis plebeculæ Judaicæ miſertus, molliter eam a præconceptis opinionibus, & minus fructuoſis quæſtionibus, ac externis circumſtantiis, in perſonæ potius Jeſu amorem ſuaviter pelliceret: plus ſeductos & infirmos ferendo, prudenter connivendo, & impenſum inprimis amorem in eos demonſtrando, ſe impetraturum ratus, quam de externis multo altercandi ſtudio. Ut adeo diſſimularit Autor evidentem hiſtoriæ nexum & apertum rerum eventum: dummodo indulgentia quadam, & lenitatis ac charitatis declaratione, odio in Jeſum flagrantia Judæorum pectora deliniret ac demulceret.

JOH.

JOH. GUILIELMI BAJERI, S. THEOL. D. & P. P. Compendium Theologiæ Poſitivæ cum Notis;

Jenæ, apud Tobiam Oehrlingium, anno 1686, in 8.

ANtonii hæc laus eſt apud Ciceronem, quam Craſſus ipſe, grandioris Doctor eloquentiæ, ei tribuit, *L. I. de Orat.* in fine, *quod exiguis quibusdam finibus totum Oratoris munus circumdederit.* Theologia vero quoamplior eſt Oratoria profana, eo majori elogio dignus eſt Autor maxime Reverendus, qui totum ejus ambitum arctis quibusdam limitibus hic incluſit. Cicero propter hoc artificium, ſub involucro ficti inter Antonium & Craſſum colloquii, laudat ſeipſum: Quanto rectius nos aperte Scriptorem noſtrum? Quanta enim diligentia, tanta felicitate, quod eſt, ſumma Librum hunc ſuum inchoavit, confecit. Duodecennium eſt, ex quo eum, autoritate publica, in Lectionibus publicis paucisq; quaternionibus breviter delineavit; poſt in exponendo eo ſæpius in gratiam ſtudioſæ Juventutis occupatus, colores clarius induxit, tandemque, cum hoc anno, ad preces aliorum atque monita, in lucem publicam edendus eſſet, plenius expreſſit. Hinc in ſingulis Articulis ſententia non tantum Eccleſiæ Noſtræ nervoſe in diſtinctos paragraphos relata, ſed & Notis illuſtrata, inque iis ex Scriptura eique innixis rationibus Theologicis confirmata, pluriumque Doctorum orthodoxorum, inprimis autem *B. D. Joh. Muſæi*, teſtimoniis corroborata eſt, *ut hic quaſi ſumma quædam*, ceu ipſe *in Dedicat.* loquitur, *exhibeatur eorum, quæ laudatus Doctor in Scriptis variis ſparſim, pro diverſitate argumentorum, quæ tractabat, tradiderat.* Hæc vero methodus cum oppido ſit bona; haud alia, quod eſt, optima totius quoque Scripti eſt οἰκονομία. Præmittuntur Prolegomena in duobus capitibus, quorum primum de natura & conſtitutione Theologiæ, alterum de Principio Theologiæ Revelatæ agit. Sequitur Tractatio principalis, cujus tres ſunt partes. *Primæ* decem aſſignavit capita, quorum primum eſt de Deo, ſecundum de creatione, tertium de Angelis, quartum de imagine Dei, quintum de providentia, ſextum de beatitudine,

septimum de damnatione æterna, octavum de morte, nonum de resurrectione, decimum de judicio extremo. *Secunda* tria habet capita, quorum primum de peccato in genere, secundum de peccato originis, & tertium de peccatis actualibus tractat. *Tertia* quindecim constat capitibus; quorum primum agit de Christo, secundum de fide in Christum, tertium de regeneratione, quartum de justificatione, quintum de renovatione, sextum de Lege & Evangelio, septimum de sacramentis in genere, octavum de circumcisione & agno paschali, nonum de baptismo, decimum de S. cœna, undecimum de prædestinatione & reprobatione, duodecimum de Ecclesia, decimum tertium de Ministerio, decimum quartum de Magistratu, & decimum quintum de statu domestico. Tam apte in singulis partibus Articuli agnati aut subordinati connectuntur, unoque memoria & intellectus artificio haud parum juvantur. Tandem etiam indices adjiciuntur, ipsumque hoc Compendium in novo compendio sic exhibetur. Tantum abest, ut totius Theologiæ amplitudo exiguis quibusdam finibus hic non circumdetur.

HENR. GER. HERFELD, M. D. Philosophicum Hominis, methodo Cartesii concinnatum.

Amstelodami, apud Joan Blom, 1685, in 8.

NOtitiam sui physicam, i. e. machinam corporis humani in usum Medicum traditurus Auctor, ab ovo, quod ajunt, incipit. Nam *Libro priore generationem plantarum & animalium in genere* ita explicat, ut de minimis naturalibus, sive particulis invisibilibus, quarum insensibili appositione generatio contingit, tanquam *de causa materiali*, & de Solis actione, tanquam *causa efficiente*, & de cæteris particulis variis, quæ diversa compositione diversos relinquunt poros seu tubulos, tanquam matricibus & formis seu *causa formali* præmittat. Hinc speculatur non solum Solis naturam, sed etiam qua ratione per motum materia primi elementi, atque ex ea Sol, in corpus globosum confluxerit, radios ad nos evibret, & hi reflectantur; quomodoque

que materia secundi elementi, item tertii simul enata sit, atque ex hujus particulis majoribus & terrestribus varie conjunctis, diversissima corpora, *principia Chymicorum vulgaria*, Sal, Sulphur & Mercurius, & quæ nonnulli addunt, Aqua & Terra, aliaque facta sint, *cap. I.*

Quandoquidem autem Corpus nostrum ex partibus tam fluidis quam solidis constat, de natura fluidi & solidi suscipit agere *cap. 2.* Docet fluorem primævum esse materiam primi et secundi elementi, fluorem terrestrem & mutuatitium, aquam; & terrestria corpora irregularia improprie esse fluida; spirituosa & oleosa non æque dici fluidum mutuatitium ac aquam. Quare infert ea corpora, quæ de fluido primævo magis participant, magis etiam ad fluorem & levitatem accedere. Nec omittit oppositum fluido durum ejusque species declarare. A fluido autem illo primævo, omnem actionem, generationem, & eversionem deducit. Quæ mutationes ut intelligantur, quomodo fiant, *aeris naturam considerari vult*, qui intra se contineat particulas nitrosas & salsas varii generis. Prout enim in aere volitant diversa salia, ita fluidum primævum ex eo diversas secum rapere, huc illuc dispergere ejusmodi particulas, & juxta illorum motus, figuras, & corporis illius poros, quod intrare conantur, fieri diversas operationes. Ex quibus ostendit, quomodo *fluidum primævum in butyri segregatione* se habeat æstate & hieme, item *in caseorum conformatione*; quomodo excitet fermentationem, & ab ea gradu majore differentem effervescentiam, *cum acido Sal alkali*, (quas nonnones itidem explanat) *commixtum fuerit.* Speciatim fermentationes *cerevisiæ & musti* contemplatur, utpote quæ non exiguam lucem præferunt, ad concipiendam fermentationem, quæ fit in corpore humano. In qua tractatione, simul de *præparatione cerevisiæ, asservatione, vetustæ præ recenti inebriandi virtute, austeritate, de vini clarificatione, vitiis, statu nimirum pendulo & aciditate, mediisque præcavendi aut emendandi ipsa* disserit.

Et cum majori admiratione dignum videatur, a primævo fluido, quod omnia prius etiam durissime compacta præcipitavit, iterum dissolvi posse, modum aperit, quo *ferrum candens admotum sulphuri destillet; quo aurum, argentum & silices solvantur & in liquo-*

rem vertantur; quo eadem rursum reviviscant, & priorem naturam recuperent; quomodo calx efferveſcat. In fine capitis, hactenus de particulis compoſitis dicta, ad corpus humanum generaliter applicat, & pro praxi medica cautionem gravem ſcribit.

Poſtquam ita minima naturalia, variasque mutationes ex illorum varia mutatione ortas expendit, *cap. 3* ipſam plantarum generationem demonſtrare orditur. Jubet autem primo attendere terræ conſtitutionem diverſam, ſtercorationemque ejus, quæ ſalibus alkalibus caret; iis enim abundans, fertilis ex ſe eſt. Illi commiſſum ſemen, per quos poros nutriatur, cur fructum ſui ſimilem edat, cur hordeum in avenam degeneret, diſquirit. In ſpecie de radicis, fructuum, corticis, ramificationum, & foliorum generatione, de differentia arborum in regionibus calidis & frigidis natarum, de unius arboris præ altera citiore excreſcentia, ſollicitus eſt. Oppoſitam accretioni ſeu nutritioni corruptionem, partim ex obſtructione, partim ex reſolutione pororum provenire docet, quæ utraque a fermentatione vel nimis exaltata, vel nimis depreſſa contingat.

A plantis tranſitum facit ad ζωόφυτα ſive plantanimalia, quæ ipſe interpretatur plantas, ſeu arbores obambulantes. Hic generales de generatione animalium obſervationes proponens, comparat *plantas & plantanimalia, quorum præcipuum hominem pronunciat*, ratione partium, originis, materiæ ex qua, proventus majoris aut minoris in diverſis terræ regionibus. Peculiariter annotat *diverſitatem hominum pro climatis alimentorumque varietate, exemplorum loco afferens homines ad promontorium Bonæ Spei, Gronlandos & Lappos.*

Libro poſteriore ipſam Hominis generationem expedit. Præmittit quædam generalia, in quibus *comparationem* inſtituit *generationis cum caſeatione & artificioſiſſima textura*; ſimul tamen diſſimilitudinem hujus ſimilitudinis indicat, monens partes humani corporis non tantum fluidas, ſed & ſolidas eſſe; microcoſmum cum macrocoſmo confert, fermentationis & præcipitationis effectus in memoriam revocat; illuſtrat ſimilibus, quomodo ſpirituoſum a ſanguine craſſo ſeparetur; obſervationes Harvei de ovo gallinaceo perpendit, ad ſuam methodum applicaturus, ejusdemq; obſervata alia circa fœtuum generationes repetit. Poſthæc exactius corporis humani originem

ginem deſcribens oſtendit, qua ratione formentur primo *cor*, deinde *caput cum organis ſuis*, tertio *pulmones* eaque quæ cum ipſis conveniunt, quarto *ſpiritus & nervorum paria*, & (ubi rurſum generales quasdam obſervationes circa corpus humanum immiſcuit) ſexto *cutis*, ſeptimo *ungues*, octavo *dentes*, nono *oſſa*. Quibus declaratis, organa oris & illorum effectus conſiderat; mox exponit, quomodo interna viſcera, meſenterium cum ſuis vaſis fuerint orta; quomodo epar excreverit, quomodo lien perfectus ſit. Hinc ad pancreas, renes, meſenterii ac inteſtinorum pleniorem elaborationem tranſitum facit. Ab his ad omentum accedit: ſubnectit ureteres, veſicam, ſemen, partes genitales. Mammarum conſideratio opuſculum concludit.

Omnia ex Carteſii fundamentis ingenioſe ſunt deducta, nonnulla quoque medica de morbis partium immixta. Quæ longe jucundiora lectu forent, ſi ordo tractandi eſſet exquiſitior.

THOMÆ SYDENHAM M. D. OPERA univerſa.

Londini impenſis Waltheri Kettilby, 1685, in 8.

HAbes hic L. B. in uno faſciculo, quotquot hactenus ſeparatim prodierunt, Sydenhami opuſcula. Quamobrem vero ejus communicationem tam ſero exhibeamus, ratio eſt, quod parum in te utilitatis ex ejus notitia redundaturum arbitrati ſumus, quia jamjam de ſingulis pene ſcriptis hoc in opuſculo comprehenſis per Acta noſtra ſuperioribus annis admonitus es, ac præterea ab Henrico Wetſteinio Amſtelodami anno 1683, operum omnium Sydenhami editio evulgata proſtat. Nunc vero editionem hanc Londinenſem tibi ulterius incognitam eſſe nolumus, imprimis cum ab Autore adhuc vivo paſſim emendatior ac auctior ſit reddita. Non enim ſolum tractatus de Podagra & Hydrope, qui in Wetſteniano codice deſunt, noſtro acceſſere, ſed inſuper in obſervationibus pluribus, (p. 83. 84. 139. 146. 153. 155. 156. 188. 189. 194. 229. 230. 249. 269. 288. 297. 298. 301. 302. 308. 309. 310. 311. 313. 314. 317. 318. 319. & in Epiſtolis p. 12. 13. 20. 22. 23. 24. 26. 27. 34. 35. 36. 56. 64. 68. 69. 100. 108. 109. 145.

145. 148. 149. 151. 152. 153. 154. 156. 160. 172. 173. 174. 175. 234. 235. 236. 237. 238.) sæpius, integra periodus omissa vel innovata, aut nova sententia inserta deprehenditur. Mirum autem est, quamobrem factum sit, ut non pauca quæ prolixius tradita in editionibus primis, contracta postmodum in reliquis prodierant, nunc iterum in præsenti opere sub antiqua facie redeant.

DISSERTATIO HISTORICA ET APOLOGETICA pro doctrina Doct. Lutheri de Missa.

sive,

Confutatio renovatæ adversus Doct. Lutherum, & qui sententiam ejus sequuntur, calumniæ impudentissimæ, ab Abbate quodam, in tractatu Gallico anno 1684 Lutetiæ edito, qui Latine versus simul exhibetur, cuique titulus est: *Recitatio Colloquii Diaboli cum Luthero*, &c. Huic refutatio per modum Notarum inseritur: quam edit Caspar Sagittarius D.

Jenæ, literis Nisianis, anno 1686. in 4.

QUi editionem hujus tractatus in nuperis nundinis procuravit V. Cl. alibi a nobis ex merito laudatus, D. Casp. Sagittarius, Professor Jenensis, Auctorem ejus in epistola dedicatoria ad *Sereniss. Principem Bernardum Saxoniæ Ducem*, non uno mactat encomio, nomen tamen (ita illo volente) reticet, quod amicum obsequium nos quoque imitamur. Occasio scribendi in præloquio tribuitur *V. Cl. Roterodamensium Novellarum autori*, qui anno 1684, mense Augusto libellum Gallicum *Abbatis Cordemoii* de *Colloquio Lutheri cum Diabolo* editum recensens, desiderare refutationem a Lutheranis visus est. Etsi vero illa a centum fere annis ad nostra usque hæc tempora, adversus Jesuitas aliosque, qui eadem quæ Abbas & Gallorum alii nunc renovant, Lutheranis, quas vocant, Ecclesiis objecerunt, sæpissime facta sit, actumque adeo in repetitione illius agi videatur, laborem tamen

tamen post tot alios denuo respondendi, etsi gravioribus occupatus, non defugit Dissertationis Autor, causasque cur id faceret, non parvi momenti, in dicto præloquio exposuit. Cæterum ita processit, ut ipsum libellum ex Gallico Latine versum exhiberet, eique annotationes interseret, per quas objecta Luthero ejusque doctrinæ de Missa repellerentur. Præmiserat Abbas Lutheri narrationem ex Tomo VII. Lat. Witteberg. f. 228. Hic ante omnia monuit *Autor dissertationis*, Lutheri libellum, ex quo narratio de colloquio desumta est, Germanice scriptum esse, ideoque unum alterumque locum ab interprete Latino, sensum potius quam verba secuto, negligentius tractatum vel omissum supplevit; addidit etiam, quam Abbas omiserat, postremam narrationis a Luthero factæ partem, ex qua tamen verus rei ordo & exitus omnino cognosci debuisset. Inde ad *caput Abbatis* I. annotat, frustra laborare illum asserendo, quod Lutherus ipse narrationis istius (Germanicæ scilicet) autor sit; hoc enim neminem ex Lutheranis negasse: versionem tamen Latinam a D. Justo Jona, celeberrimo Lutheri collega, quem imperite pro præceptore liberorum Lutheri Abbas habet, adornatam, ex Germanica æstimandam & emendandam esse. Dicuntur etiam quædam ad allegata ab Abbate, Reformatorum quorundam Theologorum de isto Colloquio testimonia. *Capite* II. Abbas urget, Protestantes Lutherum ne audire quidem debuisse, quia is aperte professus fuerit, se doctrinam de Missa ex diabolo didicisse, ejusque persuasione motum, Missam abrogasse. Hic mendacii arguitur Abbas, & prorsus negatur, Lutherum id unquam professum esse; quippe qui doctrinam suam, speciatim de Missa, ex Scripturæ lumine se hausisse, adeoq; Deo acceptam ferre, eo ipso tempore in libello adversus Angliæ Regem confidentissime asseveraverit. Defenduntur etiam Principes & populi Protestantes, ab immani convitio, quo scientes prudentesque doctrinam a diabolo prolatam, secuti sint & stabiliverint. Ad *cap.* III. ubi Abbas in responsionibus quibusdam Lutheranorum refellendis occupatur, ostenditur, colloquium illud Lutheri cum diabolo nil aliud, quam internum mentis a Satana tentatæ discursum fuisse, absque apparitione visibili; quanquam nil nocere possit, etsi hæc concedatur. Admittitur etiam eorum judicium, qui Lutherum parabolice & per prosopopœiam de Colloquio illo scripsisse animadverterunt.

terunt. Post alia inprimis rejicitur Abbatis assertum, quod Lutherus victum se in tentatione diabolica fuisse fassus sit; contrarium enim, & quod de superato a se per Dei gratiam diabolico insultu, manifeste glorietur, ex verbis ejus demonstratur; respondetur etiam ad objectamenta alia, ab exemplis aliorum sanctorum, qui diabolo restiterint, Lutherique victoria asseritur. Acceditur inde ad caput quæstionis, in quo lis tota vertitur, nimirum: *an Lutherus cum diabolo de Missa colloquium habuerit, antequam contra Missam scribere cœperit?* Affirmat id, quia tota argumentandi vis huic puncto innititur, Abbas, & ante eum alii hujus objectionis inventores; negarunt negantque Lutheri defensores, quos *Autor dissertationis* nominat, & inde quamvis Abbati probatio incumbat, demonstrandum ultro sumit, tempus quo colloquium illud cum diabolo contigit, posterius illo fuisse, quo contra Missam, quatenus pro sacrificio habetur, disputare cœpit Lutherus. Hoc tam solide evincit, ut æquis lectoribus omnem dubitandi scrupulum exemtum esse, confidere possint Lutherani. Ostenditur enim ex principiis, ab ipso Abbate non negatis, tentationem diabolicam non potuisse accidere ante cœptum sacerdotii Lutheri annum decimum quintum, id est ante mensem Aprilem A. 1521: probatur vero clarissime, Lutherum adversus Missam concionatum esse & scripsisse *primo* anno 1520, in sermone publico qui Germanice extat; *secundo* eodem anno in *tractatu de Captiv. Babylonica*; *tertio* in libello adversus *Ambrosium Catharinum* mense Martio 1521 publicato; *quarto* in articulis Wormatiæ mense Aprili 1521 conscriptis, in quibus ad librum *de Capt. Babyl.* provocat. Hic nihil omnino regeri posse confidit: extant enim libri, & constat, quo tempore editi sint; excerpta etiam ex iis exhibentur. Itaque sua sponsione victus prostituitur Abbas, dum demonstratum est, Lutherum ante tentationem diabolicam, Missam publice oppugnasse, adeoque nihil ex diaboli suggestione didicisse. Addit tamen Autor argumenta evidentia, ex quibus deducitur, etiam tractatum Lutheri *de abrogatione Missæ, anno 1521 Novembri mense editum*, ante tentationem illam scribi cœptum esse. Probat denique clarissime ex eodem tractatu, Augustinianos Wittenbergenses sacrificium Missaticum solitarium, eodem anno 1521, inconsulto Luthero, & antequam vel librū ejus vidissent, aut quidquam de colloquio cum diabolo

bolo inaudivissent, abrogasse, eorumque factum Theologos cæteros Wittenbergenses publice coram Legatis Electoris Saxoniæ probasse & defendisse, inscio & absente Luthero, qui in arce, quam Pathmum vocabat, tunc latitabat. Cum vero Abbas in conjecturis præsidium quærat, & ex eo, quod disputasse tamen se Lutherus cum diabolo dicit, colligat, Lutherum a diabolo Missas improbante dissensisse, adeoque fieri non potuisse, ut tum temporis aliquid contra Missam editum ab eo fuerit; Autor commonstrat, quid disputatum inter Lutherum & tentatorem Spiritum sit: nempe non de Missa, an sit idololatria; quod dudum publice docuerat Lutherus; sed an Missam per annos quindecim celebrans, ita peccaverit, ut de venia a Deo impetranda desperare deberet. In hac disputatione, ad gratiam Dei per Christum confugientem, diaboli insultum se repulisse lætus refert & celebrat Lutherus. Addūntur alia argutationibus Abbatis opposita, & scopus ejus detegitur, quod totam hanc de Luthero fabulam in odium Reformatorum Gallorum renovaverit, ut & hos diabolicæ doctrinæ reos faceret, quia de abrogatione Missæ cum Luthero consentiunt. Exploditur deinde, ut protervum & insulsum, Abbatis effatum, quod Lutherus duodecim post oppugnatam Missam annis, tractatu nempe anno 1533 edito, colloquium illud, cujus præter se neminem conscium habebat, omni verecundia deposita ipse ultro evulgaverit, & statuerit, diabolum in Ecclesia docere & sacramenta administrare posse. Vera ergo istius posterioris tractatus a Luthero editi occasio & intentio explicatur; nempe ut consiliis de conciliandis cum veritatis jactura de religione, & inprimis de Missa & sacerdotali ordine dissidiis, obex poneretur. Additur gravis censura in Abbatem, Luthero opinionem de diaboli ministerio in ecclesia affingentem, & verba ejus hunc in finem mala fide allegantem: adjicitur aliquid de quæstione, an & quatenus diabolus verum dicat, & quid ille Luthero objecerit, quod verum fuerit, quoque fine & eventu; utque falsam diaboli ex veris illationem Lutherus rejecerit.

Post excerpta, quæ supra innuimus, ex Lutheri libris adscripta, & conclusionem, qua argumenta in compendio exhibentur, appendix subjungitur adversus *Antonium Varillasium*,

qui in historia Hæresium a nobis nuper relata, *lib. VII. p. 211. edit. Belg.* hanc ipsam de diabolica Lutheri informatione calumniam recoxit; eaque validis argumentis breviter retunditur.

LETTERE STORICHE, POLITICHE ED Erudite, raccolte da Antonio Bulifon. in Pozzoli.

h. e.

Litteræ Historicæ, Politicæ, & Eruditæ, collectæ ab Antonio Bulifone.

Puteolis, 1685, in 12.

Bibliopola Puteolanus est, qui Variorum epistolas, inscriptione hac laudatas, collegisse dicitur. Sunt in iis, quæ curam ac studium mirifice spirant, ac lectori possunt satisfacere. Prima enim, ut exemplis fidem faciamus, Alexandri VII est Pontificis summi, ad Rempublicam Venetam pro Jesuitis recipiendis: secunda, Venetorum ad præcedentem responsio: tertia, Pontificis post receptionem gratiarum actio: quarta, eodem argumento & ad eandem Rempublicam a Societatis Generali scripta. Pag. 233 habetur epistola Comitis Tekely ad Pontificem, qua arma adversus Cæsarem capta excusat. Pag. 273 ejusdem Tekely ad Grandem Vezierium de rebus male gestis excusatio. Pag. 270. seq. visuntur binæ literæ Regis Poloni de Viennæ obsessæ liberatione, in cujus facinoris memoriam Panegyricus, Romæ huic laudatissimo Regi ab Antonio Malegonellio Latine dictus, integre pag. 248 insertus est. Pag. 285 Responsio Regis Persiæ ad Pontificem Clementem, a quo ad fœdus contra Turcos invitatus fuerat. Pag. 339 est Auditoris Generalis epistola ad Cardinalem Cibo, de officio Nuncii Apostolici, præsertim in Germaniam missi: & pag. 417 Petri Moccenigo, Nobilis Veneti, ad Rempublicam de Statu Curiæ Romanæ, ejusdemque erga Venetos adfectu. Et hujus generis aliæ epistolæ, tam veteres, quam novæ, hoc volumine continentur: etiam Patriarcharum quorundam, ex Arabica in Italicam linguam conversæ. Si quid vero judicamus, præ cæteris commendandæ sunt, quas Baptista Nani, Procurator S. Marci, ad Rempublicam Venetam pag. 365 & 385 dedit, alteram cum Legatus ad Status Germaniæ esset; alteram cum eodem munere in Galliis fungeretur. Hisce enim, quidquid in utriusque gentis statu publico observaverat, accurate diligenterque perscripsit. Sic varii argumenti pæne multas epistolas prædictus Bibliopola collegit, & ne de fide earum ac genuina auctoritate dubitetur, plerumque adscripsit, cujus beneficio exemplar quodvis indeptus fuerit.

LA VIE DE GASPAR DE COLIGNY:

i. e.

Vita Caspari Colinii, Amiralii &c.

Coloniæ, 1685, in 12.

Cum Reformatorum religio tantum Colinio debeat, mirari merito licuit, tam raros extitisse, qui tanti Viri res gestas posteritati traderent, & memoriam ejus a fœdissimis calumniis, quibus illam Pontificii scriptores aspergere passim solent, liberarent, ut vix unius isthoc officio perfuncti notitia ad nos pervenerit. Eo majori ergo cum gratulatione excipi meretur præsens libellus, cujus Autor accommodate ad isthæc tempora, quibus Reformatorum res in Gallia penitus rigore edictorum Regiorum prostratæ fuerunt, assertori hujus religionis Colinio justa persolvere aggressus est; ita quidem, ut non solum Colinii vitam, quam promiserat, sed temporum fere istorum historiam simul jucundissima ratione perscriptam, exhibeat. Initio ergo operis quædam de antiquitate Coliniæ gentis præfatus, parentes Heroi suo assignat Casparem Colinium Franciæ Marescallum, & Ludovicam Momorantiam, Annæ Equitum Magistri sororem. Indeque ad illa ingentis animi, & propensæ, præsertim in militiam, indolis signa, in tenera infantia edita, sermone producto, ea refert, quæ non sine stupore quisquam intellexerit: Puerum vix triennio majorem, & ordines militum ex artis præceptis peritissime instruxisse, & sclopetorum fragorem excepisse impavidum. Præ cæteris vero mirari licet profundam in ista ætatula prudentiam & magnitudinem animi, cujus vel unicum exemplar exhibuisse institu-

to noſtro ſufficiat. Solitus erat Pater oblectandi filii ergo milites aliquando convocare, manipulos quos in ordines ille diſponeret, aliquando etiam, ubi illi deficerent, domeſticos huic ludo adhibere. Cum ergo aliquando noſter militum cuidam, quod ordines rectius ſervaſſet, illum quidem, quo accinctus erat, gladium, dono obtuliſſet; aſt domeſtico, cui eadem de cauſa præmium deſtinaverat, ſaltem pecuniæ aliquid a patre impetrare conaretur: interrogatus, cur non huic quoque enſem in rei bene geſtæ præmium daret, diverſa diverſis convenire reſpondit, & gladium quidem ſuum dignum milite munus eſſe, aſt majus, quam quod famuli conditio caperet. Inde quomodo patre in expeditione defuncto, in avunculi Momorantii familiam translatus, illic poſt jacta Nicolai Beraldi ductu, prima literarum fundamenta, ſub Prunelæi auſpiciis adoleverit, exponit, & quomodo in aulam evocatus, morum ſimilitudine Franciſci Guiſii animum ſibi devinxerit, eoque comite compluribus expeditionibus interfuerit, ingenti ubivis & fortitudinis & conſtantiæ fama relicta, narrat: quæ tamen omnia excerpere nimis longum foret, adeoque ſufficiat digito ſignaſſe unicum ſaltem facinus Viri, quo ille laudis & continentiæ gloriam, in Scipione tantopere a vetuſtate deprædicatam, æquarit, hoc fere ſuperior viſus, quod virginem, quam amare jam cœperat, inviolatam amitæ reddidit. Dum vero varia Colinii in aula fata enumerat, hac occaſione alia quoque ad hiſtoriam hujus temporis ſpectantia, nec ubivis obvia, depromit, & inter alia fœdam Duciſſæ Stampenſis atque Dianæ Pictavienſis (cujus maritum non ex Brezeo-Mallia, ſed Brezeo-Mauleoreria familia fuiſſe, tradit) æmulationem, quantique Franciæ illa conſtiterit, explicat. Dum illa, ut Delfino, qui Dianæ deditus erat, invidiam faceret, non ſaltem commeatus & ſupplementa militum, ipſi contra Carolum Imperatorem excubanti, ſubtraxit, ſed etiam caſtrum Theodorici atque Epernacum Imperatori prodidit. Nec ridiculam Pauli III Pontificis pietatem obliviſcitur, qui poſt debellatos fœderis Smalcaldici ſocios, a Franciſco Galliæ Rege ad fœdus contra Imperatorem ineundum ſollicitatus, religione ſe prohiberi dixerat, quo minus in Principem hæreticis arma inferentem, fœdus percuteret; interim vero Conſtantinopolim miſit, qui Solimannũ creſcentis potentiæ Auſtriacæ metu ad arma

ma provocarent. Ubi vero jam ad Henrici II tempora narrationem produxit, & Metenſem obſidionem, & cladem a Gallis ad Sanquintinum acceptam accurate deſcribit, & hujus jacturam Dianæ Pictavienſis artibus deberi notat, quæ indignatione in Colinium ſuccenſa, quod is Franciſci Guiſii animum a nuptiis cum ipſi9 filia contrahendis avertiſſet, Nivernenſi Duci ſibi addictiſſimo perſuaſerat, ut ſua cunctatione Amiralium, urbi incluſum, hoſti proderet. Subdolum etiam Henrici II animum perſtringit, qui, cum ſummum in reſtituendo Navarræ Rege ſtudium præferret, poſtea Bearnium quoque, ultimam ex naufragio tabulam eripere per fraudes moliebatur, quamvis conatu ad extremum irrito. Denique tranſitum Colinii ad Reformatos enarrat, & ſequentium temporum calamitates facunde deplorat; initio ducto a morte Franciſci II, quam veneno ab Ambroſio Pareo (chirurgorum is præcipua fama erat) auri infuſo acceleratam fuiſſe, ſed aliorum fide tradit. Exinde bellorum civilium hiſtoriam exorſus, Colinium præſertim autoritate ſua effeciſſe, ut moneta Ludovici Principis Condæi effigie ſignata, aboleretur, memorat. Deinde Drocenſem ſtragem dum graphice delineat, in Mareſchalli Santandreani obitu narrando, diverſus eſt a Thuano atque aliis horum temporum Scriptoribus. Cum vero Drocenſi victoriæ non diu ſuperſtes fuerit Guiſius, in obſidione quippe Aurelianenſi a Johanne Poltroto cæſus, omni ſtudio cædis hujus invidiam a Colinio, a quo immiſſum ſicarium fama tulit, amolitur, & ex Codice Manuſcripto ſe edoctum ſcribit, a Regina matre perſuaſum fuiſſe Poltrotum, ut ſuſpicione ſceleris oneraret Colinium, quem metu quæſtionis prolixius habendæ, hac ratione facilius conditionibus, ab ipſa paci reſtaurandæ dictis, aſſenſum præbiturum ſperabat. Pacem dein, ſed infidam, & vagos Condæi amores proſequitur, præſertim vero Margaretæ Luſtracæ furorem ridet, quæ Condæi amore abrepta, cum conjugii ſpem præciſam videret, Sanvaleriana ditione in Condæũ translata, ejus emit amplexus. Bellum exinde reſumtũ, Condæiq; triſtem in Jurnacenſi prælio obitum, prolixe recenſet, ſimulque Colinii virtutem deprædicat, qui ex tot cladibus fortior ſemper & formidabilior ſurrexerit, donec tandem a Carolo IX vi hactenus fruſtra tentata, aſtu irretitus, indigno tantis virtutibus exitu, Sanbartholomæana ſtra-

na strage oppressus fuit. Cui quidem facilius patrandæ, Regi Navarræ Reformatarum partium Principi nuptiæ cum sorore Regis Margarita ostentabantur; quibus cum furtivi Margaritæ cum Guisio amores impedimento fore crederentur, Rex severe increpito Guisio, & manu quoque fere intentata, sororis consuetudine eidem minis adjectis interdixit. Quæ vero secuta fuere, cum in omnium versentur memoria, ulterius prosequi non attinet, cum satis jam instituto nostro datum existimemus, vel hisce ex libello obiter decerptis, ex quibus de jucunditate ejusdem abunde lectorem persuasum iri confidimus.

HONDERT: ENT EERSTE DEEL VAN HET tweede Hondert-getal der Zeldzame Aanmerkingen, so in Genees- als Heel-en Sny-konst, meest by eygen ondervinding van tyt tot tyt vergadert en opgestelt, door Cornelis Stalpaert vander Wiel, Stads Doctor in Graven-hage.

i. e.

Centuria: nec non Pars Prima Centuriæ secundæ Observationum Medico-Chirurgico-Anatomicarū rariorum, maximam partem per experientiam propriam de tempore in tempus congestarum ac conscriptarum a Cornelio Stalparto vander Wiel, Med. D. ac Practico Hagiensi.

Hagæ Comitis, apud Danielem Gesselle, A. 1686, in 8.

Duo hic Tibi L. B. sistuntur libri, tempore diverso a Cl. Autore editi. Primus quippe quatuor abhinc annis Amstelodami; alter vero Hagæ Comitis hoc ipso prodiit anno, dignus uterque cujus contenta nonnulla curiosa tecum in præsenti communicentur. Centuriæ primæ Observ. II. infantem producit e matre, quæ sex circiter menses gravida procidendo cisternæ alliserat caput, justo tempore vivum quidem enatum, atque 24 horas superstitem, absque ullo tamen cerebro,

cerebro, e diverso autem excrescentia quadam fungosa coronalem inter ac sagittalem futuras prodeunte, distinctasque intra vesiculas humorem serosum continente instructum; ita quidem, ut excrescentia hæc ipsa non a meningibus calvariæ angustam admodum cavitatem investientibus, sed a principio potius medullæ spinalis prope primam cervicis vertebram exoriretur. Obs. VIII. cranium Philippi Nassovienſis, postquam decidens equo synciput ad palum impegisset, vicies septies felicissimo cum successu perforatum attestatur. Obs. XIII mirandam turundæ, quæ prius vulneri frontis cum fractura hujus ossis adaptata intra calvariam inspirandum inter irrepserat, excretionem per nares succedaneam recenset; quemadmodum Obs. XXVI e naribus quoq; pus ulceris, quod collum infantis circa externā venā jugularē occupaverat, stillasse commemorat. Obs. XXXVII in viri, post continuam febrim lentam, sanguinisque crassi & nigri magna in copia supervenientem exscreationem defuncti; cadavere aperto sequentia profert annotata: scilicet pectoris latus sinistrum aliquot sanguinis congrumati libris repletum; cor magnitudine pyrum mediocre non excedens, nec figuram conicam consuetam, sed fere planam ac depressam obtinens, cum pericardio vero arcte ubique cohærens; lienis denique corpus in medio abdomine exacte sub umbilico positum, rotundum, magnitudine tamen manus palmam nondum superans. Obs. XLIII herbæ & radicis Oenanthes facie cicutæ Lobelii lethiferas confirmat vires, exemplo duorum virorum, brevi post inscium ejus vice petroselini Macedonici esum varia non solum pathemata, sed mortem ipsam subeuntium. Obs. XLVI virum exhibet præter Medicorum opinionem hepatis ulcere decumbentem, ac materiam purulentam tussi rejicientem e pulmonibus, per viam non nisi post mortem ægri sectione deprehensam, qua videlicet ipsam diaphragmatis partem, cui superius inferior dextri pulmonum lobi portio, inferius vero substantia aliqua hepatis ulcerosi adnascebatur, ab ulcere perforatum fuisse innotuit. Obs. LIV errorem medici cujusdam & chirurgi detegit, bubonocelen in juvene quodam pro bubone pestilentiali, cum læsione ipsius intestini aperientium. Obs. LXI pingues ac virides protrahit globulos, a fœmina quadam diarrhœa laborante una exterminatos, magnitudine

modo groſſum, modo nucem moſchatam minorem adæquantes, in cochleari carbonibus vivis admotos butyri inſtar diffluentes, igni vero poſtea injectos adinſtar olei concipientes flammam. Obſ. LXXII. mulieris gravidæ facit mentionem, canem vivum, digitum præterpropter longum, ſuis incluſum membranis omnibusq; membris abſolutum, (prout ab Autore depingitur) partu edentis, fœtu humano ſano & perfecto, eoque maſculino, quatuordecim demum ſeptimanis poſt ſubſequente. Obſ. LXXV gemellos duplici incluſos involucro una cum funiculo tertio, connectente placentam utramque, tradit & delineat. Obſ. LXXXI vulnus veſicæ fundo in equite Hagienſi ſupra os pubis gladio latiori inflictum, tres intra ſeptimanas refert ſanatum. In Obſ. LXXXVII videre eſt, ficum cancroſum interiur collo uterino adhæreſcentem, feliciter tamen fili conſtrictione intra dies quinque ablatum. Obſ. XCVI circa juvenem verſatur, cui tametſi os tibiæ totum a carie eſſet abſumptum, ob ſuccedentem nihilominus callum, pedis uſus reſtabat integer. Obſ. C civem quendam Leidenſem, a morſu felis rabioſæ ſeptimo demum vel octavo menſe male ſe habentem, imo mortuum prodit. Tandem de Unicornu vero eoq; terreſtri, Africam etiamnum inhabitante, annectitur Appendix.

Centuriæ autem ſecundæ pars prima quinquaginta complectitur Obſervationes, quarum priores quatuor varias capitis læſiones proponunt. Obſ. V. ruſticum quendam, duos annos ſurdum ac quatuordecim annos mutum, ſubito auditum recuperaſſe ac loquelam prolixe docet. Obſ. VIII. felicem ejuſmodi oculi punctura, qua lamina gladii fracta oculi dextri bulbum ultra digiti medii longitudinem, adeoque ad ipſum uſque os ſphænoideum penetrabat, licet cum viſus ejusdem oculi amiſſione, deſcribit curam. Obſ. XI. modum, quo aranea viri cujusdam auri illapſa extrahebatur, exponit. Obſ. XVIII. de globulo plumbeo agit, a muliere quadam dolorum abdominis ſedandorum ergo deglutito, poſtea vero una cum urina rurſus e corpore eliminato. Obſ. XXVI. in fæmina, quæ diu de mala ventriculi diatheſi, vomitu, doloribusque ſub coſtis ſpuriis conqueſta fuerat, ſuperiorem ventriculi partem tres digitos latam cum orificio ſiniſtro ab ulcere cancroſo refert perforatam.

In

In Obſ. XXXII. infans deſignatur in lucem editus absque umbilico, loco cujus circa regionem pubis macula quædam lata, rotunda, rubra, membranaque ſubtili cincta conſpiciebatur, in circumferentia duas papillulas oſtendens ad digitum circiter a ſe diſtantes ac urinam excernentes; quamvis enim ſcrotum exiguum admodum cum duobus teſticulis præſens eſſet, virga tamen minus erat ſenſibilis, ſed glans ſaltem omni præputio denudata, imperforata plane, ſimulque inverſa velut frænulo ſuo abdomen reſpiciens. In Obſ. XXXV. puer ille totus, capite ſaltem excepto, ſquammis duris & aſperis coopertus piſcisque odorem ſpirans depingitur, qui in oppidulo aliquo ditioni Neapolitanæ ſubjecto natus, annis ſuperioribus variis in Italiæ, Galliæ, Hollandiæ, locis publice pecuniam certam numerantibus fuit monſtratus, cujusque ſquammæ a *Lœvvenhœckio* etiam examinatæ in *Tranſactionibus Philoſophicis Anglicanis menſis Jun. anno 1684. No. 160.* occurrunt. Obſ. XLV, tendines muſculorum diſciſſos futura interveniente rurſus coaleſcere, duplici evincit exemplo. Tandem Obſ. L. baſiliſcum ſuppeditat, de quo quid Noſter aliique ſentiant Autores, Animadverſio adjecta ſatis ſuperque explanat. Etenim Obſervationes ſingulas libri utriusque Animadverſionibus doctiſſimis, in quibus Cl. Autor majorem Obſervationibus fidem conciliaturus, hiſtorias æque parallelas, ab Autoribus mutuatas, ac quæſtiones varias ad rem facientes profert & ventilat, illuſtrari minime ſilendum. Exempli loco, ut de reliquis ferri poſſit judicium, unicam nobis attuliſſe ſufficiat Annotationem in Obſ. XXXII. libri poſterioris de infante absque umbilico enato factam. In hac poſtquam primum ſimile ex Diario Gallico anni 1673 adductum eſſet exemplum, mox dubio, quomodo infantes ejusmodi umbilicis deſtituti, enutriti fuerint ac reſpirarint, fit ſatis, dum multis ac diverſis rationibus, fœtum non ſolummodo per umbilicum ſuſtentari, ſed per os quoque humorem amnii, cui innatat, ceu alimoniam pariter atque reſpirationis in ipſo materiam, aſſumere oſtenditur, ſimulque ii, qui humorem amnii pro urina vel ſudore fœtus venditant, item qui perſuaſum ſibi habent, fœtum hoc pacto iri ſuffocatum, refelluntur. Hunc ſcilicet in finem, ut paulatim ſaltem humorem circumfluum per os abſorberi declaretur, fœtum humanum

linguam inter maxillas habere exertam, pullum vero equinum, vitulli &c. ceu animalia dentibus jam instructa, anterius inter labra peculiare quoddam corpus spongiosum ac glanduloſum obtinere, multis præditum tubulis transitum alluenti humori concedentibus, advertitur; quod ipsum in partu statim ab adstantibus evelli digitis solitum, quia a Medicorum nemine observatum adhuc autor novit, duplici figura, prout præsens e vitulo extrahi curavit, voluit exprimi. In fine denique foramina illa bina urinam in infante, de quo Observatio agit, plorantia ureterum forsan hic præternaturaliter insertorum oscula, vel potius duplicem urachi terminum esse, suspicio non levis e ratione non minus atque experientia desumitur.

SEVERAL CHIRURGICAL TREATISES, by Richard VViseman, Serjeant-Chirurgeon.

i. e.

Tractatus varii Chirurgici, autore Richardo VVisemanno Chirurg. Magist. Editio secunda.

Londini, apud R. Royston & B. Took. A. 1686, in fol.

SI quis præsentem Tractatuum Chirurgicorum in unum volumen collectorum Editionem, secundam cum prima integro abhinc decennio in lucem ab Autore edita velit conferre, nihil prorsus accessisse novi facile deprehendet, forsan quod Editio prima satis jam dives Observationum sit, ut plures in secunda hac adjungere Autor supervacaneum duxerit. In *Tractatibus* siquidem *octo*, quibus totum comprehenditur opus, quorumque capita singula in Tabula quadam mox post præfationem posita designantur, non Theoria solummodo atque Therapeia affectuum plurium externorum edocentur, sed & methodus præscripta ubique fere observationibus sive casibus ab Autore in praxi multijuga annotatis, iisque non paucis, utpote in universum, prout in Tabula operis calci subjecta enumerantur, sex centum excedentibus illustratur. Cæteroquin *Tr. I.* varias dum tumorum pertractat species, inflammationem scilicet, tumo-

tumores a lacte provenientes, erysipelata, furunculum &c. peculiare his ipsis insertum caput de abscessibus, ac ulceribus corrosivis ab uteri intemperie post partum exortis exhibet. *Tr. II.* circa ulcera, & simplicia, & variis symptomatis stipata, v. g. intemperie, dolore, hypersarcosi, carie ossium, callo, varicibus &c. versatur; præter alias Observationes segregias, & ulcus quoddam sinuosum, ad sinistrum usque renem quod penetrabat, feliciter tandem in puella quadam sanatum commemorans. In *Tr. III.* morbi traduntur anum affligentes: scilicet hæmorrhoides, procidentia ani, marisсæ, cristæ, thymi, rhagades, phyma, ulcera denique sinuosa seu fistulæ; e quibus licet rhagades v. g. marisсæ, thymi &c. plerumque lui saltem Venereæ supervenire annotentur, nihilominus exempli loco vir quidam producitur, lue ejusmodi minime infectus, in quo excrescentiæ prædictæ ferro & igne, prospero cum successu, absque eo ut repullularint unquam, fuerunt eradicatæ; item mentio hic fit juvenis cujusdam maritæ, e cujus osse coccygis excrescentia quædam præternaturalis, trescirciter vel quatuor digitos longa, caudæ ovis Turcicæ non absimilis oriebatur, sectione optime extirpata. *Tr. IV.* de strumis agens, has arctiori ab Autoribus includi definitione, quam quæ ex æquo competat affectui isti, qui ab Anglis *Kings-Evill* denominari, ac Regis Angliæ tactu curari assolet, observat. Unde strumarum in latiori tali sensu consideratarum partem affectam non solum glandulas, sed & musculos, viscera, membranas, tendines atque ossa esse innuit, simulque tanquam certas scrophularum sive Kings-Evill species, spinam ventosam, ophthalmiam, ægilopem, tumorem tonsillarum, ranulamque expendit. *Tr. V.* vulnera in genere non minus atque in specie evolvit, venarum videlicet, arteriarum, nervorum, tendinum, ligamentorum, faciei, oesophagi, asperæ arteriæ, artuum, pectoris, abdominis, denique capitis; superpondii veluti vice discursum de cerebri vulneribus addens. *Tr. VI.* postquam generalem vulnerum sclopetorum medelam præcepit, perversamque Chirurgorum quorundam consuetudinem in prima statim vulnerum horum deligatione tincturam myrrhæ melque rosatum, item turundas majores adhibentium, ceu valde exitiosam rejecit, monstrat porro, quomodo in specie sclopetorum vulne-

ribus, si vel varia socientur symptomata, vel etiam diversas corporis partes, v. g. juncturas artuum, abdomen, thoracem &c. occupent, debeat succurri; tandem Appendicem sistit de ambustis, gangræna & sphacelo, itemque fistulis differentem. Quemadmodum vero *Tr. VII.* totus in eo est, ut restituat fracturas, membraque luxata, e. g. maxillam inferiorem, claviculam, humerum, cubitum, manum, femur &c. in locum reponat; ita *Tr. VIII.* & ultimus unice strenuam impendit operam, ut, curationem luis Venereæ atque gonorrhoæ absolvat.

SPES DUDUM DEPERDITUM PURpuræ artificium recuperandi, enata ex Observationibus VVilh. Cole, Bristolienſis, quas Societati Philoſophicæ Oxonienſi communicavit.

Ex Transact. Philoſ. Angl. M. Decemb. 1685, n. 197, pag. 1278. ſeq.

INter alia complura solertis antiquitatis inventa, quæ per incuriam mediorum seculorum amissa restaurare incassum hactenus nostra ætas annisa est, haud postremum locum meretur ars nobili Purpuræ tinctura pannos inficiendi, antiquis quidem satis familiaris, nunc tamen, nisi quantum de ea creperæ lucis ex priscis scriptoribus supereſt, penitus ignorata. Haud indignam proinde sua curiositate rem judicavit *VVilh. Cole*, si aliis naturæ privilegiis, quibus in Anglia sua detegendis strenue hucusque incubuit, Purpuram quoque addere liceret. Nec successu propositum omnino caruit, dum in plagis litoralibus Comitatus Somersetensis, eique objacentis Walliæ Meridionalis, haud ignobile muricis seu purpuræ genus, uti ex modo dicendis apparebit, reperit, non dubitans, quin in aliis quoque Angliæ littoribus, austrum imprimis & occidentem spectantibus, diligens inquisitio simile quid præstare valeat. Cæterum ingenue fatetur, non propria sponte semet adeo ad investigationem hanc faciendam inductum fuisse, quam quod ex aliorum narratione audiverit, esse hominem in ora quadam maritima Hiberniæ degentem, qui

artem

TAB. XV. *ad a. 1686. pag. 621. ſqq.*




Fig. 1

Fig. 2



Fig. 3



Fig. 4



Fig. 5



Fig. 6



Fig. 7





Fig. 8



Fig. 9



Fig. 10



artem calleret, mediante liquore ex quadam conchæ ſpecie depromto, tingendi varii generis lintea ad ſe hanc in rem hinc inde delata, aut in iis potius literas aliasve figuras pingendi, colore coccineo lucidiſſimo & perquam durabili. Cum vero hæc referentes, iſtam conchyliorum ſpeciem, quæ huic uſui apta foret, haud ſatis noſſent, ſed in ea deſignanda multum diſcreparent, haud parū laboris ſuſtinuit Noſter, in variis teſtaceorum generibus, variisque rurſus horum partibus pertentandis, inani licet conatu; cum maculæ ex liquoribus inde expreſſis aut deſumtis in linteo factæ, ſapone ablutæ in totum evaneſcerent: donec tandem in genuinam ſpeciem incidens, myſterium in parte quidem, qua minime omnium conjeciſſet, detegeret. Ut autem de cochleis ipſis primo dicamus, depingitur exterior ipſarum ſpecies *Fig. 1. 2. 3. 4. 5.* & quemadmodum, ut exinde apparet, magnitudine valde variant, ita colore quoque externo haud minus inter ſe differre feruntur; alias nempe rubicundas, alias flavas, in aliis utrumque hunc colorem eſſe, alias rurſus fuſce nigricare, alias colorem arenæ imitari, alias denique paucas albis fuſcisque lineis parallelis diſtinctas apparere. Amphibiorum ſpeciem animalia hæc eſſe, inde colligit Noſter, quod cum eorum aliqua tempore ſat longo in patina fictili ſuperfuſa aqua marina (dulcem enim nequaquam ferunt) viva aleret, obſervaverit ea ſubinde per vaſis latera ad ſummam aquæ ſuperficiem adrepere, exſerta foras quadam labiorum ac operculi ſpecie, qualem *fig. 6.* depingit; atque ſic media ſui parte ſuper aquam extantes velut aerem captare, ac dein per vices rurſus ſemet aquis ſubmergere. Methodum porro, qua ad nanciſcendam e conchis his ſperatam tincturam perveniatur, talem præſcribit. Teſtas earum, utpote aliis fere duriores, primo frangere jubet valido mallei ictu, ſuper lamina ferrea aut robuſto aſſere, & quidem orificio deorſum verſo, ne totum piſcis corpus ictu comminuatur: hinc teſtæ fragminibus collectis indeque amotis, ait apparituram venam quandam candidam, transverſim prope caput in ſulco quodam ſeu rima jacentem; in hac contentum liquorem viſcidum ac mucoſum elicere oportere ope penicilli e pilis equinis, utpote rigidioribus, confecti, brevis quidem ac mucronati; illinendum dein ac penitus imprimendum linteo, aut ſerico albo, ob cujus reflexionem exiſtimat colorem

Tab. XV.

rem fore vividiorem. Atque sic quidem in texto linteo aut serico expressas figuras aut literas, primum colore lucide virenti apparere: at quamprimum Solis radiis exponantur, paucis interjectis horæ minutis, colorem hunc evadere obscurius viridem, mox thalassinum, hinc subcæruleum, post rubicunde purpurascentem, ac denique, si ita per unam alteramve horam in Sole relinquantur, emergere saturate purpureum, ultra quem coloris gradum radiis solaribus nullam ad eum porro immutandum potentiam supereſſe perhibet. Cæterum multiplicem illam colorum vicissitudinem ac variationem citius seriusve contingere, pro diversis caloris solaris gradibus, adeo ut si tempore æstivo circa meridiem experimentum hoc instituatur, difficile sit colores, cito nimis se invicem excipientes, distinguere. Ultimum vero omnium ac pulcherrimum colorem tum prodire ait, si linteum post perpessas omnes istas vicissitudines aqua calida ac sapone perluatur, rursusque ad solem aut ventum siccetur; sic enim tincturam emergere coccineam pulchre lucidam, adeo constantem ac durabilem absque ullo alio adminiculo, ut etsi sudarium plusquam quadragies eluatur, nulla tamen exin coloris mutatio contingat, nisi quod, ut dictum, post primam lotionem ille paulo dilutior reddatur. Id quoque experimento didicit Autor, omnes illos colores intermedios, supra indigitatos, distinctim ad notabile temporis spacium conservari posse; at vivacitatem suam sensim amittere, si aeri libero ad lintea iis imbuta accessus aliquatenus saltim pateat: nisi hæc ipsa antequam adservarentur, aquis eluta fuerint; ita enim tincturam perdurare. Lucidiorem præterea colorem provenire, si textum cui literæ vel figuræ tales inscriptæ, mox lavetur ac siccetur, quam si aliquo tempore, clausum licet, ac inter libri folia repositum prius custodiatur. Cæterum quem usum venæ illius liquor (quem quandoque multum ac viscosum, alio dein tempore pauciorem & aquosum magis reperit) in animali, dum vivit, præstet, haud satis compertum se habere, fatetur Noster. Conjicit tamen, esse vel materiam spermaticam ac prolificam animalis; quod colligit cum ex viscositate, tum ex ingrato fœtore, quem liquor hic soli expositus spirat, non absimilem ei, qui ex allio & assa fœtida commixtis prodit: vel etiam esse posse humorem quendam peculiarem, qui vivida sua, qua polleat,

leat, energia vitam ac motum ciens suppleat defectum cordis, hepatis, sanguinis; prout in aliis quoque animantibus sanguine destitutis simile quid observatum narrat. Quod reliquum est, non ambigit præsentis experimenti autor, quin indigitata hæc cochleæ species, quam *Purpuram litoralem*, sive Tenienſem, *parvam turbinatam* appellat, inter illas referenda sit, quibus antiqui ad vestes ostro colorandas fuerint usi; præsertim cum circumstantiæ satis congruere videantur inter priscam illam & recentem hanc purpuram; ac imprimis venæ albicantis viscido liquore plenæ mentionem fecerint plurimi antiquiorum scriptorum, quotquot hanc materiam tetigerunt; quos inter dubio procul Plinius haud postremo loco censendus, utpote cujus temporibus sub Vespasiani imperio ars ista ad summum perfectionis fastigium perducta fertur. Denique confidit noster, inventionem hanc utilitate sua neutiquam carituram, dummodo debita porro cultura, variis suffulta experimentis eidem accedat: utut enim parum liquoris requisiti in una tali concha reperiatur, cum tamen magna copia in Angliæ litoribus eædem deprehendantur, facile tantum inde liquoris elici posse, quantum ad notabilem aliquam lanæ optimæ aut serici quantitatem colorandam sufficere valeat. Quemadmodum etiam conjicit, in oris Britanniæ maritimis grandioris quoq; speciei cochleas inventum iri, quæ si non eundem omnino, similem tamen liquorem, tingendo aptum, pariter in ea corporis parte contineant.

EXAMEN PERPETUI MOBILIS, PARISIIS publicati, & in Novellis Reipublicæ literariæ Roterodamensibus, mense Nov. 1685, artic. 7, ad discutiendum propositi.

Potuissemus descriptione machinæ hujus supersedere; quippe cujus defectus in memoratis Novellis hujus anni, articulo 7 mensis Aprilis, p. 444, *ex* Transactionibus Anglicanis mensis Decemb. 1685, pag. 1240, a D. Papino, *Regiæ Societatis Anglicanæ Socio, jam dum detectus habetur: nisi a Clarissimo Viro* I. Bernoulli *nobis submissa*

peringeniosa Machinæ dictæ discussio, utramque Lectoris B. ulteriori inquisitioni exponere nos admonuisset. Descriptionem vero machinæ non ipsius Autoris *verbis exhibemus; sed laudati* D. Papini, *ex Anglico in Latinum idioma translatis, adjecta ejusdem censura; quam* Bernoullianum *deinde* Examen *excipiet. Sic vero* D. Papinus:

Propositionem de motu quodam perpetuo, non ita pridem in Galliis impressam, cum ita involuta sit, ut nonnisi difficillime ab iis possit intelligi, qui non magnopere ejusmodi descriptionibus assuevere, sequenti modo conatus sum explicare.

Tab. XIV. Fig. 7.

DEF, Fig. VIImæ est follis 40 pollices longus, qui diductis alis, F ab E, expandi potest. Sit vero idem undique exacte occlusus, præterquam ad foramen E, cui tubus EG, 20 aut 22 pollices longus, exactissime adferruminandus; hujus vero altera extremitas vasculo G, pleno Mercurii, & prope medium follis constituto, immittenda.

A, est axis, circa quem follis revolvi potest.

B, sacoma interiori parti follis affixum.

C, pondus cum pinna, retinendo folli in situ erecto.

Jam si supponatur, follem sic erectum, tantum tertia aut quarta sui parte distentum, plenumque Mercurii esse; perspicuum est, mercurium 40 pollices altum, descensurum ad 27 circiter pollices, juxta experimentum Torricellianum: consequenter follis se versus F expandet, relinquetque ibi spatium vacuum: spatium hoc replebitur mercurio, in vasculo G contento, qui per tubum GE ascendet, cum tubus hic nonnisi 22 pollices longus sit: ob hanc causam follis magis magisque se divaricabit, usque dum mercurius ascensum continuans, supremum follis tam grave reddat, ut inferior pars a pinna C se expediat, follisque ad inversum prorsus situm revolvatur; nisi vasculum G ita convenienter collocatum, eundem in situ horizontali, juxta Fig. VIIIvam detineret: pars etiam F alia pinna C sistenda est. Tunc mercurius pondere suo ex folle, per tubum EG, defluet in vasculum G, ipseque follis eo usque se contrahet, ut pars EF ita levis evadat, ut sacoma B valeat partem F a pinna D liberare: tum follis se iterum eriget, ut in Fig. VIIma; mercurius in eo residuus, descendet denuo ad altitudinem 27 pollicum, & consequenter cæteri

Fig. 8.

effe-

effectus omnes supra memorati contingent, motusque in perpetuum continuabitur. *Hucusque* Autor Gallicus.

Ad hoc notandum est: quod follis se non distendere possit per pressionem interiorem, nisi hæc pressio fortior sit exteriore: jam vero in hoc casu pondus Atmosphæræ libere premit exteriorem follis partem; verum ad interiorem pervenire non potest, nisi per tubum GE, qui continens 22 pollices perpendiculares mercurii, ita contranititur pressioni aeris, ut supponendo hanc presionem esse 27 pollicum mercurii, eadem hæc non possit premere interiorem partem follis, nisi pondere quinque pollicibus mercurii perpendicularibus æquipollenti. Unde concludere licet, pressionem Atmosphæræ intra follem plus debilitatam esse, quam ut mercurium in dicto folle contentum possit adjuvare, id quod calculo facile ostendi potest; dictumque follem, juxta Fig. VIImam erectum, clausum potius perstiturum, quam se expansurum. Ut ita, nullo laboris sumtuumve periculo facto, quivis certus esse possit, machinam ejusmodi omnino fore frustraneam. *Hactenus* D. Papinus.

EXAMEN BERNOULLIANUM.

Machina hæc peringeniosa est, & cum legibus hydrostaticis prima fronte egregie conspirare videtur: sed hoc habet peculiare, quod qua parte eam optime cum iis consentire putes, eadem si penitius inspexeris, quam maxime iis repugnare deprehendas. Consistit autem in specie quadam Follis, 40 digitos alti impletique Mercurio, cuspide sua deorsum, base sursum versa, & circa axem horizontalem, alterutrius alæ medio applicatum, mobilis. Existimat enim Inventi hujus Auctor (sed falso, ut mox videbimus) argentum vivum in Folle descensurum ad consuetã, quam in experimento Torricelliano obtinet, 27 digitorum altitudinem, atque hoc suo descensu dilataturum alas follis, relicto in summitate ejo vacuo, quod alio deinceps Mercurio mediante aeris pressione adimplendum sit. Ansam erroris haud dubie captavit inde, quod videret, hydrargyrum non tantum in fistulis cylindricis, sed in tubis quoq; inferne acuminatis & Conum referentibus descendere solere: non considerans, aliam lon-

ge hac in parte rationem esse Mercurii suspensi in Cono firmorum laterum & acuminis perforati, per quos defluere possit in vasculum; aliam rationem Mercurii in folle ejusmodi seu Cono subtus impervio detenti, & vicissim per solam laterum aperibilium expansionem descensum molientis. Dico namque, multo majorem requiri, quam 40 digitorum in tali Cono inclusoque Mercurio altitudinem, ad æquipondium faciendum cum externo aere, latera Coni introrsum premente; nedum ad ejus pressionem superandam. Cujus assertionis veritatem simplicioris calculi & majoris evidentiæ ergo ostendam solum in Triangulo, facile postmodum accommodando ad Pyramides Conosve, in quibus ob dimensionum pluralitatem demonstratio valebit a fortiori.

Esto itaque Triangulum Isosceles A B C, perpendiculariter erectum, cujus angulus seu vertex B, deorsum prospiciens libere aperiri claudique possit, sic ut ejus crura A B, C B, repræsentent quasi duos vectes mobiles circa punctum B, ceu hypomochlium suum. Fig. 9. Area porro Trianguli tota repleta sit Mercurio, qui divisus concipiatur in filamenta innumera, qualia sunt db, db, tum inter se, tum axi D B parallela, quæ pondere suo agant in crura A B, C B, eaque divaricare conentur, dum totidem filamenta atmosphærica eb, eb, extus urgentia, eadem comprimere annituntur: ubi statim apparet, tametsi filamentum mercuriale D B, 40 digitos longum, pondere exsuperet æque crassum filamentum atmosphæricum; bene tamen fieri posse, ut omnia filamenta mercurialia simul sumta, utpote continue versus A & C decrescentia, multo minus habeant momentum atmosphæricis omnibus simul sumtis, ceu pondere & longitudine ad sensum æqualibus. Sed ut palam fiat, quanta debeat esse altitudo Trianguli, seu longitudo filamenti D B, ut momenta utrobique reddantur æqualia: considerandum, pondera filamentorum mercurialium db, db, constituere ab A versus B (perinde ut ex altera parte quoque) infinitam seriem arithmetice progressionalium, 0, 1, 2, 3, 4. &c. usque ad DB, cujus pondus appellemus x; distantias vero eorundem respectivas ab hypomochlio B (posita A B $= a$) esse $a, a-1, a-2, a-3, a-4$, &c. usque ad $a-a$; adeoque momenta, utpote ex ratione ponderum & distantiarum composita, $0, a-1, 2a-4, 3a-9, 4a-16$ &c. usque ad $ax-ax$, quæ series est primanorum, diminuta serie secundanorum, cujus proin summa est $\frac{aax}{6}$. Nam quanquam

momenta revera minora sint, propter obliquam filamentorum actionem in crura Trianguli, hoc tamen non officit calculo; quoniam ex altera parte filamenta atmosphærica actione sua reflexa eodem obliquitatis angulo latera ista feriunt, atque ita eorum momenta in eadem ratione minuuntur. Constituunt autem istorum filamentorum atmosphæricorum pondera seriem æqualium, quorum singula vocentur p; distantiæ eorum ab hypomochlio B, eædem sunt quæ supra: unde resultat series momentorum, $pa, pa-p, pa-2p, pa-3p, pa-4p$, &c. usque ad $pa-pa$, cujus summa existit $\frac{paa}{2}$. Et quoniam momenta hinc inde supponuntur æqualia, erit igitur $\frac{aax}{6} = \frac{aap}{2}$, $x = 3p$: sive quod indigitat, pondus filamenti mercurialis D B triplo majus esse debere pondere similis filamenti atmosphærici; id est, (si pondus atmosphæricum numero rotundo 30 digitis mercurialibus æquivalere supponamus) Follem triangularem 90 digitos altum requiri, antequam inclusus mercurius æquilibrium duntaxat cum aere constituat, nedum illi prævaleat. Quod si vero in Pyramide vel Cono similis calculus institueretur: deprehenderetur, omnino quadruplo majorem, scilicet 120 digitorum in illis altitudinem deposci.

Sed & porro, etiamsi Follis triangularis 90, aut pyramidalis cubicusve 120 digitis fieret altior, non tamen existimandum est, descensurum propterea in illo Mercurium ad dictos usque 90 vel 120 digitos: hærebit enim iis adhuc notabiliter altius, ob rationem quod descendendo deserit supremam alarum follis partem: in quam pergit agere aer externus, qui majori hac ratione sustinendæ altitudini par est. Si Fig. X Latus Trianguli A B vocetur l; Altitudo Mercurii B D, quam obtinet in Triangulo A B C, $mp > 3p$; & Altitudo ejusdem B E (ad quam descendit in Folle expanso a B e,) y. Reperietur Æquatio $y^4 - 3pl^2y^2 + mmppll - m^4p^4 = 0$. Quocirca posita altitudine D B, seu $mp = 4p = 120$ digit: Si latus follis A B $= l$ statuatur 130 digitorum, erit $y = 106$ fere; & si $l = 140$, erit $y = 101$ fere Fig. 10.

utrobique ſcilicet major quam 90. Sin $l = 150$, erit quidem $\gamma = 90$ præciſe, ſed tum nullum in folle relinquitur vacuum, mercurio replente totam ejus cavitatem, utpote quæ expanſis ultra rectum angulum alis iterum diminuitur, ſicuti antea accreverat. Si $l > 150$, deſcendet Mercurius, dilatabiturque follis ultra angulum rectum, quousque nullum in illo ſuperſit vacuum, ſiquidem hoc per ejus aperibilitatem liceat; ſecus enim relinquetur quidem vacuum, ſed utroque caſu argentum in majore, quam 90 digitorum altitudine hærebit. Si denique $l > 170$, nec deſcendet Mercurius, nec dilatabitur follis omnino; quoniam alias volumen ejus contraheretur, nec argentum haberet, quo cederet.

Illud etiam inſuper non prætereundum eſt, quod in allato calculo ſolius aeris lateralis in comprimendis cruribus vires contemplati ſumus, excluſa adhuc conſideratione aeris, baſi Trianguli A C imminentis, eamq; deſuper prementis introrſum, atque ita alarum A B, C B diſtenſionem tanto fortius prohibentis: quo fit, ut ad Mercurii deſcenſum promovendum altitudo Trianguli aſſignata multo adhuc major requiratur. Si & hujus habenda foret ratio, id accuratius quidem non aſſequeremur, quam ſi calculum noſtrum fundaremus ſuper Principio illo Mechanico, quo ſtatui ſolet, *Nullum produci poſſe motum naturalem, niſi eo motu centrum commune gravitatis corporum in ſe agentium deſcendat.* Hunc enim in finem concipiendum eſſet Triangulum A BC (fig. X) incluſum Rectangulo Hl, latitudinis arbitrariæ, altitudinis vero ultra fines Atmoſphæræ H L tantiſper productæ; cogitandumq;, dum dilatato Triangulo ſubſidit Mercurius in FG, neceſſe eſſe, ut aer exundet in MN; adeoq; ut centrum gravitatis hujus attollatur, illius deprimatur: unde id ſolum calculo explorandum relinquitur, utrum commune utriusque centrum gravitatis eo motu elevetur deprimaturve; & ſi reperiatur deprimi, quousque divaricanda ſint crura A B, C B, donec illud loco omnium humillimo conſiſtat. Quod Problema ut jucundum, ſic Viris Analyſtis non prorſus indignum cenſebitur. Ubi id ſolum moneo, aerem baſi Trianguli AC incumbentem, diverſos plane habiturum effectus, prout baſin hanc vel rigidam & ſolutam, vel, ut eſt, introrſum plicatilem & punctis A, C affixam conceperis; priori namque caſu

caſu conatum Mercurii in divaricandis cruribus juvat; poſterior in iisdem contrahendis aeri laterali auxilium feret.

Cum itaque ex hactenus dictis ſatis pateat, follem (ſepoſito etiam aeris baſin deprimentis impedimento) minimum 90 digitos altum requiri, ut in illo tantillus Mercurii ſequatur deſcenſus: facile deinceps capiet Lector, nequicquam ejus medio adaptari exterius vaſculum cum tubo ad ſummitatem follis pertingente, ad replendum, ſi quod ibi extiterit vacuum: quoniam enim tubus eum in finem ad minimum 45 digitos longus ſit oportet, manifeſtum eſt, fluxum Mercurii per illum ſuccedere non poſſe.

Si quis vero malo huic medelam allaturus, elevatione vaſculi tubum abbreviare vellet, is novæ difficultati ſe intricatum ſentiret: nam flueret tum quidem Mercurius ex vaſe in follis ſummitatem, ſed iſto poſtmodum circa axem medio ſui applicatum rotato, ſitumque horizontalem adepto, argentum ex folle in vaſculum ſe elevatius retrofluere amplius non poſſet. Taceo alia, quæ Machinam hanc urgent incommoda, ita comparata, ut ſi unam ejus partem perfeciſſe credideris, alteram continuo mancam & claudicantem deprehendas.

ISTORIA UNIVERSALE DI TUTTI I CONCILII GENERALI e particolari di Santa Chieſa, di Marco Battaglini: ſeu Hiſtoria univerſalis conciliorum, autore Marco Battaglino.

Venet. per Andream Polettum A. C. 1686, in Fol.

HOrtatu *Vincentii Mariæ Urſini* Cardinalis, conciliorum hiſtoriam aggreſſus Autor, e *Surio*, *Binio* & *Labbeo*, præcipuis conciliorum collectoribus, nec non *Baronio* ejusdemque epitomatore & continuatore *Spondano* opus hoc concinnavit, in quo id apprime novum eſt, quod Italico habitu veſtitum prodit. Incipit a conventu Apoſtolorum in Judæ locum Matthiam ſurrogantium; deſinit in concilio Tridentino, quod omnium conciliorum centrum & compendium eſſe ſtatuit. Præmittuntur gemini conciliorum indices, unus chronologicus, alter alphabeticus, qui ſimul 475 conciliorum, quorum hiſtoria hoc volumine continetur, materiam breviter exhibent, nec

nec non geminæ tabulæ geographicæ episcopatuum, quarum una novam, altera pristinam eorundem notitiam suggerit. Reliquorum memorabilium index ordine alphabetico digestus in fine operis occurrit.

LIBRI NOVI.

Deux essais d' Arithmetique politique, touchant les villes & hospitaux de Londres & de Paris; par le Chev. Petty. a Londres 1686, in 4.

Catalogus Patrum Societ. Jesu, qui post obitum S. Francisci Xaverii ab a. 1582 in Imperio Sinarum Jesu Christi fidem propagarunt, e Sinico Latine redditus a P. Philippo Couplet. Paris 1686, in 8.

Abregé de l' Histoire de la Congregation *de Auxiliis*, c' est a dire des Secours de la Grace de Dieu tenüe sous les Papes Clement VIII & Paul V. a Francfort. 1686 in 12.

Le Grand Dictionaire de l' Academie Françoise. I. Partie. a Paris chez Petit. a Francfort chez Frederic Arnaud. 1686 in 4.

Lettre Pastorale de Monsieur l' Eveque de Meaux aux nouveaux Catholiques, avec une reponse pour relever la foi de ceux qui sont tombez. a Cologne 1686, in 12.

Designe Dissertationes Physicæ, auctore Paulo Casato S. I. Venetiis 1686, in 4.

La Vita di D. Giovanni d' Austria, Figliolo naturale de Filippo IV Rè di Spagna. In Colonia 1686, in 12.

Vita del S. Patritio, Primate dell' Ibernia, descritta dall' Abbate D. Giacomo Certani. in Bologna 1686. in 4.

Mare magnum Sacramenti Matrimonii in exiguo, auctore Carolo Mazzio Clerico Florentino. Venetiis 1686, in Fol.

Bibliotheque Universelle & Historique de l' année 1686. a Amsterdam 1686, in 12.

Giornale de' Letterati dell' An. 1686. in Parma 1686, in 4.

Della Bibliotheca Volante di Giovanni Cinelli Academico Gelato e Dissonante, Scanzia quinta, in Parma, 1686, in 8.

De Novitio Opere, quod inscribitur Prædestinatus, Authoris anonymi Semipelagiani, nuper reperto & impresso in Galliis, nova Quæstio Historico-Theologica &c. Authore F. Seraphino Piccinardo. Patavii 1686, in 4.

(o)

INDEX AUCTORUM AC RERUM.

I. *Theologica & ad Ecclesiasticam Historiam spectantia.*

Anonymi de nuperis Angliæ motibus Epistola, in qua de diversum a publica religione sentientium differitur tolerantia. 127

Anonymi Notæ in Acta Congregationis Cleri Gallicani in causa Religionis, a. 1685. 140

Anonymi Observationes in novellam defensionem Versionis Gallicæ Novi Testamenti Montibus impressæ 201

Anonymi Veræ Causæ conversionis sive vitæ Monasticæ Abbatis Trappensis 208

Anonymi Litteræ Protestantium Galliæ ad omnes alios Protestantes Evangelicos 275

Anonymi Elogium Johannis Launoji Parisiensis Theologi, una cum ejusdem Notationibus in Censuram duarum propositionum A. A. D. S. 342

Anonymi Dissertatio Historica & Apologetica pro Doctrina D. Lutheri de Missa, contra calumniam in libello Gallico: Recitatio Colloquii Diaboli cum Luthero, *renovata* 606

Isaaci Abarbanelis Commentarius in Prophetas priores h. e. Josuam, Judices, librum utrumque Samuelis & Regum 527

Commentarius in Hoseam, & Proœmium in Duodecim Prophetas minores. 535

Antonii Arnaldi *Reflexiones ad Malebranchii de Natura & Gratia Systema. Liber I.* 183

S. Athanasii Opera 270

Stephani Baluzii *Opera Marii Mercatoris notis illustrata* 236

Marci Battaglini *Historia universalis omnium conciliorum* 629

Joh. Guil. Bayeri *Compendium Theologiæ Positivæ cum Notis* 601

Antonia Burignoniæ *Opera Omnia, novendecim voluminibus comprehensa* 9

M. C. *Tractatus de Libertatibus Ecclesiæ Gallicanæ, continens Discussionem Declarationis a Clero Gallico a. 1682. factæ* 230
Hieron. le Camus *judicium de nupera Isaaci Vossii ad P. Simonis objectiones responsione* 106
Guilielmi Cave *Christianismus Primitivus seu de Religione priscorum Christianorum in primis Evangelii seculis* 164
Carthophylax Ecclesiasticus. 177
Pauli Colomesii *Paralipomena ad Guilielmi Cave Chartophylacem Ecclesiasticum* 551
Henrici Dodwelli *Dissertationes Cyprianicæ* 61
Jacobi Gaillardi *Melchisedecus Christus, unus Rex justitiæ, Rex pacis* 148
Godofredi Henschenii *& Danielis* Papebrochii *Acta sanctorum Maji collecta, digesta & illustrata* 270
Humphredi Hody *dissertatio contra Historiam Aristeæ de LXX Interpretibus* 205
Francisci ab Husen *Notæ in Abarbanelis Commentarium in Hoseam* 535
Joh. Lightfoot *Opera Omnia. Anglice.* 120
Latine 269
Philippi a Limborg *Theologia Christiana* 515
Joh. Mabillonii *Veterum Analectorum Tomus IV, complectens iter ipsius Germanicum, cum monumentis in eo repertis* 17
De Liturgia Gallicana Libri III. 20
Acta Sanctorum Ordinis S. Benedicti in seculorum classes distributa 57
Ludovici Maimburgii *Historia Pontificatus S. Gregorii Magni* 343
Malebranchii *Conversationes Christianæ, per quas asseritur veritas Religionis & disciplinæ Christianæ* 24.
Responsio ad Dissertationem Arnaldi Additamento Tractatus de Natura & Gratia oppositam 179
Stephani Morini *Dissertatio de Horis salvificæ Passionis Iesu Christi* 488
Stephani le Moyne *Varia Sacra, seu Sylloge variorum Opusculorum Græcorum ad rem Ecclesiasticam spectantium, inque ea notæ* 70. 145
Origenis Libellus de Precatione, hucusque ineditus 575
Casimiri Oudin *Supplementum de Scriptoribus vel scriptis Ecclesiasticis a Bellarmino omissis* 396
Eduardi Pocockii *Commentarius in Prophetiam Hoseæ* 576
Joh. Andreæ Quenstedt *Theologia Didactico-Polemica, seu Systema Theologicum* 212
Joh. Reiskii *Exerc. Hist. de Imaginibus Jesu Christi, quotquot vulgo circumferuntur.* 462
Antonii Reiseri *Johannes Launojus Theologus Parisiensis Testis & Confessor Veritatis Evangelico-Catholicæ vindicatus.* 341
Emanuelis a Schelstrate *Tractatus de Sensu & Autoritate Decretorum Concilii Constantiensis, Sessione IV & V circa potestatem Ecclesiasticam editorum* 307
Richardi Simonis *Historia Critica veteris Testamenti.* 100
Opuscula Critica adversus Isaacum Vossium 106
Responsum ad Judicia Theologorum Hollandiæ de Historia Critica Vet. Test. 439
Joh. Spenceri *de Legibus Hebræorum Ritualibus & earum rationibus libri tres* 113
Thomæ Tanneri *Origo & incrementum primæ Dei Ecclesiæ* 245
Episcopi Tornacensis *Responsio ad Reflexiones Memoriali suo oppositas* 274
Theologorum quorundam Hollandiæ judicia de Rich. Simonis Historia Critica Veteris Testamenti 432
De Veil *Epistola ad Maimburgum Equitem* 104
Caroli Mariæ du Veil *Acta sanctorum Apostolorum ad literam explicata* 504
Campegii Vitringa *Archi-Synagogus, ubi de Episcoporum Presbyterorumque primæ Ecclesiæ origine agitur* 253
Christophori Wittichii *Investigatio Epistolæ Pauli ad Romanos* 198
Casparis Zigleri *de Episcopis eorumque juribus, privilegiis, & vivendi ratione Liber Commentarius* 567

II. *Juridica.*

Joh. Petri Actolini *Resolutiones Forenses.* 323
Joh. Eisenhard *Processus Instantiæ Restitutionis in integrum* 154

Fabii Capycii Galeotæ *Responsa Fiscalia Selectiora* 322
Joh. Christoph. Heroldi *Consilia Decisiva* 339
VVilhelmi a Loon *Eleutheria, sive de Manumissione Servorum apud Romanos Libri IV.* 134
Caroli Antonii de Luca *Praxis judiciaria in Civilem divisa & Criminalem* 337
Ernesti Theophili Majeri *Commentarius Theoretico-Practicus in quatuor Libros Institutionum* 338
J. Mariæ Novarii *Tractatus de Vasallorum Gravaminibus* 322
Leonori Comitis de Valmarana *Repetitio Legis* Quoties *Cod. Quando non petentium partes petentibus accrescant* 89

III. *Medica & Physica.*

Anonymi Mundus nascens, sive Creatio Mundi demonstrata ex principiis simplicissimis & maxime conformibus Historiæ Mosaicæ 199
Anonymi Relatio de Evacuatione sanguinis periodica, per extremitatem digiti facta 386
Davidis Abercrombii *Observationes de Variatione Pulsus.* 215
Gregorii Ash *Epistola de Puella quadam Hibernica, e cujus corpore varia excrevere cornua* 487
Pauli Bocconis *Observationes Naturales, in quibus varia Medico-Physica & Botanica continentur.* 478
Joh. Bohnii *Circulus Anatomico-Physiologicus, seu Oeconomia Corporis Animalis* 225
Philippi Bonanni *Recreatio mentis & oculi in observatione Animalium Testaceorum* 108
Theophili Boneti Medicina Septentrionalis collatitia 416
Roberti Boylei *de Specificorum Remediorum cum Corpusculari Philosophia Concordia, nec non de Varia simplicium medicamentorum utilitate usuque dissertatio* 373
Jacobi Brachi *Cogitata Physico-Medica circa animalia, quæ moriuntur in recipientibus, & aere vacuis & aere factitio repletis* 502
Guil. Briggs *Ophthalmographia & Nova visionis Theoria* 318
Excerpta ex Actis novæ Academiæ Brixiensis *Philo-Exoticorum Naturæ & Artis* 557

Busserii *Observatio de Granis Avenæ, quæ in stomacho germinarunt* 276
De extraordinaria quadam Prægnatione 277
Leonhardi Capuani *Lectiones naturam Mephitium concernentes* 367
Gualteri Charletonis *Inquisitio Physica de causis Catameniorum ex uteri Rheumatismo* 78
VVilhelmi Cole *Observationes, ex quibus nata spes dudum deperditum Purpuræ artificium recuperandi* 620
Samuelis Derham *Descriptio Aquarum Mineralium apud Ilmington* 444
Isbrandi de Diemerbroeck *Opera omnia, Anatomica & Medica* 1
Caroli Drelincurtii *opuscula de Fœtus humani conceptione, membranis, umbilico, nutritione atque partu.* 472
Georgii Entii *Apologia pro Circuitione Sanguinis adversus Æmilium Parisanum.* 278
Ant. Everardi *Novus & Genuinus hominis brutique animalis Exortus.* 471
Joh. Franci *Castorologia* 138
Joh. Goedartius *de Insectis, cum notis M. Listeri.* 139
Guenelloni *Epistola Anatomiam oculi concernens* 319
Hen. Ger. Herfeld *Philosophicum Hominis, methodo Cartesii concinnatum* 602
Joh. Baptistæ de Lamzwerde *Historia Naturalis Molarum Uteri* 535
Ant. Levvenhoek *Anatomia Muci intestinorum ac de usu ejusdem* 5
Observationes circa generationem & conceptionem fœtus in utero 474
Georgii Abrahami Mercklini *Lindenius Renovatus* 417
VVilhelmi Molineux *Observatio de insecto Hibernico vocato Connugh-VVorm* 300
Antonii Nuck *de Ductu Salivali novo, Saliva, Ductibus aquosis, & Humore aqueo oculorum* 158
D. Papini *Experimentum concernens jaculationem mediante aeris rarefactione efficiendam* 500
D. Peirce *Relatio de Cochleæ pútamine reperto in Rene mulieris* 387
Roberti Plot *Observatio de Panno quodam incombustibili* 400

Pauli Portal *Praxis Partuum, magno observationum numero suffultæ*

Postelli *observatio circa Tubos uteri Muliebris* 303
Francisci Redi *Observationes circa animalia viventia, quæ reperiuntur in animalibus viventibus* 279
Henrici Regii *Praxis Medica reformata* 48
Nathanaelis Sprye *Tractatus de Fluxu menstruo* 555
D. de Stair *Physiologia nova Experimentalis* 111
Cornelii Stalparti *Centuria, nec non Pars prima Centuriæ secundæ Observationum Medico-Chirurgico-Anatomicarum* 403
Francisci Stockamer *Microcosmographia* 614
Thomæ Sydenham *Opera universa* 472
Phil. Sylvestri *du Four Tractatus novi de Potu Caffé, de Chinensium The, & de Chocolata* 605
Joh. Baptistæ Triumfetti *Observationes de ortu & vegetatione Plantarum, cum novarum stirpium Historia.* 155
Georgii a Turre *Historia Plantarum* 217
Georgii VVolfg. Wedelii *Exercitationum Medico-Philologicarum Decades duæ* 86
Richardi Wisemanni *Tractatus varii Chirurgici* 361
618

IV. Mathematica.

Anonymi Mathematica Demonstratio Rarefactionis & Condensationis Aeris 98
J. Bernoulli *Dubium circa causam Gravitatis a Rotatione vorticis Terreni petitam* 91
Solutio Difficultatis contra Propositionem quandam Mechanicam, auctore I. F. V. propositæ 96
Narratio Controversiæ inter Dn. Hugenium & Abbatem Catelanum de Centro Oscillationis 356
Demonstratio Rationum, quas habent series numerorum naturali progressione se insequentium &c. ad Series numerorum totidem maximo æqualium 360
Examen perpetui Mobilis Parisiis publicati & in Novellis Reipublicæ Literariæ Roterodamensibus propositi 623
Francisci Blanchini *Observatio Eclipseos Lunæ totalis d. 10. Dec. 1685.* 52

Jose-

Josephi Campani *Descriptio novi Microscopii, ejusque usus* 371
Joh. Domin. Cassini *Observationes novæ circa Systema Saturni* 469
Dethlevi Cluveri *Quadratura Circuli Infinitis modis demonstrata* 369
Joh. Craige *Methodus Figurarum lineis rectis & curvis comprehensarum Quadraturas determinandi* 169
Francisci Eschinardi *Tractatus duplex de Impetu* 447
Joh. Flamstedii *Occultatio Jovis a Luna d. 31. Martii a. 1686. observata* 492
Godofredi Kirchii *Ephemerides Motuum Cœlestium* 222
Cometa Antelucanus Lipsiæ mense Septembri 1686. observatus 565
Adami Adamandi Kochanski *Considerationes circa Quadrata & cubos Magicos* 391
G. G. L. Brevis Demonstratio erroris Cartesii & aliorum circa legem Naturæ, secundum quam volunt a Deo eandem semper quantitatem motus conservari, qua & in re Mechanica abutuntur. 161
Meditatio de Natura Anguli Contactus et Osculi, horumque usu in Practica Mathesi. 289
De Geometria recondita, & Analysi Indivisibilium atq; Infinitorum 292
Francisci Tertii de Lanis *Observationes mutationis declinationum magneticarum in eodem loco &c.* 557
Guilielmi Molineux *Inventum novum hygroscopicum* 389
Samuelis Morlandi *Elevatio Aquarum reducta ad pondus & mensuram* 280
Dn. Ozanam *Methodus generalis describendis Sciatericis super quibuscunque planis* 415
D. Papini *Inventa nova Hydragogica* 545
Godofredi Teuberi *Instrumentum novum, variationem Magnetis minori acu secundum gradus, minuta prima & secunda exacte monstrans* 125
D. T. Responsum ad Objecta Joh. Craige in Methodo &c. 169
Matthiæ Wasmuth *Annalium Cœli & Temporum restitutorum, sive Operis Astrochronologici Sciagraphia* 34
Joh. Wallisii *Tractatus de Algebra, cui nonnulli Tractatus alii accesserunt* 283
Mauritii Wheleri *Automaton novum, per descensum super Plano declivi ho-*

horas indicans 79
J. Jac. Zimmermann Occultatio Jovis a Luna d. 31. Martii a. 1686. observata. 493

V. Historica & Geographica.

Anonymi Nova descriptio eorum, quæ in urbe Parisiorum notatu digniora habentur 75
Anonymi Vita VVilh. Bedelli, Episcopi Kilmoriæ in Hibernia 239
Anonymi itinera Imperatoris Chinensis in Tartariam 259
Anonymi Historia Occupationis Floridæ factæ ab Hispanis Duce Ferdinando de Sota 277
Anonymi Exercitatio ad Nicolai Chvvalkovii jus publicum Regni Poloniæ 485
Anonymi Vita Caspari Colinii, Amiralii Franciæ 611
D. Buisson *Vita Henrici Turrenii* 130
Christophori Cellarii *Geographia antiqua, ad Veterum Historiarum, sive a principio rerum ad Constantini M. tempora deductarum facilliorem explicationem apparata* 431
Giraldi de Cordemoy *Historia Franciæ* 313
Leonhardi Cozandi *Bibliotheca Brixiensis reserata* 385
Dellonii *Relatio Itineris per Indiam Orientalem* 211
Martini Difenbachii *Dissertatio de vero mortis genere ex quo Henricus VII Imperator obiit* 311
Clementis Galani *Historia Armena Ecclesiastica & Politica* 336
Pauli Hachenbergi *Germania Media, in qua res Mediorum Seculorum, quæ a Trajano ad Maximilianum I fluxere, ex priscis Autoribus recensentur.* 421
Edoardi Herberti *Baronis de Cherburi Vita Henrici VIII Angliæ Regis* 133
Friderici Jacobi Leickeri *vitæ Clarissimorum JCtorum* 458
Francisci Mackenzie *Vindiciæ Antiquitatis Regiæ Familiæ Scotorum* 317
Caroli le Maire *Lutetia vetus & nova* 76
Francisci Mezerayi *Historia Franciæ a Pharamundo usque ad Regnum Henrici Justi* 314
Dn. le Noble *Relatio de Statu Genuæ, additis pactis per quæ Genuenses sese Carolo VI Galliæ Regi dediderunt* 410

Rode-

Roderici Oflaherty *Ogygia, seu Rerum Hibernicarum Chronologia* 249
Christiani Franc. Paullini Theatrum illustrium virorum Corbejæ Saxonicæ 273
Conradi Peutingeri *Sermones Convivales de Finibus Germaniæ contra Gallos &c.* 31
Samuelis Pufendorfii *Continuatio Historiæ de præcipuis Regnis ac Statibus Europæ, in qua Regnum Suecicum describitur* 381
Commentariorum de Rebus Suecicis Libri XXVI ab expeditione Gustavi Adolphi in Germaniam ad abdicationem usque Christinæ 429
Renati Papini *Comparationes Magnorum Virorum ex Antiquitate* 192
Considerationes super Eloquentia, Poesi, Historia & Philosophia 263
Georgii Stiernhielmii *Anti-Cluverius, Gentis Gothicæ originem & antiquissimam in Scandinavia sedem vindicans &c.* 32
Antonii Varillasii *Historia Francisci I Galliarum Regis* 87
Anecdota Florentina, sive Historia arcana Familiæ Mediceæ 88
Historia Revolutionum in Europa, quæ occasione religionis acciderunt 506

VI. Philosophica & Philologica Miscellanea.

Anonymi Genii Linguæ Gallicæ Continuata Expositio 221
Anonymi Judicia Eruditorum de primariis Scriptis Autorum 251
Th. I. ab Almeloveen *Opuscula, sive antiquitatum e sacris profanarum Specimen, Conjectanea, Veterum Poetarum fragmenta, & Plagiariorum Syllabus* 413
Julii Bartolocci *de Celleno Bibliotheca Magna Rabbinica* 588
Litteræ Historicæ, Politicæ & Eruditæ, collectæ ab Antonio Bulifone 610
Guilielmi du Choul *Religio, Castrametatio, Disciplina Militaris, & Balneæ veterum Romanorum* 220
Dn. des Coutures *Moralia Epicuri* 483
Joh. Petri Erici *Renatum e Mysterio Principium Philologicum, in quo vocum, signorum & punctorum, tum & literarum maxime ac numerorum*

merorum origo, nec non novum Specimen Etymologicum propalatur 327

Vincentii Fabricii *Orationes Civiles, Dissertationes varii argumenti, Epistolæ & Poemata* 278

Joachimi Felleri *Catalogus Codicum Manuscriptorum Bibliothecæ Paulinæ in Academia Lipsiensi* 223

Leonhardi Frizon *Furstenbergiana* 136

Herberti *Episcopi Herefordiensis Animadversiones in librum cui Titulus*, Theoria Telluris 521

D. Junii Juvenalis *Satyræ, Veterum Scholiis & Doctorum Commentariis illustratæ, ex recensione Henr. Christiani Henninii* 407

Casparis Kinschotii *Poemata* 587

Georgii Mackenzie *Justa & solida tum Monarchiæ in genere, cum speciatim Scoticæ Fundamenta* 315

Joh. Danielis Majoris *Epistola de Nummis Græce inscriptis, qua de lingua Græca secundum accentus non pronuncianda, & de suspecta Jotorum subscriptione agitur* 331

Caroli de Marouville *Notæ in M. Tullii Ciceronis Orationes* 74

Antonii Matthæi *Tractatus de Nobilitate, Principibus, Ducibus, Comitibus, Baronibus &c.* 460

Ægidii Menagii *Origines linguæ Italicæ* 541

Josephi Monterchii *Commentarii in rariora Cardinalis Carpegnæ Numismata* 213

Georgii Christophori Peiskeri *Index de Vernaculæ & rerum Germanicarum significatione, pro Græca ac Germanica linguæ analogia* 418

Petri Petiti *de Sibylla libri tres* 451

Vincentii Placcii *Excerpta bina Rhetoricarum Accessionum* 498

Joh. Ludov. Praschii *Dissertatio de Origine Germanica Latinæ Linguæ* 325

Joh. Rondelli *Animadversiones in caput quoddam Theophrasti, seu Discursus de Superstitione* 382

Dn. Viti Ludovici a Seckendorf *Orationes Germanicæ quadraginta quatuor, cum Præfatione & additamentis* 376

Caroli Sigonii *de Republica Hebræorum libri VII cum Annotationibus Joh. Nicolai* 219

Phi-

Philippi Silvii *Notæ in Catullum, Tibullum & Propertium* 215

Georgii Silvani *Opuscula Græca Isocratis, Plutarchi, Æsopi, Luciani, Theocriti, Scholiis illustrata.* 258

Jac. Turneri *Specimina varia Artis Militaris tum Veterum Græcorum ac Romanorum, tum hodiernæ* 303

Cajetani Vizich *Sacer Helicon, continens Poesin Epicam, Lyricam, & Epigrammaticam* 573

Gerh. de Vries *Exercitationes Rationales de Deo, divinisque Perfectionibus* 198

Errata quædam.

Pag. 6. l. 9. lege, *semet intra venas*. P. 7. l. 27. lege *vero*. P. 38. l. 34. lege *utraque*. P. 83. l. 20, pro *una*, lege *qua*. l. 34. lege *continue*. P. 107. l. 26. lege חגר. P. 148. l. penult. lege אבן. P. 167. l. 27. lege *Presbyterum*. P. 244. l. 17. lege *Christianæ*. P. 297. l. 16. lege *fore*. P. 329. l. 29. lege ΑΤΚΟΣ. P. 245, l. 1. lege: *principium admittat, primum tamen ac unicum principium, ex quo omnia* &c. P. 450. l. 9. lege, *enim esse*. P. 525. l. 23. lege *excavandum*. P. 567. l. 2. lege 24. l. 8. lege 1½ gr. P. 579. l. 24. lege עקליה. P. 580. l. 26. lege. חַבְּחַבִּי. l. 32. lege בגביתא. P. 582. l. 13. loco Jod ponatur comma. l. 15. lege פרים. lin. antepen. lege גלא. P. 583. l. 25. lege χεϱσὶν. P. 584. l. 8. lege *Mordechai*. P. 612. l. 26. lege *Manleureria*.

(o)

ACTA ERVDITO
RVM
1686 ET 1687